


PRAXIS RHETORICA.

Hoc est,

PERSPICUA ET METHODICA IN ELOQVENTIAM INTRODUCTIO,

In gratiam Alumnorum Serenissimorum Ducum Borussiæ, &c. &c.

In Academia Regiomontana, edita

à

M. Andrea Crebs, Professore, & Alumnorum Inspectore.

PARS PRIMA,

cui scholastica adjuncta est

DELINEATIO PARTIS SECUNDÆ Ecclesiasticæ de formandis concionibus.

Cum duplici Indice:

Altero dispositionis & elaborationis artificij;
Altero rerum & verborum.

Præfatio ad Lectorem causam instituti continet.

Cum præmonitione ad librarios & Typographos.

DANTISCI
Apud Martinum Rhodum.
ANNO CIϽ IϽC XI.


INSTYTUT
OSSOLINSKIEGO

Professorum cura, & in artibus superioribus implantandis, cultura, in bonum publicum excrescerent, & fructus patriæ gratissimos ferrent. Neque labores meos steriles fuisse, plurimi in primis literis, & fundamentis artium liberalium, sub disciplina mea instructi, & in publicis lectionibus, ad majora, majori diligentia præparati, qui in Ecclesiæ, Scholarum & Reipub. commodum. & utilitatem, in omni Borussia, per hoc Octennium prodierunt, adhuc dum animo grato omnem eruditionem Academiæ Regiomontanæ acceptam referentes, testantur.

Quod eò non pertinet, quasi cum milite Plautino, pugnas meas jactare; vel, qui minimus sum, superiorem laudis præconem agere velim. Sed ut S. T. intelligat in quantum thesaurum, munificentiam & liberalitatem suam Serenißimi & Illustrißimi Duces Borußiæ contulerint, & adhuc dum S. T. conferat, qui non in argenti & auri summam; sed in summi boni, religio-

nis & liberalium artium, quod civitati & regioni contingere potest, propagationem & conservationem excrescat.

Quod cum maxima pars hominum non videat & animadvertat, testati sunt cum laudatißimis Principibus, Regibus, Imperatoribus, Tiberij apud Tacitum responsum esse verum: Cœteris mortalibus in eo stare consilia, quod sibi conducere putent: *inde præsentia spectantes, proximam quærere, & arripere viam, quæ suæ & suorum fortunæ ad necessarium, quin & superfluum usum consulere poßit, nec perpendere, unde publica fortuna & salus Reipublicæ exædificetur, & constet:* Principum verô diversam sortem esse, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda: *dum id consilij semper capiunt, qui verè Principis officium iubent: ut à communi & publica omnium, in privatam cuiusq; rei curam, per ea descendat media, quæ vitæ civilis fundamenta struxerunt, cum non Cyclopica, non barbarica,*

sed

sed verè humana extruenda esset societas; quæ materiam & formam subministrarunt, quæ perfectionem addiderunt: ut tandem parata optima Republica in omnium rerum legitima administratione quiescentes, famam mereri æternam poßint.

Unde ab omni gentium memoria Reges, Imperatores, qui in societatis humanæ incrementum, & commodum nati, famæ apud posteros suæ consultum ire voluerunt, literarum studia magnifecerunt, & ubicunque locorum Scholas & Gymnasia aperuerunt: ut & in regnorum interitum, & ruinam facti, nihil amplius machinati sunt, quam; ut literis omnino interdicerent, vel Christianos ab iis arcerent.

Quin alios Imperatores ad inuidiam etiã aliorum studia æstimasse exemplo Theophili Imperatoris constat, qui Mamumo Arabum Principi, Philosophum insignem Leontem petenti denegavit; existimans tantum thesaurum barbaris prodendum non esse. Xerxes quoque & Cyrus, ulturi suos hostes,

non majus bonum illis adimendum putarunt, quàm si literis & armis eos privarent, quò l in ijs omnis respub. atq; adeò humana societas resideret.

Et quamvis tot turbulenta secula multorum imperiorum faciem mutarunt, & everterunt prorsus: tamen tantum abest: ut hæc studia suppresserint, extinxerint: ut potius iu novis imperijs constituendis, fortißimis quibusq; Ducibus & Imperatoribus, ad Imperij supremam arcem ingrediendam, facem luxerint, & viam aperuerint, qui ea quoq; in Reipub. administratione, omni munificentia & honore, in summo habuerunt precio. Quod plurimorum exempla laudis, & nunquam perituræ gloriæ tabula, in monumentis historiarum æternæ famæ consecrata & suspensa, testatur.

Ut alias nationes transeam, nec Germaniam florentißimam, quæ diuturnam se fore non existimavit; nisi plurimas scholas liberalißimè exstructas, foveret, dicam: Exemplo esse potest Borußia nostra, quam-

dum

dum Serenißimus Princeps Albertus senior, bello & pace feudum sibi vendicavit, & occupavit, in plurimis locis barbariam planè sine DEO, sine moribus invenit: non aliter curam formandæ Reipub. ad salutem suorum & famam nominis dirigere potuit, quam, ut omnes Principes imitatus, Scholas hinc inde extrueret, & cum artibus liberalibus verâ religione introducta, & propagata, primum ex animis hominum; deinde publicis usibus Barbariam extirparet & eradicaret. Ut autem perpetuum fomentum in proposito hoc laudatißimo prosequendo, adhiberet aliarum scholarum, caput, & emporium præcipuum, Academiam in hunc finem fundavit: ut ex eâ tanquam equo Trojano Ecclesiæ, Scholarum, & Rerumpub. Antisthites in totam Borußiam prodirent, qui cum verâ religione, præcipuum in humanis thesaurum, artes liberales custodirent, & quotidiana acceßione augerent: imprimis testa-

tur privilegium Academiæ concessum, quo cautum est: ne quisquam ad ullum munus sive scholasticum, sive Ecclesiasticum promoveatur; nisi ex hac Schola Regiomontana vocatus: *ut sciretur, qui & quales sæpè ad officia publica promoverentur. Hinc quoq; non in minimo encomio gloriæ & laudis, tabula nunquam satis laudati Principis in famæ templo suspensa est, quæ in omnium doctorum circulo cantabitur, prædicabitur.*

Hujus vestigijs institit generis & virtutis hæres, verè heros, Illustrißimus Princeps Dn. Dn. Georgius Fridericus, Marchio Brandenburgensis, cum jure hæreditario patriam nostram capesseret. Quamvis enim Rempub. à Dn. Patruo benè præparatam, & dispositam invenit: tamen eam diuturnam & stabilem esse non posse sapientißime vidit: nisi fundamentum scholarum, & Ecclesiæ stabiliret, itaq; non tantum tres scholas illustres, quæ in tribus linguis Ecclesiæ & Reipub. Borußiacæ necessarijs,

ſarijs, fundamenta pietatis & relligionis, rudioribus puerorum animis inſtillarent, & principia artium ſeminarent: ſed & ipſam Academiam veteres reditus, & ſtipendia, novis annonæ difficultatibus ferundis non eſſe animadvertens, ampliſſima acceſſione auxit, & fortuuas Profeſſorum omnibus neceſſarijs illorum temporum ſublevavit, & hoc nomine præcipua rerum ad famam direxit; *in cujus templo etiam, quam diu hic mundus ſuperſtes fuerit, perpetuos munificentiæ, clementiæ, & prudentiſſimæ gubernationis præcones habebit.*

Non alio conſilio, quam Domus Brandenburgicæ in ſtudia liberaliora promovenda, propriam laudem & gloriam teſtatura, & gubernationis Boruſſiacæ fælix & firmum fundamentum ſtructiora S. T. munificentiæ & liberalitatis ſuæ initium fecit, quod, cum ſumma omnium rerum caritate, annona, neſcio qua temporum, an hominum injuria, ſubindè vexetur, & vetera illorum temporum ſtipendia, nec œconomiæ,

nec Professoribus alendis sufficiant, œconomiam sumtibus non levibus auxerit; quò discentium numerus in dies excrescens, commodius alatur: Indubium argumentum docentibus, fore: ut eadem munificentia rebus illorum angustissimis sublevatum eat: ivisset certè: si Deus S. T. nobiscum diutius tum temporis esse voluisset.

Sed, quod temporis & fortunæ injuria denegatum, vel dilatum, utriusq; vultu benigniore illucescente (quod vovemus & optamus) eò largius compensaturum iri speramus; quo majori benedictione Deum prosequi eos, qui ad hunc modum scholis in usuris pecuniam elocant, omnes, quibus à memoria historiarum, ad prudentiam civilem, & Reipub. salutem formatum pectus est fatentur, S. T. clementissima animi declaratione, & re ipsa testata est.

Ingressa, inquam, viam, quam majores & Antecessores S. T. ultrò citroq; perrexissent; si vel hæc, vel mitiora etiam penatibus domesticis tempora, clementissimæ volun-

voluntati viam ulteriorem præivissent. Hanc cum S. T. instet, quis dubitet; quin eam, quam Fundator, Amplificator meriti sunt laudem, in se derivans, propriæ gloriæ apud omnes posteros non minimum sit consecutura; dum extremam manum necessariæ munificentiæ imponens, summam rerum ad amplißimam hanc famam dirigit, quæ perpetua gratitudinis memoriâ in S. T. quietura sit.

Felicem Borußiam, quæ nulli regionum cœli clementia, terræ fertilitate, maris & lacuum abundantia cedit, plurimas superat, neq; in hoc preciosißimo Thesauro ulli cessura, laudem ambiguam multis factura sit! Thesauro, inquam, literario, in quem quicquid confertur, nihil in certo damno, nihil in ambiguo fortunæ ponitur: sed in millesimam usuram collocatur, ex quo fructus divitiarum in totum dimanat mundum.

In hanc spem excitatus laborum meorum in Alumnos S. T. collatorum, jam fructum publicæ luci promturus, quantum ex

hoc thesauro munificentiæ fœneratus sim, lucro & usura literaria studiosam juventutem afficere volui: ut, quæ ab aliquot annis in studio eloquentiæ, in varijs autoribus collegi, & opella ingenij mei, in fundamentis artis observavi, in unum corpus redacta, mea opera, meoq; sumtu, functi muneris testimonium, & in patronos meos gratitudinis argumentum, S. T. dicata, & consecrata prostarent. Causæ sunt & multæ & graves magis cur S. T. dedicarem quam ederem.

Præterquam enim, quod omnes Scriptores in more habent, ut librorum suorum sibi patronos quærant, sub quorum umbra obtrectatorum, & calumniatorum æstum effugiant: Ita & ego maximè, eum quærere debuerim, qui & velit, & poßit parvâ operâ patrocinium mei suscipere; jam pri lem cum S. T. aliquot meas pagellas dedicarem, ad majora in re literaria præstanda fidem dedi, si sensero S. T. hæc parva grata &

acce-

accepta fuisse, quam diutius periclitari non volui. Itaq; in spem futuram clementiæ, omnem movi lapidem; quo eam S. T. præstarem, & exiguo hoc munusculo gratitudinem meam declararem. Et quomodo ingratitudinis notam subterfugerem, si ad alium usuras transferam, quam à quo mutuum? Exigua certè usura, nec pro mutui summa: quæ tamen elocata in bonum publicum, explere numerum forsitan potest; Si S. T. apocham, clementiæ sigillo munitam, mihi concesserit; quo fœneratum meum servitum dicere, & ad majora, majori studio conferre possim.

Accipiat, quæso, S. T. meq; meumq; hoc Opusculum in patrocinium suum, contra omnes quicunq; famam & labores meos traducere ausi fuerint. Quod si fieri sensero, nulli labores, nullæ molestiæ, vel quicquid gratum & ingratum à studiis me avocabit; quin ea agam, ex quibus S. T.

mini-

ministri subjectissimi sævitia, & in rem literariam utilissima officia, cognoscere satis superq; possit. Datæ Regiomont. 16. Mart. ANNO 1611.

S[tis] Tuæ


Subjectissimus

Minister

M. Andreas Crebs.



LECTO-



LECTORI BENEVOLO S.



Miraris sine dubio, quòd inter tot Rhetores clarissimos, homo novus, nec antea ullo scripto hujus generis notus, Rhetoricam novam edere ausus sim, ideo credas, benevole lector, quia te miraturum scivi, edidi. Fore enim putavi, qui mireris, te novum novi hominis scriptum, cognoscendi cupidum, neq; ignoscendi animo alienum; si quid inveneris non ad palatum tuum: ut statuas, alijs, quibus facta, ad gustum forsitan esse apposita, gratum, & illud æstimes: *In rem communem qui consulit, omnibus placere non posse*, si quæ vacat, in vestibulo hoc & proscenio paululùm mecum fabuleris.

Octennium jam factum est, & quod excurrit, cum studijs Alumnorum Illustrissimorum Ducum Borussiæ Præfectus, id laboris in me suscipere, ex statu-

tis Aca-

ram, necessitate & utilitate hoc seculo maximè principem: Tertiam forensem, in qua prima, & una veteribus Eloquentiæ gloria, necessitate minorem, usu rariorem: nec tamen ad societatem politicam inferiorem; ut suo loco laudes illius vindicabimus. Ultima hæc cum apud veteres amplissima, & præceptorum & exemplorum multitudine, ad nos pervenerit, adjungere volui præceptis, imitationes in orationibus Ciceronis, & aliorum hujus seculi. Omnia hæc, si Deus vitæ & virium subsidio clementer adspiraverit.

Ab eo tempore consilij & laboris partes, sparsim, & confusè, prout tempora, & auditorum captus svaserunt, publico & privato studio persecutus sum, proponendo, donec exacto septennio quorundam petitiones ad hanc faciem Praxin Rhetorices extorserint; nec certè extorsissent; cum mei muneris, nec professionis vidi, in hoc studio aliquid moliri; nisi in aliam partem laboribus meis perpetuis sublevatum me iri uno hoc putassem. Itaq; annus est cum cœperim systema pra-

tis Academicis volui, quod ad oratoriam viam sternere, publicis lectionibus posset. Egeram hoc pio ingenio, pro viribus: ut ex præscriptis Rhetorum dispositiones traderem, corrigerem, declamationibus adornarem. Tempus laborandi, & varia colligendi spatium suppeditavit: à præclaris ingenijs non rarò de varijs artificij Oratorij præceptis consultus; cœpi curas & cogitationes in certam formam, eamq; ad nostra tempora accommodam, nec à prisco seculo, unde omnia habemus, alienam, quamvis materiam tractandi intendere. Evolvi cum ipsis fontibus Oratoriæ, varios autores, tam veteres, quam qui ex illis, neotericos: omnes artificij Oratorij apices scrutatus sum. Nihil novi me invenire posse inveni; quod non præclare ab illis inventum sit: nisi ut veterum præceptorum usum præsenti seculo, quali quali studio accomodarem.

Itaq; labores meos in tres destinavi classes: unam Scholasticam, quæ fundamenta jaceret, & gradus pararet, ad culmen eloqventiæ: Ecclesiasticam alteram,

xeos, ſub alio titulo proponere diſcipulis meis: ut haberent in promptu certam & perpetuam formam quamvis quæſtionem tractandi, & hoc ceu Gymnaſio Rhetorico ad Oratorum præcepta elaborandi. Ad finem perduxi: Sed dum dictandi labore me exolvere volui; ſcribendi onere diſcipulos & Alumnos ſubinde accedentes una opera involvi: quod tædium adoleſcentum, aliàs mobilem animum, à ſtudio hoc avocare, dum non uno experimento jam pridem ſenſi; quid erat reliquum, quàm ut communi typo exſcribi curarem: quò ſine tædio ſcribendi parvo compararent ære, qui meâ operâ uti vellent. Decrevi. Decretum exequar. An felici omine, tempore uſurus ſum conſiliario. Interea de vario judicio, domi jam pridem rationes ſubduxi; quo me expoſitum iri, non tam metuebam, quàm per tranſennam videbam. Itaq; ſolenniter propoſiti mei cauſam do: *Diſcipulis meis me gratificari voluiſſe, horum gratia, quicquid id eſt, ſcripſiſſe, edidiſſe:* Ita tamen, ne alios ab hoc foro arceam. Venalis hic liber eſt; emat omnis, qui ſe adjutum

iri

iri speret; qui animi causa legere gestient: qui censuram addere voluerit. Qui enim hodie scribunt libros, omnium illorum animum, & judicium experiri usus est. Quod tamen ijs, qui in commune forum literarium exponendos scribunt libros, proprium: ut licitatoris audiant censuram, ante precij æstimationem: mihi accersorium, & peregrinum, qui nec ipse libros meos tanti facio: ut publicam censuram sustinere posse arbitrer. Quia tamen in alienam potestatem veniunt, ferundum est, quod eveniat.

Proinde operæ esse arbitror necessariæ, benevole lector, te ulterius lectioni huic præparatoriæ vacare, & qua mihi hisce emtoribus opus cautione intelligere.

Qui se adjutum iri hisce meis laboribus sperant, illis quod pollicear magnificè non habeo; (qui omnis ambitionis & culpam & suspicionem demoliri à me unicè cupio) nisi ut suadeam, si quod tempus in studium Oratorium collaturi sunt, id in discendis præceptis contrahant summa diligentiâ, & ad illa instrumenta, quæ tra-

tractandæ quæstioni sunt accomoda & sufficientia; usum autem & exercitationem extendant ad id temporis spacium, quod perlustrandis omnibus Oratorum scriptis, vel præcipuis sufficit: ut enim, (cum Plauto meo loquor)

Viam qui nescit, qua veniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem (sibi:

Sic, qui ad solidam eloquentiam affectat viam, compendiosissimam præceptorum semitam sequatur: donec extra ripam remigio proprij judicij, pelagus amplissimum Oratorum ingredi, &, qua sibi conducat, viam, quamcunq; exercitationum contendere possit. Scis quid velim? Prolixos commentarios fugias, vel cum modo adhibeas. Si adolescenti Quintilianum, vel Ciceronem aut simile volumen discendum proponeres, clavam Herculis puero septenni nonne traderes? At si necessaria, & compendiosa præcepta excerpas, modo, ordine, vel ab alijs excerpta usurpes, & ad captum discipulorum

lorum accommodes, rectam ad eloquentiam tendis viam.

Quæris quæ & qualia excerpenda, proponenda, quæ compendioso studio nos in abdita Oratoriæ ducere possint? Magnum hoc, nec tutum in tot doctorum diversis sententijs: si tamen dicendum, dico candide, dico sine præjudicio. Non probo in primo tyrocinio institutionis puerorum, proponi genera causarum, & multis exemplis, eo modo quo veteribus usitata, explicari, inculcari. Illa enim continent quæstiones finitas, quæ à circumstantijs temporis, loci, &c. formam habent. Quæ omnia vel captum puerorum excedunt; si non, nullius sunt usus. Quomodo puer decennis, vel paulò major, assequatur ingenio accusationes, defensiones? aut quomodo causæ gravitatem exprimat orando? Aut quomodo deliberandi, laudandi, vituperandi modum, qui rerum omnium, & hinc deliberationis expers, capit? Si verò hæc omnia ingenij alacritas superat, cui bono discat? In foro usus

ſus rarus, & quis ad forum adſpirat? At ingenium excolit, & artificium inde diſcit? Imò verò in alijs commodius, quæ artificium & uſum habent; præſentia, non antiqua illa, quæ cum Roſtris, & foro Romano exoluerunt, ad exercitia ſcholaſtica vocanda. Ergone Genera cauſarum reijcienda? Imò retinenda magno honore, & ſtudio ob uſum in politicis, ob flumen eloquentiæ Ciceronianū, imitandum omnibus, quantumquidem ad hoc faſtigium adſpirare poſſumus, quod Generibus hiſce cauſarum incluſum eſt; ſed proponenda ijs, qui â doctrina, ab ætate, & judicio probè formati ſunt: ut vim iſtorum generum capere, & cui bono diſcant, intelligere poſsint. Proponenda inquam, ut ad præſentem uſum ea ex veteri foro revocemus. Quod in tertia parte cum DEO docebimus.

Quid in præceptis elocutionis deſiderem quæris? multitudinem figurarum, qua multi, & præſertim ex Rameorum trivio, Thalæus aliquis, onerant, & torquent puerorum ingenia. Cui bono hoc malum, illis imponere plauſtra figurarum,

rarum, qui adhuc plurima vocabula & phrases elegantes ferre non possunt? Meo itaq; judicio si institutio Rhetorica staret: hoc consilij darem. Vt primo ex Ciceronis partitionibus, Topicis loci inventionis aptè sufficienter, proponantur, addaturq; his adjumento Agricola, qui multum in hoc labore me adjuvit. His cognitis partes Orationis, ex Herennio lib. 1. Item de Inventione, 1. Item ex Quintiliano lib. 4. cap. 1. de Exordio cap. 2. de Narratione cap. 5. de partitione usq; ad librum 6. cap. 1. ubi de conclusione. In figurarum doctrina, multi compendiosè scripserunt, In qua illæ figuræ discendæ, quæ præcipuum usum in suis habent locis: *non* in omnibus apicibus vocabulorum figuræ quærendæ, neq; pueris proponendæ. Digitum ad hæc intendo, suo quisq; ingenio sequatur ductum meum, vel meliorem sibi qværat. De affectibus movendis optimè Aristoteles. Hermogenes in omnibus non negligendus. De copiâ verborum, quam ego doctrinam, figurarum omnibus reliquis præceptis, ad elegantiam sermonis

 præfero,

præfero tanquam animam elegantis Orationis, post Erasmum, qui confusè, omnium optimè Keckermannus in Systemate Rhetorico tractat: ex his omnibus, vel aliis, proponant præceptores discipulis modum tractandi quæstiones infinitas (cujus ego in hac praxi pro ingenii viribus specimen edidi) in iisq; discipulos exerceant, donec fundamentis argumentorum exactè cognitis, ipsi genera causarum legere, & cognoscere possint. Vel, si ad eorum compendiosiorem cognitionem viam præire instituendo voluerint, huic tractationi, genera causarum subjiciant, quod & ego in tertia parte facturus sum. Sedes enim argumentorum easdem habent, cum infinitis, nisi quod ad certas circumstantias adstructæ. Non itaq; mihi placent ex Aristotelicorum Schola, qui cum Generibus causarum, lumina illa Oratorum, sine ratione rejiciunt, & finitarum quæstionum sedes generales, ad particularem uniuscujusq; tractationem citra necessitatem restringunt, & ita animos studiosorũ in diversa trahũt studia: ut Oratores illi majores valesce-

re inci-

re incipiant. Sed benè res habet; peribit novitium illud, & novum artificium, antequam aliquid antiquæ autoritatis & gratiæ antiquis illis Oratoribus decesserit. De quibus tamen disserendi locus & tempus erit commodius in praxi forensi: ubi genera causarum tractavero.

Hic ut de omnibus multa dicam tecum ab initio, Benevole Lector, pactus non sim: neq; mei ingenij res est: ut alios reprehendam, quisq; suo modulo in bonum literarium consulat.

Proinde de libro meò tribus te absolvam. Si uti illo, vel alijs commendare volueris, ad quid conducat tyrocinijs Oratorij ponendis, prior in calce index te docebit: ubi generale locorum, formularum, artificium, ad certam materiam applicandam, idq; secundum omnes Orationis partes; ut data propositione perpendat, an practicum sit an theoricum thema, & inde quod Exordium requirat, cujus argumenta, & ornamenta index indigitat. Deinde argumenta Confirmationis, vel simplicia vel disputatoria ex rei natura orta, & ad

praxin allata, secundum locos disponat, eorum requisita perpendat, artificium attendat, & deniq; formulas inspiciat, quæ omnia ordine in indice monstrantur. Tandem conclusio, sua quoq; certo loco fundamenta, ornamenta, expressa habet. Ut qui unam atq; alteram qvæstionem hoc modo præceptis applicare novit; non opus habeat dispositione, sed proprio marte sibi quæstionem sumere, & eandem tractare poterit.

Fateor sanè omnia non esse à me proposita, quæ ad exquisitè formandam, & elaborandam Orationem pertinent, neq; id consilij tum temporis apud meos, quibus, quicquid est, destinatum, neq; jam in eà re familiari cõstitutus sum: ut sumtus majores periclitari potuerim. Si sensero gratam, & utilem me præstitisse operam, addam, quæ apud me sunt, ex varijs autoribus cura secunda, vel tertia: ut forsitan ad perfectum scribendæ Orationis modum sufficere posint.

Quid illis qui amici causa emere voluerint? Nihil: Sed ne mentiar, duo: Ne emant; voluptuarium hunc sumptum in lauti-

lautitias aliquas chartarum ſumant. Nihil mihi hic in delicijs; nihil in voluptate; niſi ſimplex & tritum aliquid uſus præſtiterit apud illos, quibus hæc noſtra opera data.

Ariſtarchis, ſi qui ſunt in re alienâ futuri, multum haberem, quæ de meis communicem, ſi quicquam ab illis auferre poſsim. Sed commodè in mentem Plautus meus:

Injuſta ab juſtis impetrare non decet:
Juſta ab injuſtis petere inſipientia eſt.


qui planè calamum & animum conſtringit in aliam mentem. Injuſtis enim hominum judicijs, quis ſapiens movetur? ego certè non moveor, niſi ut rideam: juſtis autem quis neſcit multum ineſſe & æquitatis, & humanitatis, qui, propterea quod frugi ſunt, omnia ex ſuo ingenio in optimum formant ſenſum, apud quos longa excuſatio mera incuſatio? In quemcunq; lectorem tamen incidero; proteſtor ſolenniter: *ne quis in ipſo frontiſpicio virgula cenſoria utatur vel antequam cognoſcat, penitius* THETA *nigrum præfigat: Ne ex*

ingenio, vel animo suo; sed labore & proposito meo, quod candidè & aperte dedi, censuram ineat, & quo animo, cui bono scriptum, probè perpendat.

Si quid in hoc commisum, omissum, quod non diffiteor factum, in tot laborum & molestiarum tumultuariâ opera, quæ ingenium turbat; judicium â lima exacta avocat: oculorum aciem in animadvertendis vitijs obtundit: factum id ante multis bonis, & doctis: factum eiusmodi, quod corrigi cum tempore potest. Si quisquam mecum litigare vult: ab omni litigio quidem natura alienum fecit. Si tamen effugere non potero: declino forum ad candoris judicium: ibi experiar jus meum: ubi omni malitiæ, obtrectationi, calumniæ jus dictum ABESTO. A candoris, inquam, judicio totus pendeo, quod si me in clientelam susceperit, felicem me dicam, & id agam: ut studijs meis in bonum publicum diligentius ire possim. Hisce, benevole lector, vale & studijs nostris fave.



TYPO-



TYPOGRAPHIS S. P. D.



ONI PUBLICI causa in publicam lucem hunc meum librũ mitto, vobisq; divulgandum committo. Meo id factum studio & sumtu: sed & meo periculo. Si genium habuerit; ut lucem in hoc seculo à literarum splendore clarissimo, sustinere possit: Non dubium; quin cum commodo literario, cujus vos Mercurij, in usum vestrum sint cessuri sumtus mei: quin & meum qui in summo lucro pono, quali quali opella ingenij mei, bono publico aliquid adjumenti accedere posse. Quoniam itaq; meum studi-

um hoc nomine ad vos pertinet, de communi negotio vos compellare volui. Usu enim non raro fieri solet: ut libri in publicum prodeuntes sine privilegijs, qui faculam alicujus lucelli lucent, denuò sine scitu, sine consensu autoris excudantur. Quod quantum incommodi adferat libro, quantum dedecoris autori, pro me multis multi in suis scriptis queruntur. Lucro enim inhiantes, qua facie prodeat non perpendunt, cuiq; bono, nisi proprio, non æstimant. Quod ne in hoc meo libro faciant etiam atq; etiam rogo. Non quidem; ut alijs invidere velim meos labores, & inde lucrum. Sed ne ex damno meo lucrum comparent, illud est quod palam

cavere

cavere volo. Si arriserit genius libelli mei, non invideo, quin recudant: sed sine consensu meo, invideo, & prohibeo. Qui fecerit, eum plagij manifesti accusabo, & in judicio literario dicam ei scribam. Quicunq; itaq; recudere suo sumtu voluerit, mihi id significet, non tantum ultrò concedam: sed & hoc studij dabo: ut emendatius, auctius multò, curâ secundâ, ad limam cogitationum posteriorum, quæ meliores dicuntur, exemplar revocatum accipiat, & ita mea cum laude aperte, & candide suum commodum habeat. Non dubito illos, quibus lucrum suum à publico bono pendet, sine præmonitione mea ab alienis

laboribus, sine consensu domini, sibi parsuros esse. His vos valere & diu in usum publici boni vivere vult

M. Andreas Crebs.



CLA-

Clarissimo & Excellentissimo Viro,


Dn. M. ANDREAE CREBS,

PROFESSORI ET ALUMNORUM *Inspectori, Collegæ & amico colendo.*

SCientię tumere fœtibus, & modo
Æsopicorum parturire montium,
Nil est: parire si haud queat, qui parturit
Ergo obstetrice opus gemella; ut ordine
Concepta mente dicta justo prodeant.
Deinde, nuda ne pudori sint sibi,
Et alteri: recens requiritur color.
Artes id efficiunt utrumq; antistrophæ,
Quas sic Aristoteles vocat doctissimus.
Has si supercilio quis alto despicit:
Inscitiam hoc prodit modo ipsemet suam.
Laudandus ergò CREBSIUS vel maximè,
Quod hæc sibi concreditis fideliter
Proponit, utq; plurimi legant, facit.
Fors hic vel ille, & hæc & illa carpserit:
Sed rectiora & dexteriora vix dabit.
Proìn, Mome, parcas Crebsio, parcas tibi.

M. Georgius Reimanus Eloqv: Profess. & Acad. pro tempore Rector.

Eximi-



Eximium decus est facunda gratia linguæ,
Quare de quavis dicere ritè potest.
Hanc sine præceptis qui credit posse parari
Is sine navigio per mare tentat iter.
Ergò perorandi canonas quod scripseris aptos,
CREBSI debetur gratia magna tibi.

M. Ioachimus Cimdarsus,
Poëseos Professor.



Desidiæ lento veterno immortuus ut sit
CREBSIVS, haud patitur muneris ipse labor.
CREBSIVS haud patitur, magni monumenta laboris
Dum promit magnâ sedulitate libros.
Commissæ multùm fidei prodesse juventæ
Qui cupit, atque aliquâ parte juvare scholas.
I nunc & magnos accuses Mome labores
Desidiæ, accuses, publica scripta viri.
Sed valeant tumidæ Momi convitia linguæ:
Tu voce & calamo perge juvare scholas.
Prœmia sed quisnam reddet pro munere tanto?
Quæque tui merces digna laboris erit?
Qui poterunt tibi digna ferant: ego vota dicabo
CREBSI tam fausto sydere scribe diu.

M. Sigismundus VVeier, Mathematum Professor.

Quem



Vem juvat acceptum Domino retulisse talentum
Atq; Locatori debita lucra suo:
Numinis auspicio doctæq; indagine mentis,
Officij exsequitur munia jussa sui:
Munia jussa facis, CREBSI clarissime, reddis
Iusta Locatori grataq; lucra DEO.
Sedulus informas studiosam quando Iuventam,
Et planâ Methodo discere posse doces:
Atq; docere alios: & dogmata dia sonare:
Perspicuâ methodo perfacilîq; modo.
Non opus est tibi laude meâ, Divine Sophista,
Nilq; hederæ vino tam generoso opus est.
Vltima si cæptis facies æqualia primis.
Quid te facturum censeo? quantus eris?
Perge DEO servire: scholis prodesse: juventam
Informare: DEus præmia digna feret.
Si fuerint Momi, ne cura: dente maligno
Admordet doctos pessima turba viros.


M. Ioachimus Neresius Pastor,
& A. Memelensis.

Sicut

Sicut in oppositum cataphractus fortiter hostem
Irruit, & fuso saugvine miles ovat:
Sic tu, qui piscis cataphracti nomine gaudes,
Andreæ, ô animæ portio magna meæ,
Talia divulgans magni monumenta laboris
Fortis in ignavos barbariēq; ruis,
Exemploq; doces, quàm sit, prodesse juventæ,
Magnum opus; id quamvis perneget, & dubitet
Nescio quis cēsor rigidi de stirpe Catonis,
Cui nisi, nil fatuo; quod facit ipse, placet.
At valeant quibus est in fronte dolosa venustas,
Livor at in cœco pectore cor peredēs.
Tu sed perge piæ scriptis prodesse juvētę,
Atq; placere bonis: res ea grata DEO:
Res ea grata bonis; sic sic tibi gloria surgat,
Debitus inque dies sic tibi pstet honos.

Adfini suo olim Collegæ apposuit

M. Iohannes Friccius Ecclesiastes Mednoviensis.



CAPITA PRIMÆ PARTIS.





PRAXIS RHETHORICA.

seu perspicua & methodica in Eloquentiam Introductio.

PROOEMIUM RATIONEM PROPOSITI MONSTRANS.

PRAXIN Præceptorum Rhetoricorum traditurus, illud potissimum, vel solùm præstabo, quod ad usum Oratorium, suo modo, suoq; ordine facere videbitur. Ideoq; in explicatione Præceptorum Rhetoricorum, non immorabimur, nec Methodum Artis sequemur. Nam, cum disciplinæ Instrumentariæ multùm participent cum Artibus Mechanicis, ordinem eorum quoq; imitari videntur: Ad ipsorum itaq; formam nostra quoq; studia conformabimus. Sicut enim Mechanici, cum artis suæ præcepta ad usum transferunt, de præceptis certè minus solliciti sunt, quomodo Magister illius artis ea tradiderit, quàm, quomodo ea ad Usum conferre, & suæ artis finem consequi possit: Sic quoq; cum sat diu in Præceptis Rhetoricis versati sunt discipuli, tandem, cognitis præceptis, quomodo ea ad Usum, & finem suum applicare debeant; magis sint solliciti, quàm quomodo ea didicerint. Ut itaq; illi opus aggressuri extruendum posito fundamento & materia parata primo perpendunt, quomodo, quove ordine collocent & disponant singula, quam formam opus sit habiturum. Sic in conscribenda Oratione, fundamento posito & materia selecta, quam formam illis addere velimus, perpendimus, in consideratione quæstionum tanquam materia proposita in Dispositione, Amplificatione & Exornatione propositionum singularum, tanquam partium totius: Ut cognitis hisce generalibus seu infinitis quibus speciale seu particulare & finitum inclusum est, ut Cicero rectè in Partitionibus Oratoriis inquit, in Explicatione

Generum, Causarum & structura utriusq; operis commodius progredi & opus conficere & adornare valeamus. Proinde qui feliciter in Praxi hac Rhetorica versare voluerit, vel teneat & intelligat præcepta Rhetorica: vel ijs discendis diligentem navet operam: ne ignorantia præceptorum usus modum impediat, vel intricatum magis reddat. Præsertim autem locos Inventionis tàm personarum quàm rerum ex Logicis discant Auditores: officium Oratoris: partes Orationis: Genera causarum: & tandem Figurarum & Troporum doctrinam probè cognoscant, quibus omnibus si Exercitatio sub certa forma & modo, hac parte à nobis præscripta, accedit, usus Oratorius tàm facilis fit quàm quod facilimum; neq; quemquam turbabit ordinis ratio, qui intelligit multum interesse inter cognitionis modum, & usum in disciplinis Instrumentarijs.

CAPUT I.

Officium Præceptoris in Praxi Rhetorica docet.

CVM ea sit humani ingenij natura, & constitutio: ut ipsa sibi rationis perficiendæ viam ad bonum nec ire nec monstrare possit: ideoq;, sive in hac, sive in alia arte, præceptorum auspicio, & ductu illud adeò agitur: ut, quamcunq; viam natura & ingenio humano monstrent institutione, illam usq; adeò incedat; ut ab indole planè recessisse, & alterius ingenij metam attigisse videatur. Proinde Præceptorum in Praxi Rhetorica prima cura erit: ut & ingenium cognoscant, & certis perspicuis & compendiosis ducant præceptis. Cognosce-

gnoscendi autem modos (ut prætercam ea, quæ ad φυσιογνωμίαν aliaq; corporis indicia, seu verè seu superstitiosè pertinent) ad Eloquentiam præstant. Lingua & memoria, cujus dux est ingenij felicitas, si ea quæ subitò apprehendit pertinaciter hærent, & promptè cùm omnibus linguæ virtutibus promere possit. Illa enim tria sunt instar alarum, quæ hominem ad summum Eloquentiæ culmen evehunt. Itaq; Præceptor, cognitis ingeniis, institutionem suam ita conformabit: ut, quæ compendiosa est: ad linguas viam præeat discipulis. Deinde ea urgeat, quæ ad linguam formandam faciunt; ut non tantùm perfectè discant, quò quotidie memoriam excolant, sed & ut subinde recitent hæc enim sanè prima ad eloquentiam principia, & via 1. distinctè. 2. tardè. 3. ne ultimas syllabas absorbeant seu devorent. 4. sine hæsitatione. 5. cùm quadam vocis moderatione & distinctione. 6. cùm mediocribus, quantùm quidem Adolescens capere potest gestibus.

Quod ut facilius effectum dare posſit, primò singulis diebus epistolam, vel versus aliquot, vel locum communem vel fabulam ediscant Adolescentes, eaq; dictis præceptis recitent.

Deinde mandet discipulis ut Comœdias vel Tragædias discant, eas vel privatim recitent, vel è scena in Cathedram producant. Cùm enim mutua illa personarum Colloquia talia sint, quæ sua

 natu-

natura, & observatione aliorum, prædicta præcepta doceant, illud etiam hoc Exercitio discipuli consequuntur: ut audaciores reddantur (quod maximè in Oratore requiritur) nec conspectum magnorum virorum subterfugiant, ad eumq; exhorrescant, & obmutescant. Quæ si tantisper continuaverint: donec loquendo linguam, scribendo animum promptum in discipulis reddiderint, & ad artis præcepta & ad imitationem aliorum promovendi sunt. Illud fit, si præcepta Rhetorices breviter & compendiosè discipulis explicent, & ad usum præcipuè applicent. In quo non probantur illi præceptores, qui multis & infinitis dictitatis, vel prolixis libellis aut Voluminibus integris ad unguem ediscendis onerant discipulos, cum compendiosè & quâ potest brevitate, exiguis libellis principio præcepta includere, ijsq; ediscenda proponere debeant. Qualis est Lossij Libellus. Idq; propterea: ut citò dicta percipiant animis, ut Horatius inquit, & habeant, ceu breves de singulis partibus Rhetorices memoriæ, regulas & axiomata, ad quæ cœtera tam præcepta quam exempla ceu fundamentum referre possint. Deinde non sunt defendendi, qui antequam discipuli intelligant, ex Rhetoricis præceptis rationem componendi, & resolvendi orationem, in profundum Ciceronis mare ductitant, eosdem, in eoq; suum artificium Eloquentiæ, resolvendis Orationibus monstrant, in quo, ut illi qui in fluvijs adhuc nare non didicerunt, facilè in profundo altissimi huius maris Ciceronianæ Eloquentiæ, procellarum impetu submerguntur, & obruantur: ut, quo emergere & ad littus veræ

cogni-

cognitionis oratoriæ perveniant, ignorent, tandem operam omnem perdant discipuli & præceptores. Si enim componendi secundum artis præcepta rationem ignorant, quomodo Resolutionis Iudicium vel utilitatem capient? Cùm Resolutionis usus sit præcipuus is (quod in tertia parte introductionis nostræ patebit) ut nostræ artis, ex artificis exemplo melius capiamus judicium, & nostra ad illius modum comparare possimus. Propterea Praxis Rhetorica in Scholis ita institui debet, ut cum præceptis singulis septionis in quæstione proposita, & disposita, artificium, & usus præceptorum monstretur, & in correctione Orationum inculcetur. Imitatio verò resolutoria, vel strictim, vel membratim in partibus Orationis, & non nisi adultis adhibenda, quæ Oratorum sapientiam assequi possunt, vel ad Academias remittenda: ubi planè & plenè cum alijs Exercitijs proponuntur. Sufficiente enim labore & laude finem suum assequitur Præceptor, si Orationem mediocriter componere, & de præceptis Rhetoricis iudicare doceat discipulos. Quæ omnia pro diversitate ingeniorum, & profectus moderari, judicare, pro ea sagacitate & judicio quæ in ipsis requiruntur noverint Præceptores.

CAPUT II.

De officio Discipulorum in discendo.

IN eo cum faciant strenua operâ officium suum præceptores, discipulis incumbet, ut in opificij oratorij cognitione, quos nos diximus opifices spectent. Illi enim cum ex arte aliquod

aliquod opus extruere volunt, cogitant de solido fundamento, cui opus constans & firmum pariter, & splendidum superstruere possint, ne in arenam ædificantes à quovis vento, fundamento destitutum opus corruat: Ita à studiosis Oratoriæ, antequam de materia, de instrumentis, deq; forma operis extruendi cogitent, summè requiritur, ut fundamentum habeant firmissimum. Qui enim leviter literis instructus Orationem aliquam splendidam memoriæ mandat, eamq; recitat nullo nixus fundamento, opus quod extruit corruit. Ergo solidum fundamentum, quod requiritur, ad præscriptum hujus capitis ponat Oratoriæ studiosus.

Antequam itaq; ad Praxin Rhetorices accedant Adolescentes, & in ea studia sua occupent, multo jam studio & labore necesse est ut ætas adolescentiæ cupiditates, & licentiam elapsa, artibus primoribus ingenium informarint, animum, mores, linguam, memoriam ad quandam constantiam, & patientiam perferendi labores, conformarint. Ingenium, linguam, memoriam, informare præceptores; mores præcipuè discipuli adferre institutioni debent. Quamvis autem non minor cura præceptorum sit; ut mores forment discipulorum; tamen quos nos requirimus, obedientia, alacritas, lenitas, animi constantia, ingenuitas, & alia ab ingenio & indole adeò dependent; ut, nisi discipulorum cura inclinationem naturæ promovendi accesserit; operam & diligentiam omnem perdant Præceptores.

Primo itaq; in addiscendis linguis assiduitatem adhibeant; neq; ad alia studia transeant, vel

ea cogi-

ea cogitent; donec laudabiles progressus fecerint, & omnia animi sensa promptè, sed & eleganter, non tantum exprimere, sed & verborum & Phrasium copiam compararint; ut delectum verborum adhibere possint.

Secundò omnem fugiant arrogantiam; nec putent, postquam Classem Elementariorum vix egressi sunt, se linguarum studio adeò versatos esse; ut vel oratoriæ, vel superioribus disciplinis studia sua cum utilitate tradere valeant (qui morbus proh dolor ingenia Adolescentum hoc seculo planè invasit) sed in his, & alijs, à judicio præceptorum dependentes, nihil sibi nisi assiduitatis, & obsequij partes reservent; donec illorum judicio alijs studijs committantur.

Tertiò postquam ad hanc, in linguarum studio Eruditionem adoleverint; ut Dialecticam & Rhetoricam audire possint; non prius præcepta hæc abijciant, nec praxi se dedant, donec probè ea didicerint, intellexerint, & ad usum transferre possint. Eo autem ordine præcepta Rhetorices discant, (quod superiori capite indicavimus) ut à Compendijs incipientes omnia in illis præcepta quæ ad componendam Orationem faciunt, exquisitè cognoscant. Deinde ad Ciceronis libros Herennianos, de Inventione, de Partitionibus, Oratore,

 Topia,

Topia, se convertant, his adjungant Aristotelem, qui egregiè omnia præcepta Rhetorica complexus est: Huic, vel Ciceroni potius, Hermogenem adjungant, in quibus studijs semper præcepta ad usum dirigant, ut adhibitis exemplis, quomodo in componenda Oratione ijs uti debeant, videant.

Quartò cum aliquot hisce exercitijs spacia fecerint, paulatim studia sua ad alias artes tam speculativas quam practicas extendant, easq́; cognoscant, & tam rerum, quam verborum copia se instruant, quod, ad quid conducat, sequens caput docet.

Quintò cum eruditio eorum ad Exercitia excrevit, Dispositiones à præceptoribus dictatas diligentißimè elaborent; & eò continuent; donec proprio marte, & materiam quamvis disponere, & secundum artis præcepta tractare poßint. Id ut commodius fiat: quia adolescentes proprio carent judicio, vestigijs præceptorum insistant; nec latum unguem à dispositione recedant, sed tanquam sacratis legibus omnibus membris & argumentis inhæreant, omnemq́; ingenij aciem in ijs occupent, ut & rebus & verbis eandem illustrent, ad quæ sequens caput tam ratione rerum quam verborum viam aperit.

CAPUT

CAPUT III.

Materiarum in praxi Rhetorica sele-ctionem exhibet.

PROposito jam fundamento, quo niti debeat studiosus Oratoriæ, proximum est; ut materiam inveniamus & seligamus, quæ ad opus nostrum Oratorium idonea sit. Opifices enim cum fundamentum locarint, proximè materiam inveniunt, & seligunt, ex qua opus extrui debeat.

Inventio autem materiarum Oratione tractandarum, cum ubiq; sit obvia, nec ullus locus in societate humana, animum, oculos, & aures nostras non subeat, qui non materiam Orationi exhibeat: ideò de Inventione minus laborandum, neq; præcepta tradenda videntur. Quod quidem adeò verum est, ut sensibus careat, qui in diversum sentire velit. Propterea non tam de inveniendis quam seligendis magis cogitandum est.

Seligimus itaq; materias, & in foro Oratorio tractandas judicamus.

Primò à sua natura & essentia.

Secundò à fine ad quem dirigantur.

In Essentia requiritur Primò, ut existat, quæ enim non sunt in rerum natura, de eis frustra facit verba Orator, neq; finem suum assequitur.

Secundò, ut vel sint facta, vel fieri possint. De ijs enim quæ facta non sunt, nec factu sunt possibilia, frustra & consultamus & verba facimus.

Tertiò, ut ſint vera, vel ſaltem veri ſimilia, utpote in actionibus hominum, de quibus Orator verba facit, licet illa ſemper vera non ſint, dum non ſint manifeſtè falſa, Orator verba facere poteſt. ut Cic: pro Mil: Milone vim illatam diſſerit; licet illud factum nòn fuerit.

Quartò ne ſint res nimis notæ & experientia lippis & tonſoribus cognitæ. & perſpectæ: ut, ſi longa Oratione probare vellem, hyeme maximum eſſe frigus. Item ſi hominibus moriendum eſſe integra & eleganti Concione demonſtrare conarer, irriſionem certè non admirationem mererer.

Fine ſeligo quatenus res ſunt aut Perſuaſibiles, aut Cognoſcibiles. Perſuaſibiles ſunt quæ ad actionem pertinent, & primariò Oratione tractari poſſunt. Cognoſcibiles in duplici ſunt differentia: Aut enim cognoſcuntur ratione ſuæ Eſſentiæ & naturæ ut ſpeculando veritatem conſequar; aut laudando præſtantiam æſtimem, aut cognoſcam.

Ad priorem conſiderationem, quæ eſt cognitio ſpeculativa, ſcientiam pariens, Rhetorica non pertinet, ſed Phyſica, Arithmetica, Muſica, Mathematica, Geometria, MetaPhyſica. Poſterior cognitio, ex laudatione præſtantiam monſtrans, ad Rhetoricam maximè ſpectat, & hac ratione laudis & vituperij omnes diſciplinæ Theoreticæ &

tica & quicquid in ijs continetur Orationibus tractari possunt. Propriè autem materiæ sumuntur ex disciplinis Practicis, Ethicâ, Politicâ, Historicâ, Theologicâ, Iurisprudentiâ, quod quilibet Rhetoricæ studiosus facilè intelligit.

CAPUT IV.

Præcepta de materiæ selectæ, ad Orationem differentia, & de verborum rebus convenientium generali consideratione.

INventa materia, consvetudinem opificum ulterius imitamur; qui materias distingvunt, & in quam partem hoc illudve collocare debeant, considerant. Sic postquam materiam inventam selegimus, differentiam illius perspicimus.

Materiarum autem variarum discretionem quomodo & ex quibus sibi comparare studiosi, quos autores in specie legere, quos seligere debeant prolixè & eleganter Iunius in Methodo Eloquentiæ à septimo usq; ad decimum tertium caput (ubi simul in hoc capite de locis communibus conscribendis agit) explicat, quo auditores remittens hoc saltem breviter addo, materias sumendas esse ex omnibus ijs Autoribus, qui suis scriptis humanam illustrant sapientiam, in calce præcedentis capitis nominatis, ex quibus sibi certos locos communes consignent.

Quoniam

Quoniam verò plurimi sunt locorum communium Autores, in quibus omnium rerum, testimonia, exempla, in promptu habemus. Itaq; Rhetorices studiosi distinguant materias; ut sciant quid ex artibus & disciplinis, tanquam materiam principalem, quid ex locis communibus, tanquam confirmantem, & ad certos locos inventionis collocandam, petere debeant, ut alia sit materia constituens ipsam Orationem, id est, principalis quæstio tractanda in Oratione, alia Confirmans, alia Amplificans.

Materia constituens ipsam Orationem, petitur ex sua arte, & disciplina, sive virtus aliqua, vel vitium, vel res quævis in Orationem venit: sive ex re ipsa aut historia, si factum aliquod se offert Oratione defendendum, aut accusandum, vel persona aliqua laudanda aut vituperanda. Quæ materia est aut Generalis aut Specialis, ut sequenti capite patet.

Materia confirmans primò quidem oritur ex ipsis artibus aut rei circumstantia & natura tamen proximè cognoscitur & disponitur in sua sede.

Si materia est generalis, tum ex generalibus locis Inventionis, sin specialis, tum ex Generibus Causarum sumitur, ubi considero: An ad cognitionem: An ad Actionem: An ad utrumq;

materia

materia pertineat: Si ad cognitionem; materia confirmans oritur ex Locis Personarum seu rerum, qui in Rhetoricis in Genere Demonstratiuo continentur. Sin ad Actionem; materiam sumo ex fontibus honesti, utilis, facilis, & contrariorum, qui sunt si quæstio infinita, in ipsis locis, si finita in Genere Deliberatiuo, si ad utrumq; in facto aliquo materia sumitur ex Causis, Circumstantijs, secundum status in Genere Iudiciali.

Ad hunc modum materiam confirmantem nobis comparamus, si sedes illas & fontes in generibus causarum cognitos habemus.

Materia Amplificans ipsam Orationem, comparatur & depromitur ex Locis Inventionis Rerum, in Dialecticis, qui in omnibus generibus locum habent, & illi sunt vel Principales, comprobantes simul materiam constituentem, Orationem, & sumuntur ex locis Generis, Speciei, Causarum, Effectuum: vel minus principales, amplificantes & augentes Orationem, ut sunt, Comparatorum, oppositorum, similium; his accedunt inartificiales testimoniorum & exemplorum Loci, & illa locorum materia sumitur ex locis Communibus ut Polyanthea, Zvvingeri Theatro, similibus Lycosthenis, Dradæi & aliorum, ex Apophtegmatis Plutarchi, Erasmi, ut præcedentium

Locorum



Locorum materia, ex ipsis artibus depromitur, quod in sequentibus docebimus.

Quem ordinem in cognoscendis materiis, si observent Rhetorices studiosi, si ita disponunt, & hos sibi comparaverint libros, vel alios minoris pretii, non est dubium quin rerum copiam in promptu sint habituri. Omnium autem materiarum cognitionem & dispositionem facilè acquirent, & sine ullo labore in usum Oratorium convertent, si studiosi Adolescentes se exerceant, in Tractatione quæstionum simplicium & thesium, de quibus omnibus in specie agemus in cap. 13. & 14.

Quod de materiarum copia comparanda in genere dixi, id de verborum quoq; copia intelligendum: ut enim non minus instrumentis eget opifex, qui à materia instructus est: Sic non minus verborum instrumentis opus habet, qui Orationem vult componere.

Præmitendum itaq; in genere quo stylo & quomodo verbis in loquendo & scribendo semper uti debeamus; in specie agemus quando ad caput octavum pervenerimus.

Quamvis autem verba in rebus ipsis nascantur, & rem prævisam non invitè sequantur, adeò ut res sine verbis nec esse nec cogitari possint; tamen verborum delectus, quo materiam splendidiorem & gratiorem reddimus, adhibendus.

Compara-

Comparamus autem copiam verborum facili ratione, si continuò nos exercemus in lingua latina: ut animi sensa in rebus omnibus exprimere possimus, & præsertim Elegantiæ studeamus Ciceronianæ, & copiosæ; nec assuescamus ad Genus dicendi in scribendo strictum, concisum, quale est Senecæ, Taciti, Lipsij, & aliorum ex Novitijs, qui hos imitantur. Luxurians enim stylus potius esse debet juvenum, qui paulatim, accedente ætate virili decrescat, & in quandam de rebus subjectis æqualitatem commutetur, ne verborum copia rem ipsam excedat. Ille autem stylus ad Oratoriam facultatem non est idoneus; sed elegans, jucundus in epistolis scribendis, cum magis proprietatem sermonis, jucunditatem, brevitatem, exhibeat, quam Oratoriam copiosam gravitatem præstet, & vocatur hoc Genus Laconicum. Quæ tamen eò non spectant, quasi ipsorum phrasibus & elegantijs omninò uti non debeamus. Faciunt enim ad jucunditatem, & delectationem auditorum, si parcè phrasibus & sententijs eorum utimur, dum non nimis sunt crebræ: ne, allegati ad hoc genus dicendi, flumen oratorium exsiccemus, & numerosam copiam verborum, quæ aures implet & animos occupat Auditorum, præcidamus. Præterea in verbis dignitatem maximè spectemus, si grandi genere dicendi utimur, adhibitis Metaphoricis, Meto-

nymicis

nymicis locutionibus: fugiamus tamen arrogantiam omnem & tumiditatem ingenij, ne Asiaticorum numero adscribamur. Quod genus Asiaticum ut devitemus, crebras & prolixas Metaphoras, quæ maximam partem Orationis consumunt inquibusq́; ostentatio ingenij se prodit, caveamus. Vitemus quoq; nimium prolixas periodos, longas circumlocutiones, verba quoq́; sublimia in rebus vilissimis adhibita, figuras affectuum in loco inconvenienti, de quibus capite 9. docebimus.

Illa autem generaliter præcepta præmittenda sunt, ut sciamus quibus regulis sermonem nostrum astringere debeamus

I. Vt linguæ proprietati studeamus, nec quæsvis verba pro quibusvis scribamus. Aut impropria vocabula rei alicui accommodemus.

II. Vt obsoleta, antiqua, obscura, barbara, ex diversis linguis composita, monstrosa vocabula, fugiamus.

III. Phrases vel nimis vulgares, germanismum redolentes, vel in culina natas, in sermonibus & scribendo, ut & obscuras, obsoletas, quales plurimæ sunt in Plauto, & alijs, vitemus.

IV. Vnius vocabuli vel phraseos licet elegãtis crebras iterationes in loquendo caveamus, quibus tædiosa redditur Oratio. Fit enim nonnunquam, ut multi certis delectentur Phrasibus, iisq; crebro, ut & vocabulis utantur, donec eis proferendis & scribendis non possit abstinere, unde in vitium ταυ]ολογίας facilè incurrunt.

V. Caveat

V. Caveat Oratoriæ studiosus sibi, ne aliquod vocabulum, vel etiam, Phrasin crebrò ita usurpet donec in habitum linguæ abeat, ut etiam inscius crebrò inserat orationi. Quod etiam de gemitu, de quocunque sono intelligendum, quibus Orationem vel concionem tædiosam reddunt multi, de quibus in sequentibus.

CAPUT V.

Propositionum Considerationem & Differentiam generalem docet.

IN disciplina hac Instrumentaria imitaturos nos diximus praxin opificum: ut itaq; illi, selectis ad opus propositum materiis, formæ partes præparant, fabricant, explicant, ad structuram totius necessarias: tandem singulis optimè paratis, quid primum, quid medium, quid ultimum perpendunt; & deniq; ex singularum partium combinatione, & compositione, totum sibi opus propositum extruunt: Sic nos selectis orationum materiis, Praxi Rhetoricæ idoneis, singulas materiæ partes considerabimus, præparabimus, elaborabimus; ut tandem totum componamus.

Est autem opifici, alia pars principalis seu fundamentum totius. Alia Minus principalis, sine qua totum, vel constare non possit, vel non ita splendidum existat. Sic in Oratione, alia pars est Principalis, propositio, & fundamentum, quæ est totius Orationis status, & syllogismus primarius, ad quem omnes reliqui diriguntur. Alia minus principalis, probans, confirmans & roborans propo-

sitionem; vel etiam ornans. Principalis quæstio, quæ oratione tractanda venit est vel simplex, ut cum de uno quæritur, ut: quid sit Iustitia, quid sit Pietas. *Vel conjuncta, cùm de tota Oratione quæritur*, Sitnè justitia colenda, Sitne bellum gerendum? *Sic partibus materiæ distinctis, considerandum quam formam utriq; addere Propositioni tam simplici, quàm cõjunctæ, velimus. Simplicem quidem rem una parte constantem, simpliciter formant opifices. Compositam autem ex multis partibus, à partium fabricatione incipientes perficiunt. Sic Oratores quæstionem simplicem simpliciter explicant, & illustrant, de quo ejusq; instrumentis in cap. 13. Compositam suis partibus probant, comprobant, exaggerant, de qua in cap. 14. Sicut autem opifex iisdem utitur instrumentis, quibus utramq; materiam fabricat: sic quoq; Orator iisdem utitur instrumentis in tractanda quæstione simplici, & conjuncta, cum discrimine tamen, ut in sequentibus demonstrabitur.*

CAPUT VI.

Propositionum, Dispositionum, Ratione terminorum docet, & instrumentorum quibus Oratio formatur, distinctionem explicat.

ANtequam opifex adhibeat instrumenta, in officina materiam sumit, vertit, invertitq;, disponit, perpenditque, ubi & commodè incipere debeat; quæ instrumenta primò adhibeat, An sit materia crassa, sit magna nimis; sic quoque Orator antequam instrumenta adhibeat

Propositione simpliciter considerata (ut hic consideramus non applicatam ad certum genus causæ) perpendit, cujus sit quantitatis, quamq; dispositionem habere debeat. Videamus itaq; in hoc capite propositionum quantitatem & dispositionem, ut in sequentibus sciamus quomodo & quibus amplificationem adhibere possimus.

Quantitas in eo consistit, ut alia dicatur Universalis, alia Particularis, seu indefinita, alia definita: illa thesis, hæc hypothesis dicitur. De simplici quæstione hic mentio nulla fit, quia illa non dispositionem terminorum, sed ordinis tantum requirit modum.

Post hanc considerationem Propositionum qualemcunq; disponendæ sunt ad formam syllogisticam, vel. quod est frequētius, Enthymematicā, ad quam redigenda omnis propositio, secundum modum in Logicis propositum, & in cap. 14. proponendum.

In Rhetoricis autem monstrant medium terminum instrumenta communia, quæ opus orationum format. Genus, Species, causa efficiens, præsertim autē Impulsiva & Finalis, & quæ hæc sequuntur, Accidentia; similia, cognata, opposita, exempla

& testimonia. Vbi notandum quoq; quod quilibet syllogismus suos habet Prosyllogismos, probantes majorem & minorem, propositiones, & conclusionem illustrantes.

Hæc propterea Generaliter præmonenda fuerunt, ut de ordine terminorum & dispositione Syllogistica eo magis præcepta observarent studiosi: & statim in vestibulo viderent, quanta logicæ sit necessitas in Rhetorica. Non enim semper vel adhibēt syllogismum integrum Oratores: vel ordinem Logicum perpetuò servant. Vtuntur autem Enthymemate frequentius, id'q; propter sequentes causas.

1. Quia Rhetor versatur aliquando circa contingentia futura persuadenda, in quibus firmiter syllogisticâ formâ concludere non possumus, si præsertim argumentamur ab effectu, qui semper non sequitur.

2. Versatur circa falsa aliquando, verisimilia, aut probabiliter vera, in quibus, si argumentaretur syllogismo, falsitas appareret.

3. Quia Orator aliquando circa minus honesta, vel excusanda, vel defendenda occupatur, in quibus syllogistica forma non debet adhiberi.

4. Deniq; quia Rhetori non est proposita simplex veritas, ut Logico, sed persuasio ad quam sufficit Enthymematica forma.

Omittit itaq; aliquando maiorem.

1. Si in maiore non est insignis locus communis & sententia, quæ afficiat auditores.

2. Si notior est auditoribus, quam ut egeat amplificatione, & illustratione.

3. Si

3. Si Maior falsa est.
4. Si oratio multitudine propositionum & argumentorum abundat. Maior enim, quia Generalis, est Propositio ad digressionis figuram relata, maximè auget & amplificat Orationem: Si itaq; in Oratione crebro est adhibenda, in immensum excresceret, & auditores à proposito abduceret.
5. In illis materijs, quae certissimae sunt & manifestissimae, & arduae, ubi volumus potius Auditores astringere ad causam, quam digressionibus ad alia abducere, praesertim si nobis non dicendi spacium, & tempus longum conceditur.
6. Minor verò nunquam omitti potest: quia hypothesis est in oratione, ad quam semper descendimus: imò quam probandam nobis proponimus; sive illa explicitè: sive implicitè ponatur, & cum conclusione coniungatur, nisi quod aliquando in minimè veris & honestis eam transeamus vel leviter tangamus, ut Cicero pro Milone maiorem, quod vim vi repellere liceat, egregie tractat, quod vero Miloni Clodius vim fecerit leviter attingit. In laudationibus verô minor praecipuè amplificatur & extollitur. In infinitis quaestionibus nunquam, sive principalis, sive minus principalis sit, omittitur, ob praedictam causam. Conclusio quoq; nunquam omitti potest, quia in illa consistit maxima persuadendi vis, in quam praecipuum artificium commovendi auditorum animos conferendum.

Potest tamen etiam integer adhiberi syllogismus, in illis, ubi necessitas requirit tractare ali, quem locum communem, ubi'q; tanta argumento

rum copia non est, & præsertim in petitionibus deprecationibus, & in illis omnibus quæ misericordiam aliquam requirunt.

De prosyllogismis autem notandum, quod plerumque una propositione adhibeatur, vel aliquando forma Enthymematica.

Postquam ad hunc modum vel Enthymema vel syllogismum formavimus, tria sunt consideranda. 1. Propositionum positus. 2. Connexio. 3. Amplificatio.

Collatio non semper est Logica; sed in Enthymemate, duplex prout duæ sunt propositiones; In syllogismo multiplici modo invertitur.

Aliquando enim primo loco conclusio ponitur, 2. Major. 3. Minor, ut: nullus est qui non laudet in hominum societate, & magnifaciat Iustitiam, cum nemo inter sapientes inficias eat, virtutes laudandas esse, Iustitia autem virtus est maxima.

Aliquando 1. Minor 2. Conclusio, 3. Major, ut: Nemo est adeò in foro Ethico hospes peregrinus, qui non Iustitiam virtutem omnium maximam esse novit, Propterea q; laudem præcipuam mereri, cum omnium Philosophorum consensu virtus laudem mereatur maximam.

Aliquando 1. Major 2. Conclusio 3. Minor, ut: Inter omnia quæ humana mens laudanda

esse judicat, virtus omnium maximam meretur laudem. Quis igitur Iustitiam non laudaret? *Logicus ordo autem raro observatur, quem tamen suo judicio quilibet servare potest.*

Secundò est Connexio quæ logicam argumentationem occultare debet. Vt enim Oratoris est omnem dispositionem & Orationum artificium dissimulare: sic præcipuè formam Argumentandi syllogisticam. Non itaq;, nisi causa aliam rationem postulet, per Ergò, igitur, simpliciter concludendus est syllogismus, de quibus connectendi particulis infra cap. 10. docebimus.

Tertiò de Amplificatione syllogismi observandum Generaliter, ne nudus sit syllogismus in oratione, sed vel maxima verborum copia illustratus, vel prosyllogismorum numero stipatus. In hoc enim maximè differt Rhetorica à Logica, quia hæc nudè: illa copiose cum maxima verborum copia, suas proponit argumentationes.

Altera hujus capitis pars est: ut instrumenta consideremus, opifices imitati. Vt enim illi operi extruendo & formando multa & varia instrumenta adhibent: Sic quoq; Oratorem multa & varia instrumenta adhibere necesse est, qui elegantem & artificiosam orationem componere vult.

Dicimus autem instrumenta, modos & rationem, quibus orationem ipsam tractamus, & ad præ-

scriptum dispositionis eandem formamus. Et primo quidem compositurus Orationem, data propositione generali seu statu orationis, necesse est; ut tam integram principalem propositionem proponat; quam minus principales explicet: ut quid velit auditores intelligant.

2. *Simul incumbit Oratori: ut roboret seu confirmet, & orationi suæ fidem faciat, ut oratio simul crescat, & dilatetur argumentis.*

3. *Opus est, ut non modo proponat vulgari modo; sed ornatum addat, & splendore summo orationem suam illustret.*

4. *Requiritur quoq; quia auditorum gratia orationem instituit, ut persuadeat, ut moveat in oratione artificiose animos; quo, quem intendit, finem consequatur, alias frustra perorat.*

5. *Vt autem oratio gratiam mereatur, necesse est, ut sit & elegantèr conscripta & artificiosè combinata, ut non sit deorta, hiulca & quasi in multas partes dissecta, sed conformis, elegans, & unum quasi corpus, quod fit eleganti connexione.*

Ex qua distinctione oriuntur.

1. *Instrumenta explicantia.*
2. *Probantia & dilatantia ipsam orationem.*
3. *Ornantia.*
4. *Affectus moventia.*
5. *Connectentia.*

Notam

Notandum autem probe, quod eadem instrumenta sint explicantia, & probantia, si considero ratione diversarum materiarū, simplex enim quæstio, cum nihil sua natura admittat: nisi explicationem; loci inventionis, de quibus in cap. 7. & 13. eidem inserviunt. Quæstio verò coniuncta cum sua natura probationem exposcat, eadem inventionis instrumenta probationi etiam inserviunt. Sin verò ratione materiæ compositæ seu cōiunctæ quæstionis considero, tum dicuntur quædam probantia, simpliciter, quædam illustrantia: ut in sequenti capite cognoscemus.

CAPUT VII.

Instrumenta, seu Modos fidem facientes, & probantes, simulq; amplificantes propositionem & augentes Orationem proponit.

Tabula Generalis hujus Capitis.

Instrumēta probātia & oratione augentia sunt
- Artificialia, quæ sūt aut
  - Principalia
    - Definitio,
    - Genus, Species,
    - Causa impulsiva,
    - Instrumentalis,
    - Effectus,
  - Minus principalia.
    - Divisio,
    - Comparata,
    - Opposita,
    - Adjuncta,
    - Contraria,
    - Antecedentia,
    - Consequentia,
- Inartificialia, quæ sunt aut
  - Probans Testimonium.
  - Confirmans exemplum.

De his omnibus videantur tabulæ speciales.

DIsposita propositione elaboranda, & formanda, distinctisq; instrumentis oratorijs; proximum est, ut monstremus instrumenta eadem, ingressuri cum opificibus officinam: Sicut enim illi Tyronibus suæ artis, post dispositam materiam, aptaq; instrumenta inventa, proponere, eorumq; usum & compendiosam applicationem monstrare, & quasi manum primam ducere solent; ut eò meliùs modum fabricandi & elaborandi capiant: Sic nos in officina Rhetorica instrumenta proximè monstrabimus.

Sunt autem illa instrumenta, vel amplificantia ad quantitatem, vel adornatum secundum externam figuram, vel ad qualitatem & motum internum, vel deniq; ad connexionem.

De Instrumentis fidem facientibus & augentibus propositionem & orationem in hoc capite videbimus.

Sunt autem ea instrumenta vel principalia, vel minus principalia.

Principalia sunt, quæ simul probant, ut sunt: Definitio, Genus & Species, causa & effectus: *Minus principalia sunt, quæ explicant & illustrant, ut sunt* partes in loco divisionis, antecedentia, consequentia, comparata, opposita, contraria, *quæ artificialia nominantur à Rhetoribus, & intrinseca in Topicis à Cicerone, his accedunt inartificialia, & extrinseca ibidem, dicta Testimonia & Exempla.*

DE

DE DEFINITIONE

Tabula.

In definitione duo considerantur.

- Definitio, quæ est
  - Nominis
  - Rei, quæ rursus duplex
    - 1. Eorum quæ sunt, id est, substantiarum.
    - 2. Eorum quæ intelliguntur, id est, Accidentium.
- Usus definitionis
  - Nominis in
    - 1. Genere Didascalico ad explicationem.
    - 2. Genere Demonstrativo.
    - 3. Genere Iudiciali.
    - 4. In digressionibus.
  - Rei in
    - 1. Genere Didascalicalico.
    - 2. Genere Demonstrativo.
    - 3. Genere Iudiciali.

Definitionem definit Cicero, quod sit, quæ alicujus rei proprias complectitur partes, breviter & dilucidè, cujus usum monstrat quoq;, dum alibi inquit; quod adhibeatur ad totum, quæ quasi involutum evolvat.

Est autem duplex: In voce & in re.

In vocabulo vocatur definitio Nominis, seu Etymologia, seu notatio, de qua non laborandum, ut Cicero inquit, cum intelligitur quid sit.

Eius usus est in Genere Didascalico, in explicatione nominis, quò vulgatum illud Ciceronis pertinet, omnem tractationem à definitione proficisci debere, ut intelligatur, quid sit res, de qua agatur.

Secundò

Secundò, In Genere Demonstrativo, si in alicuius rei vel personæ, quam laudamus, vel vituperamus, nomine aliqua vis ineſt, ut inde laudis aut vituperij argumēta depromi poſsint: ut exēp. gratia: *Si aliqua Regio, aliqua Vrbs, aliqua Persona, à loci amœnitate, situ, fertilitate, à re geſta, ab eventu, aut alia nobili Etymologia, vel contra, nomen accepit: ubi commodè ad nomen illud alludere & argumenta in orationem desumere poſſumus.*

Tertiò, Præcipuè in genere Iudiciali, ubi de ſcripto & ſententia legis agitur, & in vocabulis quædam ambiguitas eſt, vel ubi Adverſarius in vocabulo ludit, & ut Cicero inquit: *Si quæratur idemne ſit pertinacia, an perſeverantia* Sic Cicero explicat pro Q. Roſc: Comœdo: *Quid ſit judicium, quid arbitrium: quod judicium ſit rei certæ, arbitrium rei incertæ.*

Quartò: In quibuscunque digreſsionibus quoque locum habet, ubi ab hypotheſi ad theſin aſcendimus, & illam prolixè extendere cupimus, ibi opus habemus Rhetoricis deſcriptionibus, iſtius loci *Communis.*

Definitio Rei ſecundum Ciceronem eſt duplex: Altera eorum quæ ſunt: Altera eorum quæ intelliguntur: Illa eſt ſubſtantiarum, quæ per ſe ſubſiſtunt: hæc Accidentium, quæ animo concipiuntur, ſeu ratione formantur, ut ſunt Uſucapio, ſervitus.

Subſtantiarum definitionem non ſæpè, dicit, adhibere Oratores: Ratio eſt: quia Oratoris non eſt

est naturam & formas substantiarum inquirere, quod Physici est, & ad scientiam pertinet.

II. Quia substantiæ non incurrunt in Orationem, nisi per suas actiones, id est, Accidentia quæ definiuntur; sicut nec in oculos nisi per qualitates.

Accidentium itaq; definitiones, id est, actionum, & operationum, seu usus, alicujus rei descriptiones, ad Rhetoricam principaliter pertinent.

Vsum autem habet hæc definitiò. 1. In quæstionibus indefinitis, ubi primum argumentum ducimus à definitione utraq; idq; tam in simplicibus quàm in coniunctis.

2. Vsum habet elegantem descriptio Rhetorica, mirificè ad augendam & ornandam orationem, movendosq; affectus faciens, in quacunq; parte orationis, cuiuscunq; quæstionis, tam infinitæ, quam, finitæ: quando nimirum pro uno vocabulo definitionem, vel, proposito nostro aptam, & convenientem descriptionem ponimus. Crebrò autem eius usus est in conclusionibus, ut in formulis & peroratione videre licet.

3. In genere Demonstrativo, quod est descriptio rei vel personæ Rhetorica, ut suo loco videbimus.

4. In genere Iudiciali, in statu Definitivo, ubi aliquid definitur. Quod instrumentum cum pertineat ad certas materias infrà tractandas, hic breviores sumus: hoc tantum addentes, quod defi-

nitio

nitio Rhetorica à Logica in hoc differt: quod illâ contra quam hæc, prolixo verborum numero, & elegan- splendore proponatur, ut infra.

DE GENERE ET SPECIE.

Tabula Generis & Speciei summam exhibens.

- *Hoc loco utimur in quæstionibus directis ad*
  - Cognitionem, quæ est aut
    - Quid sit, ubi
      - Genus ad probādam speciem minimùm valet; plurimùm ad refellendam.
      - Species firmam habet probationem, infirmam refutationem.
    - Quale sit, ubi argumētū à
      - Proprio
      - Adjunctis
      - fitq; amplificatio enumeratione
        - Specierū,
        - Partium,
        - Comparationis,
        - &c.
  - Actionem, ubi ratione propositionis ascendo
    - ad Genus à Specie
    - &
    - ab Individuo ad Speciem
    - Et vocatur Digressio, quæ fit vel
      - Strictim, si generalem propositionē summatim addo.
      - Prolixè, si addo descriptionem in Rhetoricam, causas, effecta, &c.

Secundum instrumentum Probationis & amplificationis est; quando vel à genere, vel à specie argumentamur: tum necesse est; ut consideremus materiam, & finem Orationis, qui est, aut cognitio, aut actio.

Si cognitio est, aut est quid sit; aut Quale sit, Quid sit: confirmationem sumo à definitione, amplifico

plifico & comprobo à loco Generis vel Speciei, de qua argumentatione. & probatione agit Quintilianus lib 5. Institut: Orator: c. 10. cujus nos verba, & medium subijcimus.

Ducuntur argumenta à Genere, Specie, Differentia, Proprio.

Genus ad probandam speciem minimùm valet; plurimùm ad refellendam. Itaq; non quia est arbor, Platanus est: atq; quod non est arbor, utiq; Platanus non est: quod non est virtus, utiq; non potest esse justitia. Itaq; à Genere perveniendum ad ultimam speciem: si scilicet probare aliquid à genere volumus necesse est, ut in ultima specie differentiam quæramus, unde species illa, cum genere rem definire vel describere poßit: ut homo est animal, non est satis (id enim est genus) mortale: *etiamsi species est, cum alijs communis, finitio: Rationale; nihil supererit, ad demonstrandum id quod velis. Contrà species firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam quod justicia est, utiq; virtus est, quod non est justitia; potest esse virtus; ut sit fortitudo, &c. Nunquam itaq; à specie tollitur genus; nisi omnes species, quæ sunt generi subjectæ, removeantur.*

Quæ argumentatio, quoniam essentiam ipsam probat, & veritatem spectat, ad Logicam pertinet. Itaq; in Rhetoricis est rarior: nisi aliquando

quando ad naturam alicuius probādam adhibeatur, ad definitionem pertinet, & non adhibetur nisi ab ijs, qui in Logicis probè sunt versati: propterea nihil amplius addimus.

1. *Quale sit id de quo quæstio nobis proposita est, tum ut eo loci habet Quintilianus, argumentamur, à proprio, aut adjuncto, quæ propius ad Rhetoricam accedit, cum ex qualitate alicujus rei, moveamur ad aliquid, cujus probationis seu confirmationis amplificatio fit per enumerationem specierum seu partium, per comparationem, per contraria, per similia, quod infra patebit in cap. 14.*

2. *Si finis est actio tum hic locus probationis seu amplificationis est, quo à proposita propositione digredior, & ascendo ad genus à specie, ad hanc ab Individuo: (quod intelligendum de prædicatione Logicâ, ad quam à subjecto ad Genus proximum ascendimus, sicut in argumentatione quæstionis quid sit, sed de quocunque communiori, quod Genus commune dicere possumus, ut Cicero in Topicis inquit; dummodo supra sit, quod sumitur, quam id ad quod sumitur:) propositio specialis, vel singularis.*

3. *Id fit, si propositione argumentando ad majorem ascendo, & vocatur hæc amplificatio Translatio hypothesis ad Thesin, seu digressio, vel locus communis.*

Tracto autem in Oratione hanc amplificationem vel breviter, & strictim, id fit, si generali saltem sententia propositionem orno, ut: si hortor; ut aliquis pauperi huic benefaciat, thesin strictim addo: quia pauperibus succurere est opus misericordiæ.

Quæ amplificatio stricta adhibetur in epistolis, vel colloquijs, vel brevioribus sermonibus, vel denique apud *doctos*.

Vel prolixè tracto, id fit quando ad digressionem seu locum communem accedo, in Oratione per descriptionem Rhetoricam, per causas, & effecta ἐπιφωνήματα: *ut: si prædictam thesin in Oratione, per digressionem amplificare volo, primò describo, quid sit benefacere pauperibus, nempe in omnibus necessitatibus succurere, re & consilio juvare. 2. Causam addo impulsivam, mandatum DEI, charitatem proximi. 3. Effecta, ut præmia divina, &c. 4.* ἐπιφώνημα *adjungo, id est: Eximiam aliquam sententiam.*

Hæc forma amplificandi adhibetur in Orationibus, eo loco, ubi maior propositio adhiberi potest, de quo in præcedenti capite dictum est. Habemus autem exemplum huius formæ præclarum, in Oratione pro Archia Poeta, ubi à studijs Poeticis Archiæ, ad locum communem, de præstantia studiorum, digreditur. Qui locus studiosis Rhetorices commendatus esse debet.

In omni autem digressione notandum.

1. Quod non omnia membra, quæ in tractatione loci communis adhibentur, in digressione in aliqua Oratione adhiberi solent, sed quæ maximè

videntur iudicio Oratoris ad rem præsentem pertinere.

2. Quod digressio non debeat esse peregrina, ex alieno ascita, & quasi crinibus attracta, sed ex propositione nata.

3. Non debet esse obscura, quæ propositionem intricatam reddat, sed quæ magis illustret, fidem'que apud Auditores conciliet.

4. Ne nimis sit crebra, quod quomodo caveri possit, & cur in præcedenti Capite de maiori & minori propositione dictum est.

5. Ne nimis sit longa, ne auditores ab Orationis propositione, & materia abducantur, & intricentur, ut ex ijs quæ principaliter proposita erant, se expedire non possint, quod vitium reprehenditur in multis pastoribus.

6. Commodam debet habere regressionem, seu applicationem, ut, sicut digressio ex Propositione orta, ita ex regressione sequens argumentum natum videatur, ut inquit Cicero lib. 3. de Oratore: *In qua cum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus & concinnus esse debet.*

Locum habet digressio non in explicatione, sed probatione potissimum, in omnibus causarum generibus, & in ijs partibus quæ aliquid confirmant vel confutant, ubi persuademus, non ubi docemus.

In Exordio itaq; locum tum habet:

1. Quando à thesi exordimur, & ad hypothesin, propositionem nimirum præsentis Orationis descendimus; quia Exordij munus est, & attentionem, docilis-

docilitatem & benevolentiam comparare, quod fit per præsentis materiæ vel personarum commendationem, non per generalem loci communis tractationem.

2. Si locum habet in petitione, ut benevolentiam exhibeant auditores, stricta illa est & brevis, hinc Cicero lib. 2. de Orat: inquit: Proprius est locus in exordiendo & perorando digredi.

In Narratione locum non habet; quia ea perspicuè & breviter causæ summam exponit; nisi in genere Demonstrativo, quæ est perpetua & copiosa personæ vel rei narratio.

In Peroratione quoq;, quoniam illa constat facti, & argumentorum repetitione, adhortatione, petitione, execratione: quæ omnia ad speciem & præsentem materiam dirigenda sunt, per apostrophen, exclamationem, interrogationes: tùm tantum locum habet, quando adhortationem generalem instituimus, & eandem ad quæstionem nostram applicamus, & quando adhortationibus, & petitionibus generali sententiâ concludere voluimus. Quæ omnia indicabit Orator.

In duabus itaq; Orationis partibus principalibus, Confirmatione & Confutatione locum habet. In illis enim tota vis persuadendi consistit, ut Cicero scribit lib. 2. de Orat: vel narratione exposita,

ſæpè datur ad commovendos animos digrediendi locus, vel argumentis noſtris confirmatis vel contrarijs refutatis, vel utroq; loco, vel omnibus, ſi habet cum cauſa dignitatem atq; copiam rectè id fieri poteſt.

Vſus huius amplificationis per digreſsionem eſt.

1. Vt auditores orationis & materiæ præſentis vim & efficaciam videant, quæ generali ſententia includatur, & magis moveantur, ſibiq; perſvaderi patiantur, ut Cicero lib. 3. de Oratore habet: commemoratio una multum permovet & illuſtris explanatio. Vt ſi dico in Oratione: *Deum ebrietatem punire, magis moventur, ſi ad locum communem digrediens, Deum omnibus peccatis etiam minimis iraſci, illisq; pœnas minitari aſſero: Si præſertim illam digreſsionem amplifico generali teſtimonio, unde auditores concludant: Ergò multò magis huic quoq; vitio pœnas irrogabit.*

2. Vt ſciamus ubi & quando ſententias & teſtimonia generalia in Orationem inſerere debeamus, nempè, ad locum communem, qui facit Orationem abundantem, & ornatam ſententijs. Non enim adhibemus generalia dicta, & ſententias, niſi ad generalem propoſitionem, quæ eſt in digreſsionibus.

3. Vt fœcunditate & copia rerum Orationis noſtræ delectentur auditores, nec unius rei perpetua repetitione & tractatione tædium capiant, & præſertim in genere Demonſtrativo, *ubi aliquid deſcribimus.*

DE

DE CAUSIS EFFICIENTIBUS.

Tabula Causarum efficientium, & producentium aliquod factum distinctionem exhibens.

- *Causa est vel*
  - Impulsiva, quæ est vel
    - Interna, quæ duplex est una
      - sine ratione &ratiotinatione ex affectu
        - iracundiæ,
        - amoris,
        - insaniæ,
        - ægritudinis.
      - cū ratione, ex cōsilio quę cōsideratur in causa
        - bona
          - Benefaciēdi
            - misericordia vel alia causa.
          - Petendi
            - ex necessitate,
            - vel alia causa.
        - mala, cum nobis benè, alijs malè facere cupimus, ex utilitate, cupiditate ulciscendi.
    - Externa, quæ aliunde accedit, & movet bono
      - Publico
      - Privato
      - oritur ex
        - necessitate
        - honestate
        - utilitate
        - rei alicujus
    - vel
  - Instrumētalis, quæ est aut in
    - Substantijs, estq; aut
      - Proxima vel immediata, cum vel
        - ipse instrumento aliquo ago: ut interficio cultro, &.
        - Canem vel aliud irrationale adhibeo.
      - Remota vel mediata
        - quando aliquem ad facinus perpetrandum conduco, & ut faciat jubeo.
    - Accidentibus & tum dicitur modus agēdi.

Usus explicationi subjectus est perspicuus.

Causarum doctrina in omni genere vitæ amplissima est, & omnibus artibus maximum lumen addit, ut sciamus, unde, & quomodo quodvis ortum, ad quem finem sit destinatum. Itaq; in Logicis plurimæ enumerantur causarum divisiones, ex quibus, cum Rhetorica sit instrumentum practicarum disciplinarum, quo hominum animos ad aliquid faciendum vel fugiendum movemus, illæ causæ præcipuè ad Rhetoricam pertinent, quæ voluntatem movent, quæq; facultatem addunt, quales sunt impulsivæ vel instrumentales. Cæteræ causæ locum habent ubi simpliciter informamus, & explicamus, (puta in quæstionibus ad cognitionem essentiæ directis) non rogamus, aut persuademus. De reliquis itaq;, cum ex Logicis plenissimè constent, nihil dicturi, tantum impulsivas & instrumentales perpendemus. Hoc potissimum diligentissimè admonendi sunt studiosi Oratoriæ; ut divisionem causarum efficientium in Philippo, vel alijs propositam & explicatam, cognoscant; exinde enim judicium de causis in oratione cum judicio adhibendis crescit.

Impulsiva quæ ad aliquid agendum impellit, est vel interna vel externa.

Illam cum Cicerone duplicem statuimus: unam, quæ sine ratiocinatione, solo impetu affectuum fit; alteram, quæ cum ratiocinatione.

Illa sine

Illa sine consilio ex affectibus proficiscitur, seu ut Cicero inquit; quæ sine cogitatione per quandam affectionem facere aliquid hortatur; ut sunt, amor, iracundia, ægritudo, insania, violentia, & omnia in quibus animus ita videtur affectus fuisse; ut rem perspicere cum consilio & cura non potuerit.

Hæc ex ratione & consilio proficiscitur, quæ dicitur causa impulsiva, interna, quia principium habet in cupiditate, & libidine rationis humanæ, licet externam habeat afficientem, non tamen moventem, quæ dicitur à Cicerone diligens & considerata aliquid faciendi aut non faciendi excogitatio: seu cum aliquis certa de causa aut fecisse aut vitasse videtur.

Quæ causa impulsiva consideratur aut in bonis aut in malis.

In bonis, cum commoventur homines ad beneficium vel conferendum vel petendum: Illic est amor, benevolentia, misericordia, gratia: hic necessitas.

In malis, cùm nobis benè, aliis malè facere cupimus, vel saltem ut animum expleamus, quæ oritur ex utilitate & cupiditate, ut avaritia: ulciscendi cupiditate.

Externa causa est, quæ aliunde accedit, & movet

movet, & est ex bono, vel publico, vel privato, quod ad aliquid faciendum vel non faciendum impellit, & oritur vel necessitate, vel honestate, vel utilitate.

DE CAUSIS IMPULSIVIS notandum.

1. Quod simul maximè confirment, & augeant Orationem: ideoq; in Propositionibus dubijs diligenter conquirendæ, quæ fidem faciant Orationi nostræ.

2. Ne tamen nimis solliciti simus de causis impulsivis, in omnibus propositionibus minus principalibus: sed aliquando causam impulsivam omittentes, à remotione eiusdem amplificationem sumimus: quod nulla causa adductus, sua sponte fecerit, hoc vel illud; ubi addatur collatio illorum, quod laudem mereantur, qui adducti rationibus benefaciant: Ergò multo maiorem, qui nulla causa adductus aliquid fecerit. Sic quoq; in contrarijs, qui malè fecit, aliquando ab effectu unam: alteram à causa impulsiva propositionem amplificamus, vel utramq; coniungimus, ut variatio fiat.

3. Ut causas impulsivas occultemus vocabulis, nec expressè nominemus, hæc vel illa est causa, hæc prima, illa secunda, &c. Summum enim artificium est, Rhetoricum artificium dissimulare.

4. In Oratione propositionis minus principalis adhiberi causas internas, nec id semper omnes, sed vel unam atq; alteram, prout requirit materia

& de-

& decorum orationis, & personæ dignitas; præsertim in petitionibus, gratiarum actionibus, exempli gratia: *Quando ad gratiarum actiones pervenimus, si tum satis est, si unam causam impulsivam, aut strictim alteram allegemus, propter quas nobis benefecerit aliquis. Ea est, vel petitio nostra, vel amor in nos, vel alia.* Si petimus, illas causas adhibemus, quæ sunt sufficientes & nobis honorificæ, licet aliarum causarum nobis simus conscij. Itaq; multi fingunt honestatis causas, quas tamen non habent in rei veritate. Illud enim speciem haberet adulationis, fingere causas, cum nemo alterius animum cognoscat. In adhortationibus autem & dehortationibus, in causis impulsivis magis solliciti esse debemus.

5. Notandum causas impulsivas internas sine ratiocinatione locum habere in Genere Iudiciali, statu Coniecturali, & plerumq; defensori incumbere, qui monstret eodem modo factum aliquid esse.

6. Cum ratiocinatione quoq; causæ internæ in malis, ad Genus Iudiciale pertinent: In bonis in Genere Deliberativo, ad petitiones, Gratiarum actiones, causæ internæ pertinent.

7. Externæ autem causæ impulsivæ, quæstioni principali in Genere Deliberativo, sedem præbent, non tanquam instrumentum, sed tanquam materia, quò etiam hæc tractatio reservanda.

8. Ad Genus Demonstrativum verò causæ impulsivæ non pertinent, quia non ad actionem, sed præstantiæ cognitionem hoc genus facit, nisi secundariò figurâ digressionis. ut si quis res gestas

personarum recense, & per digressionem ad causas istarum rerum dilabitur.

Ad Genus Didascalicum quoque referri possunt, in explicatione rei, ubi causa efficiens alicuius rei, in Genere Deliberatiuo est impulsiva, ut institutio divina, in Genere Didascalico est causa efficiens cõiugij; In Deliberativo est causa impulsiva. Nam impulsiva ad efficientem quoque refertur. Vt autem ad suasiones in quæstionibus finitis; ita etiam in infinitis maximũ habet locum; ubi à causis impulsivis tàm Externis quàm Internis, argumenta sumimus, ut aliquid faciamus, exempli gratia, virtuti operam navemus.

In partibus Orationis causa impulsiva locum habet in Exordio, ubi causam reddimus, cur provinciam dicendi susceperimus. In Narrationibus semper locum non habet, nisi ubi causæ sunt manifestæ, aut probabiles. In genere Iudiciali, utpote in statu Iuredicialі, ubi & factum & facti causas narramus. Præcipuum autem locum habet in Confirmatione & Confutatione. In Peroratione quoque, (quia magna vis persuadendi inest in causis impulsivis) figuris affectuum acrioribus, causas impulsivas repetimus & inculcamus.

Vsus huius instrumenti maximè est ad augendam & movendam Orationem, & persuadendum. *Magis enim movet auditores, si de beneficijs Christi verba faciens, non dico tantum, ea talia esse, quæ nullius hominis lingua exprimere potest, illudq́ dicto confirmo, sed addo etiam causam illa ex misericordia divina profecta esse, sine ulla externa causa, sine nostro merito, &c.*

Instru-

Instrumentalis causa est, qua aliquid fit, seu etiam, qua aliquid applicatur, quaq; adjuvatur, qua tam varia est, ut est quodvis quo aliquid perpetratur.

Ea est aut in Substantijs, aut Accidentibus.

In substantijs aut est proxima aut remota.

Proxima est qua aliquid ipse perpetro, ut: cultro, veneno, gladio, vel quocunq; instrumento alicui damnum infero, sive applicem manum sive non, vel etiamsi animal irrationale, ut canem, equum adhibeo, quia nihil hic intercedit, aut rationis aut consilij, quo per alium illud factum videatur.

Remota est quando aliquem ad facinus perpetrandum conduco, ut, servum, ancillam, peregrinum. Ad hanc causam etiam pertinet Adjuvans, qua quis adiutus facinus perpetravit.

In actionibus seu Accidentibus dicitur & consideratur Modus, quo aliquid applicatur, ut Deus instrumenta habet, quibus nobis obsignat suam gratiam, verbum & Sacramenta. Nos qui beneficia CHRISTI arripimus & nobis applicamus, fidem, quæ est instar manus. Sic in discendis artibus est bonitas ingenij, quâ menti nostræ applicamus & ingerimus easdem, quæ etiam causa adjuvans dicitur ipsam doctri-

nam.

nam, & causa instrumentalis arripiens ipsa præcepta.

Istæ, scilicet in substãtialibus, locum habent amplissimum in Genere Iudiciali, in statu Coniecturali, ad demonstrandam facultatem. Instrumentalis enim causa proxima est, per quam factum ipsum committitur: *ut videmus in Oratione Miloniana, quomodo instrumentales causas exaggerat, contra Clodianos Cicero.*

Est verò earundem locus in Narratione, qua exponimus, quomodo & per quos aliquid factum sit: *ut in Orat: Milon: narrat per servos, qui in dominum fideles fuêre, cædem factam esse.* Deinde in Confirmatione, ubi easdem probat.

Instrumẽtales causæ Accidẽtium locum habẽt in genere Deliberativo, in svasionibus, ubi suademus aliquid faciẽdum, argumẽtum ab instrumẽtis commodè sumit, quæ causæ ad facultatẽ pertinent. Deinde in adhortationibus, ut, cum aliquid faciendum vel fugiendum dicimus, quod nobis offertur, postquam causas impulsivas exornavimus, & instrumentales adducimus: *ut cum Concionator de misericordia DEI, de meritis Christi verba facit eorumq; magnitudinẽ ex causis impulsivis exaggeravit: Tandem addit Instrumentalem, verbum, Sacramenta, rogatq; ut manu fidei tantùm arripiamus.* Habet quoq; locum principalem in genere Didascalico, in explicatione quæstionum simplicium, ubi modus & forma rei dicitur: Ideoq; causæ instrumentales Accidentium, in reliquis Generibus rarius adhibentur, quia forma rerum ijsdem describitur: quæ in Genère Deliberativo, nisi dictis modis locum vix

eum vix habet, suo tamen iudicio Orator adhibe-re poterit, præsertim in Concionibus. Ex qui-bus apparet Vsum huius causæ in Genere Iudicia-li maximum esse, in reliquis autem, quia forma & modus rei in Persuasionibus locum non habet, rariorem.

DE CAUSA FINALI ET EFFECTIS.

Tabula Causas Finales exhibens.

Causa Finalis seu effectorum est duplex, aut in

- Substantijs
  - Naturalis
  - Artificialis
  - ex qua, si causæ sufficientes, & non impediantur, effectus est perpetuus, & verè effectus dicitur.
- Accidẽtibus quorum finis est, earum rerum quæ sunt
  - In pote-state no-stra
  - Non sunt in pote-state no-stra
  - *ex quibus sequitur finis aut*
    - Internus, & destinatum dicitur, qui certus est.
    - Exter-nus, qui vel est
      - certus rerum in nostra potesta-te.
      - Incertus rerum extra nostram potestatem.

Vsus perspicuè propositus est.

Causarum finalium, & effectorum potissimus & amplissimus locus est in Amplificatione Rhe-torica, &, ut Cicero inquit in Topicis, qui Oratoribus, Poëtis, sæpè etiam Philoso-phis, sed & ijs, qui copiosè & ornatè lo-

qui vo-

qui volunt, mirabilem dicendi formam adfert. *Hoc unicum est instrumentum, quod maximè ad persuasionem facit. Nam quæcunque homo agit, aut facit, id alicujus boni gratia facit, sive illud sit verum, sive apparens bonum, quoque vel solum est, vel alia adjuncta sunt, ad hunc modum fines unius plures, unus tamen ultimus.*

Nos duplicem finem statuimus, ex duplici causa efficiente. Alia enim est in Substantialibus, alia in Accidentalibus.

In Substantialibus est duplex, alia est naturalis, quæ finem suum necessariò consequitur; nisi impediatur, ut terra fructus fert; nisi ab externa causa impediatur.

Alia artificialis, quæ suum quoque finem cõsequitur, si necessaria omnia adsunt: ideoque illarum causarum finis, effectum propriè dicitur. Est enim opus productum.

Alia est accidentium, quæ efficiens vel apud nos est, & in nostra potestate, cujus quoque finem assequimur, ut si abstineo à nimio usu vini, temperantiæ finem consequor. Item si factum aliquod perpetro, ex causis impulsivis, quod est in nostra potestate: Vel extra nos & nostram potestatem, ad quam tamen impellimur necessitate, commovemur utilitate, vel alia causa: cujus finis Internus Destinatum dicitur.

Externus

Externus autem & ultimus eventus, quia evenit, non semper consequitur. Ratio est, quia est extra nos & vires nostras in ambiguo fortunæ situs, ut si quis commovetur ad bellum suscipiendum, concludit illud certis consilijs & destinatum habet, ut victoriam obtineat, sed ille finis non semper sequitur: quia non est in manibus bellum inferentis.

Pertinet hic locus in genere ad Genus Didascalicum, in explicatione quæstionis simplicis, ut suo loco videbimus. & in quæstionibus coniunctis dominatur maximè locus effectorum, ubi ad aliquod agendum adhortamur infinitè, utpote, ad virtutum culturam.

Deinde in specie causarum efficientium finis in substantialibus propriè non pertinet ad Rhetoricam, cum quiescat in cognitione, nisi ad Genus Demonstrativum, cum non quærimus quid sit, sed quale sit, si præstantiam effectus, & operis laudamus, & utilitatē quam præstat extollimus.

Accidentium finem, qui in nostra est manu, vel laudamus vel vituperamus. & sic est in Genere Demonstrativo, vel accusamus, aut defendimus, & sic in Genere Iudiciali; vel deniq; cum adhortamur, & sic est in Genere Deliberativo.

Accidentium autem finis, qui extra nos est, tractatur tantum in Genere Deliberativo: quia in illo svademus, in quo argumenta sumo ab honesto, utili, iucundo, & contra; ex quibus finis vel est certus vel incertus.

Ex cau-

Ex cauſa efficiente honeſtum certus eſt finis, ipſa laus, gloria, quia honeſtum non eſt, niſi ex natura legibus, virtute, & utile illud verum in conſcientia poſitum perpetuus eſt finis: ut ſi aliquis virtuti operam det, licet felicitatem externā non conſequatur, ut Utile, tamen ſummam habet utilitatem conſcientiæ. Illorum itaq; quæ in noſtra ſunt manu finis certus eſt. In eventibus verò ex cauſis impulſivis, in his rebus agendis quæ non ſunt in noſtra poteſtate, finis quidem certus eſt honeſtum, & quæ ex illo eveniunt.

Utilitas autem non eſt finis certus: quia illa non ſemper ſequitur: ut, ſi quis bellum legitimum juſtis de cauſis ſuſcipit, ſemper victoriam non cōſequatur, ut finem utilem, honeſtum tamen ſemper habet: ut Hannibal, qui tot annos cum Romanis bella geſsit, laudem æternam eſt promeritus: licet ſit victus à Scipione.

In ſingulis quoq; Orationis partibus, hic amplificationis locus adhiberi poteſt. In Exordio, ſi finem ſuſceptæ provinciæ proponimus, & orationis effectum explicamus. In Confirmatione potiſsimū locum in Genere Deliberativo habet. In Peroratione maximè, ſi cum Apoſtrophe, vel aliȷs figuris acrioribus, effecta alicuius rei exaggeramus, &, ut no bis fidem adhibeant Auditores, perſuademus.

Notandum autem in doctrina cauſarum.

1. Quod impulſiva & finalis ſemper coniunctæ ſint, præſertim in Genere Deliberativo, ideoq; quo ordine & modo conſiderandæ videndum. Exempli gratia: Omnium actionum in vita cauſæ impulſivæ ſunt, honeſtum, utile: Sunt iidem

dem finis, qui expetitur. Ideoq; honestum tanquam causam impulsivam considero in amplificandis & ornandis fontibus; honestoq; probando tanqnam finem perpendo in extollendis ijs, & ornandis, quæ honestum consequuntur, ut sunt laus, gloria, nominis fama, &c. ut, si bellum gerendũ suadeo, impulsivam sumo ex honesti consequentibus;

II. Notandum, quod honestatis fontes consistant in natura non vitiosa; in legibus divinis & humanis, finis in veritatis laude & gloria, de quibus in Genere Deliberativo.

III. Quod utile sit præcipuum in persvasionibus, cum homines utili maximè moveantur. Estq; aut considerationis Theologicæ, aut Philosophicæ, aut Oratoriæ: Illud quatenus ad æternam spectat salutem, quod utile est omnium maximum, cuncta huiusmodi utilia spernens; quod nulla utilia adiuncta, nisi à minore maius haben: istud quatenus in consideratione recta est, & ad summam utilitatem beatitudinis vergit, ut: quãdo aliquis conscientiæ causa virtuti dat operam, quod rarius in Orationem venit, nisi cum Philosophum aliquem laudamus; hoc quatenus res externas in vita Politica cõcernit, ex quo hominibus commodum eveniat, quod præterea Oratorium dicimus, quia Orator frequentissimè circa ea occupatus est.

IV. Quod utilitatis argumenta sumantur, ex rebus ipsis, de quibus agimus, quàm ex artis præceptis: Itaq; Oratores in conquirendis utilitatibus, rebus ipsis intenti sunt.

V. In utilitatibus exaggeramus materiã ipsam,

& personas respicimus, & ad conditionem materiæ & personarum argumenta utilitatis proponimus, numerumq; conquirimus, & ut: exempli gratia: si materia tam grata & accepta est, ad eamq; auditores cupidi & affecti sunt, tot argumentis ab utili opus non habeo, nec tanto pondere verborum: si verò materia non usq; adeò grata est, nec alicuius momenti videtur, magis circa argumenta utilitatis soll.citi sumus.

VI. Quod Oratores utilitates ita disponant, ut maximas primo, minimas medio, mediocres ultimo loco proponamus. Reliqua Specialia de honesto & utili in Genere Deliberativo tractabimus, ut & Demonstrativo, in parte Secunda *huius operis.*

DE PARTIBUS SEU PARTITIONE ET DIVISIONE.

Tabula exhibens locum partitionis.

Partitio est vel

- Totius Orationis — quæ propriè partitio dicitur: ut quando propositio Orationis in partes dividitur.
- Partium seu argumentorum, quæ est vel
  - Numeratio.
  - vel per partes amplificatio, id fit, si in suas partes diduco amplificationẽ, totius
    - Integralis, quæ est
    - Essentialis
    - Universalis
    - in partes: Integrales. Essentiales. Universales.

Absolu-

Absolutis principalioribus amplificandi instrumentis, minus principalia explicanda veniunt, quæ propterea minus principalia dicuntur, quod illis suppetias quasi eant, & copiam & ornatum addant. Inter quæ primus locus est partitionis seu divisionis, qui licet substantiam rei ingrediatur, cum omnia ex partibus essentialibus & integrantibus constent: Tamen ob dictam causam, quia ex prædictis instrumentis oritur, iisq; in copia rerum subministranda inserviant, inter minus principalia refertur. In Rhetoricis enim non considero (vel raro) substantiam quatenus suis constat partibus seu Essentialibus seu Integrantibus, seu quatenus suis Qualitatibus & proprietatibus laudem vel vituperium meretur, vel aliquid agit aut agere potest. Ratione itaq; hujus considerationis suæ sunt partes, quas adhibet Orator, quatenus illis aliquid fiat vel non fiat, vel quatenus rem præsentem adjuvat.

Estq; duplex partitio, alia est totius Orationis, ubi propositionē Orationis divido, & indico de quot capitibus sumus dicturi, de qua Cicero agit lib: 1. de Inventione nosq; cap: 12. sumus dicturi. Alia est argumentorum, quæ propriè distincta partium numeratio amplificationis gratia adhibita, dicitur.

Sunt autem partes totius: quod est aut inte-

grum, aut universum, aut essentiale. Totum integrum est, quod constat suis partibus integrantibus, & totum constituentibus, ut, homo constat capite, manibus, pedibus, integralibus partibus. Totum essentiale dicitur, quod constat partibus essentialibus, ut, homo constat corpore & anima, & huius totius propriè partitio dicitur.

Totum universum est, quod constat suis speciebus: ut animal constat homine, equo, leone, & hæc propriè divisio, ut Cicero in Topicis inquit, dicitur.

Omnis itaq; Divisio & Partitio, est cum rem de qua nobis sermo est, si genus in species, si species in ordines individuorum (scilicet ratione dignitatis & conditionis) Si totum essentiale in partes essentiales, si totum integrale in suas partes integrales dividimus. Et hæc divisio seu partitio propria dicitur. Impropria illa est, quando, quodcunq; totum, vel societas, vel congregatio, vel quicquam aliud dividitur, & quod in genere proponitur, id distinctim amplificatur & ornatur: Seu, ut Erasmus inquit; si quod summatim, & generatim poterat, id latius explicetur & in partes diducatur: *idq; fieri potest in omnibus materijs sive substantialibus, sive in Accidentalibus.*

Locum

Locum habet hic modus amplificandi in omnibus generibus Causarum & in ijs partibus, ubi vel attentionem parare, vel affectum in Oratione excitare cupio.

In hoc loco notandum, primò & principaliter, iudicium Oratoris potioris esse, quàm ipsa præcepta, propter usum eius amplissimum, qui præceptis includi vix potest.

In specie autem observandum.

1. Quod partitio desumatur (cum iudicio tamen) ex genere, specie, efficientibus, impulsivis, finalibus causis.

2. Quod partitio fiat vel sine affectu vel cum affectu. Sine affectu est quando simpliciter rem dividimus, & augendæ, ornandæq; Orationis gratia, partes vel species numeramus. *Vt: si totam civitatem commotam hac amplificatione dices: Non Consules, non Senatores, non Cives, non viros, non uxores, non deniq; servos & ancillas quievisse: aut totam civitatem tranquillam fuisse explices.* Cum affectu quando, cuiq; parti epitheton, vel verbum cum incremento Orationis addo. *Vt: si in priori exemplo dico: Consules turbatos hæsisse, Senatores anxios & ambiguos consuluisse, cives in arma excitatos, viros, & mulieres incredibili ira exarsisse. servos & ancillas furore agitare, totam deniq; civitatem irarum flammis ardere.* Hic modus in Exordijs & in principio Confirmationis; hic in fine & peroratione locum habet: nisi facti & causæ circũstantia, aliud Iudiciũ Oratoris expostulat.

3. Quod divisio vel simpliciter fiat, vel cum quadam comparatione, vel oppositione. Simplex divisio hîc tractatur; altera ad sequẽtes locos pertinet.

 4. Notan-

4. Notandum, quod divisio, seu partitio in uno loco ex diversis fontibus hauriri posit, vel causis, vel effectibus, Genere, Specie, &c. cuius partitionis egregium exemplū extat apud Erasmum, in principio secundi libri de copia rerum & verborum, quod multorum instar, ad imitandum huic transscribere voluimus. Estq; simplex propositio: Rem universam luxu perdidit. Quam sic amplificaturi: *Quicquid vel matris, vel patris nomine hæreditate obvenerat: quicqd bonorū affinium morte advenerat, quicquid ex uxoris dote, quæ quidē neutiquam erat vulgaris, accesserat, quicqd ex legatis accreverat, accreverat autē pmultū: quicquid ex principis acceperat liberalitate: quicqd peculij castrensis conflaverat: pecuniam omnem, vasa, vestes, fundos, agros, una cum ipsis & villis & pecoribus, breviter rem omnem, seu mobilem, seu soli, deniq; familiam ipsam, fœdißimis scortorum amoribus, quotidianis commessationibus, sumptuosis conviviis, nocturnis perpotationibus, popinis, cupediis, unguentis, alea, lusibus, exiguo tempore ita absumpsit, abligurivit, absorbuit: ut ne teruncium sibi reliquum fecerit.* Sic duo illa verba: Rem universam luxu perdidit, suis partibus explicantur.

5. Notandum, quod ubicunq; illa vocabula totum, omne, universum, cuncta, vel aliquod simile, quod multa sub se complectitur, occurrunt, his amplificationis modus adhiberi posit.

6. Ne sint eiusmodi partitiones nimis crebræ, quod odiosum est, & affectationis iudiciū; ideoq; aliquando hic reiectione utimur, & ubi partes exaggerare debemus, totum proponimus, & universale vocabulum repetimus: Exempli gratia:

Universa,

Universa, universa, Auditores, quæ cernitis oculis, Deo subiecta sunt. Sic in aliis. Quamvis etiam hisce particulis, cum apostrophe ad auditores, hanc amplificandi formam concludere soleamus, ad comparādam attentionē: ut: *& Reges & Principes, & Nobiles & ignobiles, omnes omnes, auditores, sine ullo discrimine verbum DEI diligenter audire debent.*

1. Usus huius amplificationis ex præcedētibꝰ facile apparet, quod facit mirificè ad copiā Orationis.
2. Quod moveat affectus.
3. Quod attētionem pariat. Locum autē habet tam in quæstionibus infinitis, quàm finitis, prout iudicio Oratoris adhibetur ibi, ubi præcipuè hæc copia *requiritur.*

DE COMPARATIONE.

Tabula Comparationum distinctionem exhibens.

Comparatio est vel

- Impropria, & dicitur collatio; quando rem aliquam rei applico, & generalia cum specialibus confero, alterius dignitate, vel utilitate manente.
- Propria quæ est aut
  - Quātitatis, ubi aliqua cōvenietia est in
    - Maiori ad minus
    - Minori ad maius
      - Quæ est in universalibus, & ꝓpriè dicitur cōparatio, aut particularibus, & dicitur exemplum.
    - Paribus.
  - Qualitatis, quæ est dissimile simile quę est: aut
    - verbis, & dicitur propriè Metaphora, ut Herodes est vulpes, ubi brevis sit applicatio, quæ stricta similitudo dicitur.
    - Rebus
      - Fictis, quales sunt fabulæ, fictiones Poëtarum.
      - veris, quę sūt aut
        - naturales
          - animatæ
          - inanimatæ
            - quęcūq; in natura sunt.
        - artificiales
          - omnis generis artificia, possunt in similitudinē vocari.

Usus proponitur perspicuè & observationes.

Ingenium humanum ita comparatum est: ut postquam cognovit rei causas, fines, partes, illas inter se conferat, & quæ majora, & quæ minora sint, quæ præstantiora, quæ digniora, quæ utiliora reperiantur, cognoscat. Itaq; inter amplificationis instrumenta hic locus amplissimus est, & in persuasionibus maximè accommodatus.

Est autem comparatio, quando rem unam cum alia confero, ut præstantiam vel utilitatem majorem unius, aut æqualitatem utriusq; cognoscam, aut convenientia, aut similitudine illustrem.

Estq; vel collatio simplex, quando ob aliquam, vel præstantiæ, vel utilitatis cògnationem, rem quandam alteri applico, & quasi generalia cum specialiori confero; ut majorem dignitatem, res de qua dicimus consequatur, alterius tamen dignitate vel utilitate manente: fitq; per particulas cùm, tùm, *de quibus vide Vallam, lib. 2. cap. 22. & per particulas* quidem, sed, *de quibus itidem Valla dicto libro c. 23. Cujus collationis exempla paßim apud Ciceronem extant. Et Erasmus, dum explicat hanc collationem hoc addit:* Cum omnes disciplinæ Liberales, plurimùm hominibus concilient ornamenti, & commodi; tum inprimis Eloquentia. In alijs quidem hominibus laudatur benevolentia & humanitas,

nitas, ſed in doctis maximè. *Aliquando particula quidem omittitur: per ellipſin tamen intelligitur. Alia exempla facilima ſunt.*

Hic amplificandi modus, cum attentionem ſine affectu acriore pariat, in Exordio eleganter adhibetur: ubi vel materiam, vel perſonas, vel orationem, vel alia requiſita, per quandam collationem ad præſentem locum applicamus: ut, *cum in omni loco & materia Oratori Eloquentia & ingenio opus eſt, tum in hoc auguſtiſsimo loco maximè.* Solemus itaq; hoc modo aliquando ordiri Orationes, & rationem propoſitioni annectere: ut *infra patebit.*

Vel Comparatio propria ubi ex Collatione dignitas vel utilitas alterius rei diminuitur, & noſtræ de qua verba facimus tribuitur.

Eſtq; ea vel quantitatis vel qualitatis.

Comparatio quantitatis eſt: ubi Collatio inter maiora & minora, paria & imparia inſtituitur. Exempli gratia: Cum rem aliquam alijs amplificationum formis dilatatam, & explicatam, cum aliqua vel minori vel maiori confero, vel cum pari expendo.

Comparatio qualitatis eſt, ſimilium & diſsimilium; (inquit Cicero lib. 1. de Inventione: Simile eſt ex ſpecie comparabili) *cum rem aliquam, quæ non adeò eſt nota, vel auditoribus perſpecta, declaro ſimili aliquo notiore, convenien-*

venientiam quandam, cum re præsenti, quam tractamus, habente.

Quæ amplificatio maximum addit ornatum in componendis Orationibus. Propterea, studiosi eloquentiæ præcipuè in Comparationibus elegantioribus conquirendis diligentiam & Iudicium adhibebunt.

Quod ad Comparationem secundum Quantitatem attinet, de illa inquit Rudolphus Agricola lib 1. de Inventione cap: ult: Comparatio frequens & magno usui Rhetoribus locus est. Paratus enim ferè & ad manum est. & quoniam ex alijs sumitur, quæ non altè sunt erudienda sed propemodum nata atq; conspicua, etiam expeditam vim habet, ad rudiores animos permovendos.

Ut autem eò melius intelligamus, unde Cõparationes sumantur. Primò quid Comparatio sit explicandum, ex Magistra Agricola dicto loco.

Comparatio dicitur, cum duo aut tria in aliquo tertio conferuntur, sive illa sit in maioribus sive in minoribus, sive in paribus.

Ex quo cõstat, quod in illis, quæ conferri debeãt, aliqua sit convenientia; utpote in paribus, aliqua differentia; utpote in maioribus & minoribus.

Sumitur itaq; Comparatio, aut in rebus, aut in personis, vel à genere ad speciem, vel ad species inter

inter se, vel individua inter se, vec à toto ad partes in effectu aliquo nobiliore, vel conditionum differentia, seu convenientia. Secundum Ciceronem in Topicis eas ex numero, specie, dignitate, aut vi oritur. Numero quidem, ut plura bona sunt potiora paucioribus; pauciora mala plurimis. Diuturna bona brevioribus. Species autem comparantur, ut anteponantur, quæ propter se expetenda sunt ijs, quæ propter aliud nata assumtis. Vis in Comparatione sic cernitur: Efficiens causa gravior, quam non efficiẽs, quæ seipsis contenta sunt meliora, quam quæ egent alijs, quæ in nostra, quàm quæ in aliena potestate sunt.

Insumma in Cõparationibus respiciendum eò, ut, quæ comparari debeant, eiusdem sint generis, cum eo, quod nostri est propositi, suasq; habeãt differentias, accidentium communium. vel proprietatum. Exempli gratia. Si hoc animalia possunt natura, quidni & homo posset. *In hac Comparatione Commune genus est, natura aliquid posse: differentia nobilior in homine, quod plus valeat: vel,* si hoc Nobilis, Ergò & Rex. *Neq; enim* ut inquit Agricola, *quicquid quomodo libet maius erit, nec si quid par aut minus ad hunc locum pertinebit: ut: si de Eruditione quæratur, non hic Rex maior erit plebejo: sed magister discipulo, eruditus rudi.* Ex quo

Ex quo cætera facilè possunt intelligi. Non itaq; disparata, opposita, contraria, nisi in imparibus & dissimilibus conferuntur, quod rarissimum est: nisi quod simpliciter in Oratione illustrationis & exaggerationis adhibeantur Contraria: ut infra in loco contrariorum dicetur.

Ex uno ferè loco minoris & maioris, maioris & minoris Comparationes depromuntur.

Parium Comparatio consistit in illis, quorum est par ratio. ut: si ille poteſt bellum gerere, ergò & ego, quia eiſdem ſum inſtructus viribus: ſi ille poteſt libris invigilare diligẽter & proficere, ergò & ego: quia æquè valemus ingenio. *Quæ omnia ipſa ſuppeditabit materia, & iudicium Oratoris ex præcedentibus colligimus.*

In Comparatione notandum.

1. Quod Cõparatio fiat: aut in univerſalibus: aut Particularibus: ſeu, quod idem eſt, rebus aut perſonis. In univerſalibus propriè dicitur Cõparatio. In particularibus, puta individuis, dicitur Exemplum, quod eſt, quando exempla hominum, vel unius, vel diverſæ conditionis, & facta inter ſe comparantur, ex Locis Maioris, Minoris, vel parium, ut: *ſi licet hoc Petro, licebit & Paulo.* Et Cicero pro Cecinna: *ſi habeo actionem, ſi qui me exire domo mea coëgit, habeo etiam ſi qui me introire cohibuit.*

2. Quod Comparatio aut ſit ſimplex, aut coniuncta.

iuncta, seu Composita. Simplex est, quando simpliciter & generaliter in uno Comparationem instituo. Exempli gratia: *Cum pauperes filios suos in bonis literis erudire debent. Ergò & divites.* Composita est, quando eandem deduco per species & per partes (& hoc est quod paulò antè in loco partitionis dixi. Partitionem fieri aliquando cum Cõparatione:) exempli gratia: in hoc: *Pauperes rerum omnium abundantiam non habent, divites omnibus affluunt. Pauperes suo labore necessariis & exiguis suis facultatibus filios suos sustentant, divites superfluis suis divitiis eosdem alunt. Pauperes necessaria studiorum filiis suis non comparare, divites & necessaria & commoda abundãter emere possunt. Pauperum filij exiguum fructum plerunque ex studiis, hoc præsertim tempore, reportant, divitum filij, honorem & maximas utilitates ex studiis sine ullo labore consequuntur.*

Observent itaque studiosi Eloquentiæ, quod magis moveant, & animos auditorum afficiant, alliciantque Compositæ comparationes, & propterea maiori cura, & iudicio in Oratione adhibendæ.

3. Quod Comparatio vel sit affirmativa simpliciter, vel cum altero membro conditionalis, adiecta particula SI, quæ tamen habet ἀπόδοσιν cum particula adversativa SED: Estque ferè imparium, seu minoris ad maius, vim quandam & ἐνέργειαν maiorem habens. Exempli gratia: *Si mihi centum Ioachimicos mutuo misisses, ingenti me beneficio affecisses: Sed quæ maior tua est beneficentia, mille misisti: ut magis magisque tuum apud me amorem & gratitudinem cumulares.* Quandoque tamen SI particula cum indica-

indicativo posita affirmativam facit, quæ habet ἀπόδοσιν per interrogationem vel particulas. *Ergò igitur.*

Comparatio qualitatis dicitur similè dissimile, quod est, secundum Agricolā, quando junguntur aliqua non in tertio, quod sit ambobus commune, (quemadmodum fit in Comparatione) sed utrumq́ in singulis, quorum quemadmodum, hoc in isto, sic sic illud se habet in illo, ut, si dicam: Quēadmodum vascula oris angusti superfusam humoris respuunt copiam: sensim autem instillantibus replentur: Sic tenera puerorum ingenia grandia non percipiunt, modica & viribus suis apta commodius addiscunt. *Quem locum amplificationis in sequente capite 25. explicaturus inquit: Omnium locorum è quibus ducuntur argumenta nulli ferè minus est virium contra renitentem auditorem, quam similitudinem, ad eum verò, qui sponte sequitur, docendum, qui se præbet accommodatior, nullus est. Aperit enim rem (si rectè adhibeatur) & quandam eius imaginē subijcit animo; ut cum assentiendi necißitatē non adferat, tantum dissentiendi pudorem. Quamobrem ad probandum non ita crebrò ad explicandum illustrandumq́ sæpe ab Oratoribus, à Poëtis sæpius adhibetur, ut Autor ad Herennium lib: 4. inquit, quæ aut ornare,*

nare; aut docere; aut aptiorem rem facere; aut ponere ante oculos rem possit.

Ex quibus perspicuè vim & efficaciam similium videmus, ideoq; unicè laborandum Oratori; ut convenientia & jucunda similia adferat: Quod difficilius inventu esse dicit Agricola: quia tota extra rem est. Propterea in similibus eligendis (pergit) videamus, in re proposita, cui similitudinem quærimus, quid sit id, quod exprimere similitudituditudine volumus idq; quale sit, & quid efficiat, diligenter intueamur.

Deinde rem aliquam quæramus, quæ habeat aliquid in se, cui sit similis, in ipsa vis, qualis est in proposito nostro. eius quod cupimus imitari, quod cum aliquando difficile sit, nec obviam cuivis (addit) ne desistamus; sed subinde alias res excutiamus, & alias, non erit quisquam tam infelicis conatus, ut, quamvis semel, iterumve non succedat, tertio tamen aut quarto non eruat aliquid. Quod ut Studiosi Eloquentiæ in eiusmodi rerum consideratione facilius inveniant, sciendum similia aut stricta; aut prolixa esse.

Stricta seu brevia, quæ in paucis vocabulis cõtinentur, quæruntur in Metaphoricis locutionibus, quæ

bus, quæ ex alicuius Qualitatis aut Accidentis convenientia, in re aliqua inveniuntur, oriuntur; si eius Metaphoræ causas in Oratione explicamus, ut: Herodes est vulpes: sicut enim vulpes est animal astutum, sic, &c.

Vel sunt similia proliχiora circumstantiarum sive partes habentia, & ea vel ex fictis vel veris oriuntur.

Ficta sunt fabulæ seu ἀπόλογοι μυθολογίαι. *(Huc &* παραβολαὶ *pertinent, quæ species sunt similium) quæ extant in AEsopo, Natali Comite, & alijs, quæ nobis similia præbent, nec ulterius requiritur, quam ut aptè seligantur & applicentur nostris materijs.*

Vera sunt aut naturalia aut artificialia. Illa aut animata, aut inanimata, ut autor ad Herennium inquit lib: 4. Sed inventio similium facilis est, si quis sibi res omes animatas & inanimatas, mutas & loquentes feras, & mansvetas, terrestres, & cœlestes, & maritimas, artificio, casu, naturà, compositas, usitatas, atq; inusitatas, frequenter ante oculos poterit ponere, atq; ex his aliquam venari similitudinem. *Horum similia inventu difficiliora sunt; In illis itaq; proprietates rerum maximè, cum reliquis circumstantijs consi-*

consideranda sunt; ut convenientiam aliquam, vel proprietatem, vel qualitatem, cùm rebus nobis propositis inveniamus. Ex ijs enim omnibus necesse est, ut similia eruamus: si præsertim simile per partes diducere volumus. Quod verò cùm non sit cuiusvis ingenij, colligenda sunt similia ex lectionibus Oratorum, vel aliorum scriptorum, aut seligenda ex libellis hinc inde editis, ut, Lycosthenis, Dradæi, Lipsij, & aliorum. Et hæc omnis similitudo oritur, secundum Ciceronem lib. 1. de Inventione, ex contrarijs, vel paribus. Ex contrariis, ut: Nam si ijs, qui imprudentes læserunt, ignosci convenit, ijs qui necessariò profuerunt haberi gratiam non oportet. *Ex paribus:* Nam ut locus sine portu navibus non potest esse tutus: Sic animus sine fide stabilis amicis non potest esse.

Notandum autem de similibus.

I. Quod optimè monet Agricola in dicto cap. quod in similibus, delectus sit adhibendus, ut pro rei qualitate adoptemus, ut si docere volumus aperta sit similitudo. (Quint: lib. 8. c. 3.) Si laudare splendida; si vituperare pudenda; si rem attollere magnifica (addo, si extenuanda, humilis & exilis.) Liquidius namque oportebit rem quamquam talem videre, qualem imagine sua aliam volumus monstrare.

II. Quod similitudo elegans esse debeat, quæ in omnibus rebus nostris respondeat; nec in aliquo discreper, præsertim similitudo per partes diducta, in ea enim omnium partium convenientia requiritur.

III. Vt non sit nimis prolixa, quæ partem Orationis expleat: Iudicium enim in hac quoque parte Oratoris est.

IV. Vt simile per omnia conveniat illi, cui applicamus. Simile enim vitiosum est, quod in aliqua parte dissimile est; nec habet parem rationem in Comparatione, in eo scilicet ubi requiritur: non enim res tota toti necesse est, ut sit similis: sed ipsum ad quod refertur similitudinem habeat oportet.

V. Quod similitudo faciat aliquando ad suasionem vel disvasionem; si aliquid honesti vel inhonesti adiunctum habet; ut sicut sine læsione conscientiæ cultum divinum intermittere non possumus: Itaque quoque officium nobis demandatum negligere non valemus.

VI. Secundum Autorem ad Herenn: lib. 4. observari oportebit diligenter; ut cum rem afferamus similem, cuius rei causam similitudinem attulerimus, verba quoque ad similitudinem habeamus accommodata, id est huiusmodi, ita: Vt hirundines æstivo tempore præstò sunt, frigore pulsatæ recedunt. Ex eadem similitudine per transitionem verba sumimus: ita amici falsi sereno vitæ tempore præsto sunt, simul ac hiemem fortunæ viderint devolant omnes.

De

De Dissimilibus hoc addendum ex Agricola, quod illorum non sit usus creber: si tamen adhibentur, ut similia cum paribus. ita cum imparibus aliquãdo cõiunguntur, in uno argumento, præsertim in exemplis comparandis. Hanc definit Autor ad Herenn: sæpè dicto loco, quod sit Oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile, dicitq; quod fiat ornandi causa per contrarium, probandi per negationem, ubi dicimus non ut hoc illo vel illo modo sit, ita hoc fieri quoq; oportere.

Cuius rei exemplum Erasm: habet lib: 2. in copia rerum in tertio modo locupletandi exemplar *non aliter quàm Camillus rem Romanam à Gallis oppressam, & in extremam perniciem adductam, sua virtute, depulsis barbaris, restituit. Ita Laurentius Valla literas inscitia barbarorum ferè depravatas, obruptas, extinctas in pristinum nitorem, veluti ab inferis revocavit: sed non par gratia debetur Laurentio & Camillo, propterea, quod hic pietate adductus, capitis sui periculo patriam à barbaris liberavit: ille famæ cupiditate commotus, vel potius quam plurimos taxandi libidine, latinam linguam restituit, &c.*

Observandum autem in comparatione tam quantitatis quàm qualitatis; ut decorum observetur; in rebus & verbis, ut comparatio eiusmodi instituatur; inter eas res quæ aliquam convenientiam dignitatis, & honestatis habent: ut res utrinque sint honestæ & dignæ relatu.

Obscœna itaq;, inhonesta, turpia, tam in rebus, quam verbis, & in Oratione, Colloquijs vitanda,

ne Comicos imitemur, qui rident eos, qui ab obscœnis dictis abstinent, quorum tamen facta sint honesta, ut apud Ciceronem, lib. 1. Offic.

Vsus huius amplificationis maximus, in quæstionibus infinitis & finitis, Generibus causarum, inq; omnibus partibus Orationis: (Narrationem, excipio quæ est brevis & perspicua rei expositio) In probationibus tamen potissimum dominantur, quod in Generibus causarum *videbimus.*

DE OPPOSITIS.

Tabula oppositorum locum exhibens.

Opposita quæ Oratori ab adversa parte objiciuntur, considerantur ratione

- Materię & origine, oriuntur ex
  - Rebus, si auditores de veritate rei dubitant, vel rei non usq; adeò favent, ex rei
    - Quantitate, quādo maior videtur, quam ut à nobis possit, vel ullo perfici
    - Qualitate, quando non tam bona, ut prædicatur, nec utilis.
    - Accidentibus, quando accidere videntur, quæ rem impediant.
  - Persona, eaq; vel
    - Dicentis, si auditores de personæ qualitatib9 dubitēt, vel alias suspectam habent.
    - De qua verba fiunt, si ea suspecta vel odiosa est.
- Modo proponendi, quę est, vel
  - Expressa, quando expressis verbis dicant obijcere alios, hoc vel illo modo
  - Tacita, quando explicando mentem nostrā occurrimus obiectioni aliorum.
  - & hæ locum habent
    - In gravissimis observationibus. ubi certus est q. obijciat.
    - In levioribus & deliberationibus ubi certus nō est qui obijciat.

Postquam

Postquam vidimus in locis amplificationis, ordinem Rodolphi Agricolæ secuti, quemadmodum
Orator orationem suam amplicet probando simul
Orator orationem suam amplificet probando simul & illustrando thema suum. Iam quoq; videndum quomodo obstacula illa, quæ auditores vel ex re, vel persona dicentis inijci possunt, removeamus, ut eò melius & finem nostrum assequamur, & benevolentiam Auditorum nobis conciliemus. Non enim Orator illa tantum curare debet, quæ videntur sibi bona, vera, honesta, utiliaq;, quæ laudanda, quæ vituperanda, quæ facienda, quæ fugienda: sed etiam quid alijs videatur, quorum interest, vel ad quos verba facimus, quid obijcere possent argumentis nostris, necesse est ut sollicitè perpendet. Non propterea solùm; ne videatur auditoribus parum verus, aut sincerus, & ex affectu quodam Orationem habuisse: sed etiam, ut prudenter & sufficienter dixisse videatur, quod fit si rem in utramq; partem probè excutit. Qui enim in suasionibus præsertim Orationem instituit: ita conformet Orationem necesse est; ut quasi secum Senatum Consiliarium convocet, & vota & sententias colligat.

Locus oppositorum apud Oratores nihil aliud est, quàm objectionis, quæ contra sententiam in

Oratione obverti potest, refutatio, quæ vocatur ita à Quintiliano, lib. 9. Orat: instit: c. 2. quem Cicero lib: 1. de Orat: adversum nominat: Quando occupamus id quod obÿci potest.

Oritur autem oppositorum Locus in animis Auditorum, vel ex rebus, vel ex personis sive dicentibus, sive de quibus dicitur, vel ex facto ipso.

Ex re oritur, si Auditores de veritate dubitant, vel saltem causam aliquam suspectam habent. Exempli gratia: Si Orator svadet bellum Moschoviticū suscipiēdum argumētis ab honesto & utili ductis, & auditores dubitent, an legitimum sit bellum; tum Orator maximopere huic opposito respōdeat, demōstretq; ob violatā pacem legitimū esse, & omne dubiū animis auditorū eximat.

Idq; vel ex rei quantitate, vel qualitate, vel accidentibus rei aut circumstautÿs.

Quantitate, quando major præstantior, quam ut à nobis posit perfici.

Qualitate, quando non tam bona seu utilis videtur; quàm ut à nobis prædicatur.

Accidentibus seu Circumstāntÿs, quādo multa videntur obstare, quo minus res ita effici posit.

Ex persona dicētis oritur: si Auditores ob ætatem, &c. de ingenio, de suscepta Orationis causis, sinistrè suspiciantur: tum causis alÿs adductis refu-

temus,

temus, necesse est, quæ objectio plerumque ut Quintilianus inquit, Proœmio convenit.

Ex persona de qua nobis sermo institutus est, oritur, si publica fama, vel saltem vago rumore suspecta est; vel alias odiosa auditoribus, aut Iudicibus, vel factum aliquod, sive hoc de quo verba fecimus in defendendo, sive in laudãdo occupavit animos, odio aliquo. Ista omnia, quæ sive ex re, sive ex personis objecta sunt oportet: ut ex animis auditorũ evellamus, vel rem aliquã explicãdo, vel aliam causam docẽdo, vel suspicionẽ aliis documẽtis eximẽdo, vel, si nõ potest, excusando aut declinãdo, prout cujusque judicio, quod anima est præceptorũ, visum fuerit.

Est porrò objectio vel expressa, vel tacita.

Expressa est, quãdo expressis verbis per quandam μίμησιν *objectionem Adversarij vel Auditorum proponimus, & vicissim respondemus: exempli gratia:* Objiciat autem aliquis hoc vel illo modo, vel aliter, *qualis est & esse debet quãdo scimus Aduersarios tales objectiones allaturos. & objecturos esse & quando gravissimæ sunt objectiones, ex calumnijs & mendacijs ortæ, quas refutare tamen possumus bona conscientia; si præsertim subsunt probationes, de quibus in genere Iudiciali, Deo volente, vitamque & commodius otium concedente, in speciali nostra praxi agetur.*

Tacita est, quando objectionem tacitè omittentes occurrimus mentem nostram explicando, ne aliquid suspicari possint Auditores: ut illud est, Ciceronis in Orat: ad Quirit: post Reditum. Quorsum hæc disputo? quorsum? ut intelligere positis, neminem unquam tanta eloquentia fuisse, &c. qui vestrorum magnitudinem beneficiorum, &c. enarrare posset. Vel alio modo: ne quisquam hæc eò rapiat; vel eo hæc dicta sunt, vel alijs modis.

Eiusmodi objectiones sunt crebræ in genere Deliberativo, quæ etiam in infinitis quæstionibus cuiuscunq; generis fuerint: ut ipsa materiæ condicio, & circumstantiæ facilè indicant.

Notandum in hoc loco amplificationis.

1. Ne eam adhibeamus in manifesto falsis, de quibus constat Auditoribus vera non esse præsertim in genere Demonstrativo. Ita enim augemus suspicionem, & Orationem nostram suspectam reddentes, finem non assequimur dicendo. Ergò, si quæ in hanc partem obijci possunt, non refutemus neq; occurramus, sed vel prætereamus tacitè, si possumus, vel excusemus modicè, vel extenuemus vel artificiosè declinemus.

2. Semper in occupationibus extenuemus rem, quæ nobis obijci poterat; neq; eius momenti dicamus, ut animos Auditorum sollicitos habere, & à re præsenti avocare debeat vel posit: Si præsertim ex rumore, vel alia leviori causa aliquid

quid, quod obijcitur, ortum sit, quod in Genere Demonstrativo & Genere Iudiciali, si omnia conquirimus, usu venire solet.

3. In refutandis obiectionibus, utamur verbis lenioribus, placidis; ne affectum ullum videant Auditores, quod vel arrogantiæ suspicionem adferre, vel animum commotum testari posset; nisi expressa obiectio in Genere Iudiciali, ob facti atrocitatem, vel falsitatem manifestam, aliud expostulavit.

4 Ne nimis simus prolixi in refutandis illis obiectionibus; ne causæ nostræ diffidere; neve de Auditorum prudentia, vel etiam candore dubitare videamur, vel à principaliori propositione eosdem abducamus.

5. Quod leviores obiectiones per præteritionis figuram transeamus, idq; summi interdum est artificij.

Locum habet hic modus amplificandi in quæstione infinita, in omnibus tractandi partibus, in quæstionibus finitis in omnibus generibus Causarum, inq; omnibus partibus (Narratio tamen hic excipienda videtur) orationis, Siquidem semper reperitur, quod obijci posit, neq; animi auditorum, tam à veritate sunt purgati, ut non scrupulus aliquis dubitationis; aut affectus saltem, qui aliquid suggerat, in aliquo loco resideat.

1. In Exordio tamen Confirmatione & Confutatione locum obtinet, potissimum: In Peroratione locum vix habet: Quia in Conclusione omnia iam probata sunt, & illa dicta, ut nullus locus dubitationis reliquus esse debeat.

2. Locum habet in quovis etiam partium argumento cui quicquam vel ob falsitatis vel obscuritatis suspicionem contradici possit, & eo nomine à Confutatione, parte Orationis, in Generibus Causarum differt.
3. Locum habet frequentem in Epistolis ad familiares (præsertim tacita obiectio) inq; Colloquijs, quod usus & iudicium docebunt.

Vsus huius loci primus est ad probandum; adiuvat enim probationem, cum suspiciones sinistras ex animis auditorum evellimus. Homines enim cùm valdè sint suspiciosi, si occurritur illorum, vel opinionibus vel suspicionibus fidem eo citius adhibent.
2. Ad expoliendam & illustrandam Orationem, quia obiectionis refutatio magis magisq; mentem nostram explicat.
3. Ad benevolentiam nobis comparandam: Quando enim suspiciones, aut cogitationes sinistras animis Auditorum eximimus, ob quas nobis, vel rei de qua dicimus offensi fuerunt, fit, nescio quomodo, ut nobis benevoli reddantur.



LO-

LOCVS CONTRARIORVM.

Tabula exhibens distinctionem Contrariorum.

Contraria sunt aut

- Propria in qualitate, quæ sunt
  - Positiva, sunt, Quando utraq; cõtraria pono in Oratione, ut, vitium & virtutẽ; & ex altero alterius cõmodum vel incommodum elicio.
  - Privativa sunt, Quando tractatione & illustratione unius alterum nego, & tollo: ut, si virtutem eam esse extollo, quæ omne vitium excludit.
- Impropria in quantitatibus, quæ sunt aut
  - Simplicia, quando diversa inter se aut opposita exaggerantur, id quod in rebus fit, aut laudandis, aut vituperandis.
  - Comparata, quando contraria inter se conferuntur; ut majus, minus, multum, paucum.

Post locum oppositorum, sequitur locus Cõtrariorum, non minus ad amplificandum & persuadẽdum utilis, & ab autore ad Herenn: lib: 4. dicitur, qui ex adversis duobus alterum breviter, & facilè confirmat; id quod Cicero in Topicis explicat, ex quibus cõtrarijs (scilicet quæ in eodem genere plurimum differunt) talia argumenta existant. Si stultitiam fugimus, sapientiam sequemur.

In quo loco Contrariorum considerandum primò, quæ & quotuplicia sunt Cõtraria: deinde quomodo tractantur. & quis sit eorum usus.

Sunt

Sunt autem Contraria (quam distinctionem implicitè innuit Cicero dicto loco) *aut propria aut impropria.*

Propria sunt in qualitatibus aut positiva, aut privativa (quæ de ratione usus nostri, & non aliâ causa ita voco & distinguo.)

Positiva sunt, quando utraq; pono in Oratione & utrorum collatione alterum contrariorum altero declaro, ut, virtutem & vitium, ut ex altero alterius commoda, vel incommoda illustrem.

Privativa sunt quando tractatione & illustratione unius, alterum tollo & nego, exempli gratia, ut Cicero inquit, dignitas indignitatem, humanitas inhumanitatem excludit & negat, hoc est: Si alterum eorum non explico, sed quasi per privationem transeo.

Impropria sunt in Quantitate, aut Simplicia, aut Comparata.

Simplicia sunt, quando diversa inter se & opposita explicantur, ut unum alterum illustret, quod fit in rebus laudandis vel vituperandis.

Comparata; ut si inter se comparantur, ut, duplum, simplum, nullum, paucum, longum, breue, majus, minus: Et hæc, tam simplicia quàm comparata, in Oratione conjunguntur, ut unum oppositorum alterum vel declaret, vel augeat, vel minu-

minuat, quæ facilè ex loco comparatorum intelliguntur.

Tractatio loci contrariorum est vel ad illustrationem, & explicationem, vel ad persuasionem, vel ad disputationem in quæstionibus infinitis, ubi ex contrarijs refutamus adversarium nostrum, de quibus in consultationis loco dicendum, in cap. 14.

Ad explicationem, seu illustrationem tractatio est.

1. In quæstionibus simplicibus in loco pugnantium, ubi alicuius contraria explico, exempli gratia: Si fortitudinem tractans contraria vitia, audaciam & timiditatem declaro.

2. In quæstionibus coniunctis, ijs nimirum, quæ in cognitione versantur, quarumque finis est Scientia; in ijs enim contraria quoque à definitione quæstionis propositæ reijcio.

Ad persuasionem tractatio contrariorum est.

1. In quæstionibus coniunctis infinitis, ubi quæritur quale sit, & quid agendum. *An sit honestum, nec ne? utile, vel non?* ubi illud declaro contrario, ex eoque demonstro rem aliquam & commovemus, ut credat auditor: *exempli gratia: Si tracto quæstionem, sitne honestum in coiugio vivere,* honestatem demonstro ex causis efficientibus impulsivis, institutione DEI, dictamine naturæ, quæ argumenta amplifico, in persuasione contrarijs nimirum in cælibatu, quod sit contra Deum, cõtra naturam: Eadem ratione in quæstionibus activis; ubi monstramus contrario privativo: si illud

illud faciendum, ergò hoc omittendum: si sunt contraria.

3. Quia, ut Cicero inquit in partitionibus, finitum semper habet aliquid infiniti adiunctum, & ut in Topicis inquit, pari sit causæ propositum, quod quæstio infinita vocatur: Itaq; in quæstionibus finitis, id est, in ipsis generibus causarum, usum habet maximum hæc amplificatio.

In genere Deliberativo in suasionibus, adhortationibus, petitionibus, locum habent contraria positiva potissimùm, ubi ex loco contrariorum amplificandi exaggeramus, quam sit turpe, quantum sit incommodum, illud omittere, si præsertim digredimur ad locum communem.

In genere Demonstrativo locum habent cōtraria privativa, si virtutem alicuius (sive rei sive personæ) laudamus, & non fuisse illa, vel illa vitia dicimus, præsertim autem in hoc genere tum adhibetur; si ampla laudum materies non adest, tum vitia enarramus, & exaggeramus, quæ non insunt, ut hac ratione quasi tacitè virtutes ponamus.

In genere Iudiciali rarior est hic locus, nisi quando exaggeramus factum aliquod, & dicimus magnam fuisse virtutem, aliud potius existere, & contrarium, quàm ut huiusmodi factum committeremus. Eius usus autem potissimus, in Cōfirmatione, Consultatione, pro iudicio Oratoris.

Notandum autem in hoc loco, quod tractatio contrariorum aut sit ampla, seu prolixa, aut stricta seu brevis. Ampla est, si contrarium per suas causas, & effecto diducto, & locos contrari-

orum

orum propositæ materiæ explico, contrario sensu, ut de virtute agens, si vitij immanitatẽ exaggero â caussis, ab effectibus, idq́ exemplis, testimonijs confirmo. Hoc fit in principaliori aliquo argumento, tum, cum maxima illius vis est, & numerum argumentorum tractandorum non impedit, & quoq́ in gravissimis alicuius rei exaggerationibus (quod in Concionibus plerumq́ pastoribus usu venit) ubi in contrarijs vis aliqua commovendi inest. Stricta est, quando propositioni Cõtrarium illustrationis gratia additur, neq́ ita per locos deducitur; ut in adhortationibus aliquando fit, ut, si hoc facis, illud omnino intermittere debes; si omnes virtuti operam dare debent, nobilissimæ utilissimæ, vitia immanissima fugiant

Præterea notandum, quod ille locus amplificationis in una Oratione non omnibus argumẽtis addi debeat, sed semel tantum aut bis, qui in Conclusione reperatur, si præsertim gravis aliqua exaggeratio ex hoc loco petitur. Non enim eodem & uno amplificandi modo uti debemus; sed, ut multi sunt loci: ita argumentorum amplificatio varia esse debet.

DE ANTECEDENTIBVS, ET CONSEQVENTIBVS.

Locus Antecedentium & Consequentium nihil aliud est, quàm, cum propositionẽ amplificamus circum-

circumstantijs, quæ rem præcedunt & sequuntur, non tanquam causa istius rei, quæ ita sit: sed quæ alterius rei causa existentia, ad rem præsentem referri possunt. Et hoc nomine à loco Causarum differt.

Notandum autem: I. Quod antecedentia & consequentia ad circumstantias temporis plerumq; pertinent. Sunt alia actionis cuiusdam peragendæ seu peractæ: alia facti specialis: Illa sunt, quæ rem aliquam præcedunt vel sequuntur, & quod ab adiunctis differat. Antecedentia enim præcedunt, Consequentia semper sequuntur, secundum Ciceronem in Topicis: Adiuncta verò non semper. Præterea adiunctum ad rem ipsam pertinet.

II. Notandum, quod Actionis Antecedentia & Consequentia, ad vota, gratulationes & petitiones, pertineant, ad ea omnia, ubi, quæ ante gesta sunt, narramus, & propositionem quasi cumulamus.

Exempli gratia: Si hanc propositionem: Gratulor tibi de novo Magisterij Titulo: *hoc modo amplifico: narro quæ antea gesta sunt: non tamen causa Magisterij proxima fuerit. Gratulor tibi ex toto pectore, quod Deus ter Opt: Max: hactenus te clementer conservarit, tibi sanitatem largitus fuerit, studiorumq; tuorum cursum direxerit, eò adiuverit, ut tuorum laborum præmium, honores Magisterij consecutus sis, eundem ex animo precor, ut hos tibi honores salutares esse jubeat.*

III. Quod Antecedentia & Consequentia sumamus ex Circumstantijs Rerum aut personarum

ut sunt

ut sunt, occasio, locus, causa, instrumentum, tempus, modus, ex quibus omnibus circumstantia rei describi solet, & vocatur apud Erasmum, octava locupletandi ratio.

Locum habet hic modus in Confirmatione & Confutatione quæstionum finitarum: In quæstionibus enim infinitis locum non habet, quia non sunt circumscriptæ Circumstantijs, præsertim autem in Genere Demonstrativo. In partibus & Orationibus, præsertim in narratione. In confirmatione, & confutatione, quando â factorum circumstantijs argumenta sumimus. In Conclusionibus etiam, quando Orationem voto vel precatione cõcludimus, affectumq́ pietatis & devotionis movere volumus.

Ex quibus videmus, quod huius loci Usus sit propositionis amplificatio, & suis circumstantijs dilatatio, qua rem quampiam ornatè proferre volumus, ut, si alicui optem *ut Deus iter suum faustum esse iubeat*, illud circumstantijs in hunc modum amplifico: *Deus qui te à primo vitæ curriculo tam clementer hactenus conservavit, protexit, fovit, & ex infinitis periculis eripuit, in hoc periculo dubio & periculoso perficiendo tibi adsit, ab omni latronum impetu aliisq́ periculis te liberet, & ad locum optatum ducat, rebusq́ tuis peractis, ad tuos te vicißim reducat, cum quibus ætatem felicißimè transigas.*

Antecedentia & Consequentia in persona facti alicuius, pertinent ad Genus Iudiciale ad statum Coniecturalem, & dicuntur signa ad quem locum ea reservabimus.

DE SVBIECTO ET ADIVNCTIS.

Non rarus in amplificatione locus Subjecti & Adjuncti; ubi, quæ dicimus, de causis, de effectis alicujus rei, addimus amplificando Subjectum, cui conveniat, hæc vel illa res.

Exempli gratia: Si adhortationem instituimus, ad bona opera facienda, & argumenta à causis impulsivis ducimus: addimus quoq; subjecta seu objecta (illud enim hic non exactè distinguimus) in quibus bona opera esse debeant: nimirum in omnibus hominibus, sine ullo discrimine, aut exceptione, vel dignitatis, vel eminentiæ: *Sic quoq; in alijs, quando quæstio ad paucos pertinet. Estq; locus Subjectorum fundamentũ loci partium & comparationis, qui ex loco subjectorũ oritur, in quæstionibus ad actionem directis potissimum:* ut in priori exemplo: si hoc agunt, quæ rationi humanę ex lumine naturæ cõgrua sunt & honesta Ethnici: ergò multò magis nos agere debemus, q Christi nomẽ profitemur, & sequimur. *Subservit autem sedibus argumentorũ tàm honesti quàm utilis, estq; earundem determinatio, ad certas res ad quas attendunt Auditores, ut magis moveantur.*

Vsus itaq; ex his cõstat; qui se tàm ad quæstiones infinitas, quàm finitas extẽdit, in omni tractatione, omniq; loco, præsertim Confirmatione & Confutatione. Hoc tamen discrimine in quæstionibus infinitis practicis, ubi aliquid agendum, (quamvis & aliæ huc pertineant) Orationem ad subjectum dirigentes, amplificationem sumimus, cum nimirum hæc vel illa actio conveniat.

In quæstionibus finitis, Subiectum nihil aliud est, quam materia, de qua nobis sermo institutus est, ut, si hunc vel illum laudo, hoc vel illud faciendum persvadeo: hunc vel illum accuso, Subiectum est Orationis (in his Orationibus solemus etiam ab Individuo ad Genus progredi; quod tamen ab exemplis fit) Ex cuius natura, actionibus, circumstantijs, factis, confirmationem & amplificationem sumo, quam in alio seu laudo, seu vitupero, termino, quod ex subiecto Orationis elicio. In illis vero ex rei generalis gerendæ natura, confirmationem propositi sumo, sive honestum illud sive utile sit, quam amplificando in descriptione subiecti, cui conveniat hæc vel illa actio, (vel etiam Contrarium) termino, & quod ex Oratione rei elicio, hocq; faciendum adhortor. Ex quibus cuivis facilè constat, quomodo locus subiecti quæstionibus infinitis & finitis confirmãdo & amplificando proposito *inserviat*.


Locus adjunctorum nihil aliud est, quam rei, seu quæstionis accidens; quando rei accidẽtia enarramus, quæ simul cum ea sint. Coincidit autem ille locus ferè cum loco antecedentium & con-

sequentium. itaq; in quæstionibus finitis tractandis eadem sunt argumenta adjunctorum, quæ antecedentium & consequentium. Vnde etiam locus circumstantiarum aliquando dicitur. In quæstionibus verò infinitis communiter rem comitantia adjuncta nominantur. Quamvis & in hac tractatione, cum alijs locis conveniant: & hoc sensu inquit Cicero, lib. 1. de Inventione. Adjunctum autem negotio illud intelligitur, quod majus & quod minus, & quod simile erit ei negotio, & quod æquè magnum, & quod contrarium, & quod disparatum, & genus, & pars, & eventus: Vt non aliqua necessitas videatur, hunc locum ab alijs sejungere; præsertim in quæstionibus ad actionem directis. Exempli gratia: Si ad conversationem doctorum adhortor, à colloquijs pijs, eruditis, argumenta sumo, ea ad locum effectorum pertinent, licet etiam adjuncta sint. *In quæstionibus verò ubi vel quid sit, vel quale sit: ubi explicamus, vel laudamus, vel vituperamus: ibi locus Adjunctorum distinctus est: ut: si animum hominis laudo, ac illius laudem adjunctis addo, quod sit constans, lætus. Si corpus laudo, adjuncta sunt, sanitas, vel contrarium morbus, imbecillitas, in quorum laudem vel vituperium digredior in Oratione. Illa enim*

propria

DE TESTIMONIIS.

Tabula Testimoniorum distinctionem exhibens.



Testimonium est vel
- Divinum, quod est vel
  - Ethnicum, ut sunt
    - Oracula,
    - Auspicia,
    - Vaticinationes.
    - Responsa
      - Sacerdotum.
      - Aruspicum.
      - Conjectorum.
  - Christianum
    - Quod in solo verbo divino & sacra scriptura continetur.
- Humanũ, quod est vel
  - Generale, quod scriptum est ab Autoribus, vel
    - Veteribus
    - Neotericis
      - idq; vel ab
        - Historicis
        - Oratoribus
        - Philosophis
        - Poëtis
          - De virtutibus, vitijs, alijsq; rebus, quæ possunt in oratione tractari.
  - Speciale est, quod de facto aliquo est speciali quod est, aut
    - Occultum, quod cuique conscientia dictat.
    - manifestum, q̃ est vel
      - Proprium, quando ipsi profitemur.
      - Alienum, quod alij de nobis audiunt, quod est aut
        - Spontaneum, quod est aut
          - validum quod a
            - viris prudentibus, fide dignis deponitur.
          - Invalidum quod à furiosis & pueris deponitur.
        - Invitum quod non semper valet, &c.

propria sunt adjuncta, ex alia causa, quàm animi & corporis profecta

Et hac ratione cognitu facilia sunt adiuncta, sive illa rerum, sive personarum, sive actionum sint, sive communia, sive propria: facilis quoque discretionis ex prædictis: quomodo cum loco antecedentium & consequentium conveniant, quomodo & quando discernantur.

Vsum quoque intelligimus esse tàm in quæstionibus infinitis, quàm finitis, ad amplificandum potius, & persvasionem iuvandum, quàm probandum directum.

Potissimum autem locum in Genere Demonstrativo, locus Adiunctorum dominatur, ubi personam, aut rem ab Adiunctis laudamus. In Deliberativo non item, quia ab accidentibus & fortuitis non persuademus, sed ex causis effectis. In genere Iudiciali cum Antecedentibus & Consequentibus convenit. Locum autem habent in omnibus partibus Orationis. Quod cum sit varium; nihil addentes, iudicio Oratoris in totum hunc locum *committimus*.

DE TESTIMONIIS.

TABULA

Explicatis hactenus modis amplificandi & probandi Orationem nostram, qui ex re ipsa & animo nostro orti sunt, explicandum quomodo aliorum calculo & exemplo fidem apud auditorem cōciliemus, & Orationem nostram comprobemus-

ampli,

amplificemus & illustremus, id quod fit argumentis illis, quæ sunt remota, & à re externa petita, ut in Topicis Cic: inquit, qualia sunt testimonia & exempla.

Testimonium, describente Cicerone in Topicis, est omne id, quod ab aliqua re externa sumitur, ad fidem faciendam, quod ad Herenn: lib: 4. confirmandæ fidei causa sumi dicit, ut confirmetur illud ita esse, ut nos dicimus.

Dividit porrò Testimonium in Divinum & humanum in partitionibus Orat.

Divinum testimonium: *est Ethnicum, ut sunt Oracula, Auspicia, Vaticinationes, & reliquæ nugæ, sed nos, qui Christianam credimus, & & profitemur religionem, testimonium dicimus, quod ex ore Dei profectū in sacris continetur literis, in quo veritas infallibiliter cōsistit. Estq; hoc Testimonium omnium maximum & verissimum.*

Humanum testimonium, *quod ab hominibus vel literis proditum, vel dictum est.*

Estq; vel Generale, *vel* Speciale.

Generale est quod ab Autoribus vel Veteribus vel Neotericis scriptum est, de aliqua re seu quæstione infinita, puta, virtutibus, vitijs, ut sunt sententiæ, gnomæ, quæ nostram Orationem confirment.

Speci-

Speciale testimonium est, quod de facto aliquo, seu re suis circumstãtijs determinata dicitur, & quæstionem finitam, id est, hypothesin concernit, quod est aut occultum, aut manifestum.

Occultum est quod non manifestò alijs constat, sed cuiq; animus dictitat, & dicitur conscientiæ: quod Testimonium habet maximam vim in animis hominum, si ab Oratoribus rectè tractetur.

Manifestum, quod ex auditu, visu, tactu, profectum, omnibus constat, estq; vel proprium vel alienum.

Proprium est ipsa Confessio, de facto suo, quod est firmißimum testimonium.

Alienum est, quod ab alio in aliquem fertur, quo facto convincitur. Idq; est aut spontaneum, aut invitum.

Spontaneum, quando aliquis liberè non coactè deponit testimonium.

Invitum quando vel minis, vel tortura, vel alijs modis extorquetur.

Illud iterum est aut validum, aut invalidum.

Validum est, quod à viris prudentibus, fide dignis, sobrijs, autoritate præditis, deponitur, quæ provenit etiam, ut Cicero in

Topicis inquit, ab autoritate, multa, aut sunt, quæ autoritatem adferunt, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, necessitas, &c.

Invalidum, quod per nimiam vel illicitam torturam extorquetur, vel à pueris, ebrÿs, furiosis, vel etiam parentibus, fratribus, consanguineis fertur, (quamvis cum limitatione, ut Iuriscõsultis constat) de quibus omnibus suo loco, hic definisse ea sufficiat.

De Generalibus sententijs seu Testimonijs notandum.

1. Quod non è quovis scriptore sumi debeant, sive ille sit Orator, sive Philosophus, sive Poëta, sed secundum Ciceronem ex præstantissimis viris, ac probatissimis, ideoq; optimi quiq; eligendi.

2. Quod sententias ex illis autoribus depromere debeamus, qui de illa quæstione, quam nos tractamus, scripserunt, quiq; artifices fuerunt eius rei, maiorem enim fidem merentur, quia artifici in sua arte creditur: *Exempli gratia: Si Philosophicam aliquam tracto quæstionem, ex Philosopho potius, quàm Poëta testimonium peto: Sic si de militia, ex Iulio Cæsare potius, quam Cicerone, &c.*

3. Quod generalia testimonia adhibeantur maximè ad infinitæ quæstionis cõfirmationem. Cum enim genus sub se speciem comprehendat, quicquid de genere dicitur, id de specie dici necesse est: *Exempli gratia: Si Orator fortitudinem laudat, ad laudes virtutis*

virtutis digrediens, testimoniis generalibus de virtute optimè, fortitudinis laudem probat. Propterea & elegantes sunt, & necessariæ eiusmodi digressiones, si rectè adhibeantur, quomodo autem adhiberi debeant, paulò ante dictum est, in genere & specie.

4. Observandum in allegatione eiusmodi testimoniorum, quod ea citemus vel præmisso nomine Autoris, vel suppresso. Exprimimus nomen autoris, quando testimonium amplificare volumus, vel cum emphasis in illo est, aut cum in autore magna vis fidei & authoritatis. *Exempli gratia: Si Eloquentiæ laudem à testimonio confirmare volumus, Ciceronem citemus certè autorem*, idque fit vel sine commendatione, vel cum commendatione: illa quādo nudè nomen ponimus: hæc, quando epithecon honorificum addimus, vel plura Encomij loco præmittimus, quæ ab arte illa sumenda sunt, de qua nobis sermo institutus est: Sic quoque in divinis testimonijs DEI nomen iterare sæpè solemus. Supprimimus nomen, quando vel notum est testimonium cuius sit autoris, vel non magna vis insit, vel cum non immorari volumus in amplificatione, vel, quando à diversis usurpatur, vel, quando proverbij vim habet, vel denique alia causa, pro iudicio Autoris.

5. Quod citemus testimonia vel simpliciter, vel aliquando amplificationem per periphrasin addamus, & per circumstantias. Illud facimus quādo non magna est in testimonio emphasis, quæ auditoribus incutiatur, & explicetur, vel quando plura sunt argumenta, quæ ad copiam & Orationis terminos amplificationem non admittūt.

Hoc iam, ob dictas causas, si non adsint, diligentes facimus Oratores.

6. Ne sint ista testimonia nimis prolixa, ne in suspicionem incurramus, quasi alienis plumis nos ornare cogamur, artificij Oratorij expertes: In maximam itaque reprehensionem incurrunt, qui integras pagellas, ex aliis transscribunt, & tandem concludunt: Hactenus ille. Item, Sic ille. ita enim citare Oratores debemus, ne auditoribus inserta, sed in Oratione nostra nata videatur, & ita Oratio nostra optimis sententijs referta esse debet, & quasi condita, ut sit ad gustum auditorum doctiorum.

7. Ne nimiam eorum copiam cumulemus, illud enim ad ostentationem vergit, & non Oratoris, sed Doctoris est in Scholis. Vitiosum itaque, quod Pastores aliqui, post singula verba, singula dicta, vel etiam plurima citent. Hoc enim non commovet auditores, neque informat; cum eiusmodi dictorum cumulum non capiant, & interim argumentorum obliviscantur; ut suo loco videbimus.

8. Ne sit peregrinum, & alienum, & quasi crinibus attractum.

9. Ne sit loco incovenienti positum. Proinde notandum, quod in generali tractatione propositionis adhibeatur, ad causas, partes, &c. Ad effecta autem potissimum. Effecta enim cum contineant actiones, necesse est ut illæ corroborentur, & confirmentur testimonijs aliorum. Ergo id fieri confirmationis gratia potiùs, quàm delectationis, manifestũ est: quam tamen si elegãtia sint testimonia & sententiosa, comitem semper habent.

Vlum

Vsum habent generalia testimonia, & sententiæ, in quæstionibus infinitis confirmandis & illustrandis, & in finitis quando digressionibus utimur.

Testimonia specialia, sive occulta sive manifesta sunt, aut de bonis, aut de malis: inque illis quando aut laudationem, aut vituperationem, aut accusationem, aut defensionem merentur. illa pertinet ad Genus Demonstrativum, hæc ad Genus Iudiciale.

Petimus autem testimonium vel à persona nostra, vel ab Auditoribus præsentibus, vel absentibus, vel à persona de qua verba fiunt, vel à Deo, vel etiam per προσωποποΐαν, aliquando & à rebus inanimatis testimonium petimus.

A persona nostra testimonium petere suspectũ est, fidẽque exiguã meretur apud Auditores; nisi Orator maximam fidem, & autoritatem & gratiam habeat, & nisi illud fiat per præteritionem: *Exempli gratia. Possem ego ipse multa de viro hoc præclara dicere, nisi alia magnorum virorum essent testimonia.* Quod & modestiæ speciem habet, & gratiam meretur (propriam autem conscientiam & testimonium exaggerare, Deumque de eodem, testem invocare levitatis indicium est.)

Ab Auditoribus vel manifestum, vel occultum petimus testimonium.

Manifestum, cum vel ipsimet dixerint Oratori, vel publicè, vel etiam omnibus constet, ubi quoque ad locum, ad tempus provocare possumus: exempli gratia: Vidistis, dixistis, quoties hunc virum ipsimet laudastis.

Occul-

Occultum, quando non omnibus constat publicè, sed illis tantum qui intimè & familiariter cum aliquo conversati sunt, tum ad illorum testimonium prouocamus: *ut, exempli gratia: Si constantiam fidei laudare volumus in moriente, testimonium illorum allegamus, qui novißimis eius adfuerunt:* vel etiam quando benevolos Auditores non habemus; tum ad conscientiam provocamus, eamq; exaggeramus, per digreſsionē, si opus est: *exempli gratia: Vestram ego Auditores, qui minus æqui huius viri æstimatores estis, conscientitm appello, illa vobis dictitabit, &c.*

Ab absentibus quoq; testimonium petimus, sive illi sint mortui, sive vivant, nominando eos tanquam præsentes & flagitantes testimonium.

A persona de qua verba facimus, nunquam, vel rarò testimonium proprium petimus, quia propria laus gratiam non habet, nec fidem; nisi cum constat Oratori personam, de qua verba facimus, in summo amore, aut authoritate apud Auditores fuisse; quam requirit Cicero unicè, in Topicis, quod ipsam non tantum magnifecerint, sed etiam admirati sint, facilèq; fidem sint adhibituri, quod tamen modestè & paucis ut fiat necesse est. Modesta enim omnia esse debent, quæcunq; de nobis dicimus, ne iactantiæ notam habeant.

Ad DEVM quoq; aliquando, sed tamen rarius, confugimus testimonium ab ipso petituri, præsertim in studio Religionis, pietatis.

Ad res inanimatas per προσωποποιΐαν descendimus, quando testimonium ab Auditoribus pe-

bus petitum, exaggeramus, quod non tantum Auditores, ſed & parietes, ſi poſſent, hæc vel illa dicturi ſint.

Vſum habent teſtimonia hæc ſpecialia potiſsimum in Genere Demonſtrativo, in laudibus Perſonarum, & in Genere Iudiciali, in Genere verò Deliberativo rariùs adhibentur, niſi quando alios quoq; adducimus, qui hoc vel illud ſuadeant. Reliqua, quæ de teſtimonijs dici debuiſſent, ad Genus Iudiciale pertinent, quo etiam explicationem uberiorem remittimus.

DE EXEMPLIS.

Tabula exemplorum diſtinctionem exhibens.

Exempla ſunt aut
- vera, eaq; ſunt aut ex
  - ſacris utpote Biblijs.
  - Prophanis, utpote
    - Hiſtoricis.
    - Promptuarijs
      - Zvingeri Theatro.
      - Locis Communibus Valerij Maximi.
      - Iohannis Baptiſtæ.
      - Fulgoſi, &c.
- Ficta, ut ſunt
  - Apologi,
  - Fabulæ.

Exemplum in praxi Rhetorica nihil aliud eſt, quàm factum alicuius, quod cum propoſito noſtro convenit, quo ad probandum vel illuſtrandum adhibito, demonſtramus, cujusmodi ſit id quod dicimus, ut Cicero in Top: inquit. Intereſt inter

exemplum

exemplum & testimonium: Exemplo declaramus id, quod dicimus cujusmodi sit. Testimonio, esse illud ita ut nos dicimus.

Est autem exemplum alicujus facti, vel verum, vel fictum.

Fictum est quod alicui attribuitur, quamvis ita non sit. Estq; in Fabulis, Apologis, Parabolis.

Verum continetur in Historijs tam sacris quam prophanis, tam antiquis, quàm Neotericis, alienis, quàm domesticis, ut eleganter Erasmus divīdit ea in libro secundo de Copia Rerum. Continentur autem in Locis Communibus, Promptuarijs Exemplorum, & amplissimo Zvvingeri Theatro, ex quo quilibet Oratoriæ studiosus, tanquam ex Oceano, omnium rerum quæcunq; in Orationem venire possunt, exempla haurire potest.

Notandum in hoc loco exemplorum quod adhibeātur exempla aut generalibus seu infinitis aut specialibus seu finitis quæstionibus.

Generalibus quæstionibus accommodatur; ut tanquam in hypothesi demonstrent veritatem thematis generalis, seu theseos, & adhibetur vel unum, vel plura. Si unum, simplex est, per exemplum probatio, sin plura. Inductio vocatur, quæ argumentatio Rhetorica est: *Exempli gratia: Si de ocio verba fiunt quod producat multa vitia, exempla adduco, Davidis, Ægisti, aliorumq;, quod illi in adulterium lapsi sint*

sunt otio. Sic & alia quæ passim occurrunt. In qua inductione exemplorum notãdum; quod tandem concludamus Epiphonemate, seu Generali sententia, quod itaq; pateat, generalem nostram sententiam veram esse.

Specialibus quæstionibus, vel factis aliorum, dictisve accommodantur exempla, propter aliquam similitudinem, vel dissimilitudinem, quæ vel ad probationem vel declarationem spectant, Ideoq; hic locum habent ficta exempla. De hoc modo considerationis exemplorum, videant præter alios Oratoriæ studiosi, prolixè scribentem Quintilianum lib. 5. cap. 11. Instit: Orat: Ad cujus ductum paucula notabimus.

Primo itaq; exempla specialibus factis adduntur ob similitudinem, quæ oritur ex factis vel personæ convenientia illius qui facit, & huc pertinet Regula: Similium eadem est ratio, Vbi observandum, quod ratione DEI hominum conditio eadem sit, ideoq; similis semper exemplorum ratio: ut, *Si DEVS Regem punit, & damnat ob adulteria: Ergo & rusticum: quia apud DEVM non est respectus personarum.* Apud homines necesse est ut sit facti & personæ similis ratio: ubi locum non habet illud Terentij: Duo cum faciunt idem, sæpè ut possis dicere, non est idem. Exempli gratia: Si Civis ille vel ille punitur ob hoc factum, ergò & alter.

Secundò, dissimilia quoq; exempla inter se cõferũtur, quorũ ratio dissimilis, horũ dissimilitudo secun-

ſecundum Eraſmum ſumitur à Genere, modo, tempore, loco, quæ pariunt diverſitatem.

Vbi notandum quod nomine diſsimilium, & diverſa, oppoſita, itemq́ contraria, quorum alterum ponit, alterum tollit, alterum meretur laudem, alterum vituperium, alterum præmium, alterum pœnam intelligi poſſe: *Exempli gratia: Si ille q̃ nulla cauſa ex malitia hominẽ amicum interficit puniendus graviſsimè: ille certè qui hoſtem liberandæ patriæ gratia interimit laudandus & præmio ornandus.* Item in vituperatione & laudatione: *ille urbem hanc extruxit, amplificavit, hic deſtruxit & funditus evertit.* Item quod eſt apud Quintilianum: *Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eadem ſociis abſtulit.* In quibus exemplis creberrimè comparatio coniuncta eſſe ſolet. Eſtq́ hæc exemplorum collatio huic incluſa regulæ: Diſsimilium, diſsimilis eſt ratio.

Tertiò in exemplis veris, ob diverſam conditionèm facti, & perſonarum, Comparatio vel maioris vel minoris inſtituitur, ubi hæc Regula locum habet: Atrociora delicta majores merentur pœnas, & contrà. Quo major eſt qui peccat, eo majus crimen putatur, & contrà. Tanto conſpectius in ſe crimen habet, quanto qui peccat maior habetur. Qui leges humanas violat, pœna dignus: Ergò multò magis qui divinas transgreſſus eſt, ſi David vir ſanctiſsimus, ſecundum cor DEI, ob adulterium commiſſum punitus, & regno pulſus eſt, ergò & nos pu-

nos puniturus est Deus. Si Deus populo suo non pepercit, qui nobis parsurus sit.

Defictis exemplis observandum, quod minor illorum sit vis, minusque affirmationis illis adhibeatur, ideoque rarius adhibeantur, præsertim rarissimè in Cōcionib9. Valeāt tamē apud rudem plebeculā, apud quam similitudinis loco adhibita, pondus habent aliquod, ut *Menius Agrippa plebem cum patribus traditur in gratiam reduxisse, Nota illa de membris humanis adversus ventrem discordia.*

Quartò, Notandum in genere, ut videamus qualia exēpla allegemus, & ex quibus, an vetera, an recentia, an peregrina, an domestica. Nam in alia materia plus vetera, in alia recentia valent. In adhortationibus vetera exempla plus valere, in suasionibus recentia, videntur. Ex quibus tamen omnibus, in quacunque quæstione, recentia hominum memoria facta, plus momenti habent. Domestica tamen omnium maximè movent: sed illa ut plurimum sunt odiosa, ut proverbio dicitur.

Petenda autem sunt exempla, ex fide dignis Autoribus, de quibus in auditorum animis non aliqua suspicio falsitatis hæret, præsertim apud auditores doctos. Omnium itaque verissima exempla sunt, quæ ex sacris petuntur; ex qua quantum fieri potest, depromenda quoque sunt, cum maximam eorum copiam nobis suppeditent.

Notandum de tractatione exemplorū, quod alia sit stricta & brevis, alia prolixa.

Brevis est, cum notamus tantum tribus verbis exemplum, nullis vel personæ vel temporis,

vel loci adhibitis circumſtantiis: *Exempli gratia: Cæſar Rempublicam mutavit in Monarchiam.*

Prolixa eſt, ſi vel commendamus authorem, vel hiſtorias per circumſtantias narramus, vel illuſtramus, & exaggeramus.

Vbi notandum: Primò, quòd illud fiat quando magna eſt exemplorum & argumentorum copia, utique nec materia, nec Orationis modus prolixam exemplorum tractationem admittit; hoc quando eiuſmodi cauſæ non ſubſunt, præſertim ſi unicum vel alterum exemplum proponimus, in ſvaſionibus, vel exaggeramus, ſi quando neceſsitas flagitat.

Sumitur autem commendatio, ut Eraſmus notat, vel à re, vel ab authoris laude, vel gentis prædicatione, unde dicitur exemplum.

A re, quando cõmendatur factum iſtius hiſtoriæ ab Adiunctis vel effectis.

A perſona. ſi quando fides, authoritas, experientia, (ratione hiſtoriæ) commendentur, illa namque commendatio ad hiſtoriam referenda, ut fidem & authoritatem, quoque conſequatur; ut ſi deſideratur fides hiſtoriæ, commendetur autor à fide & ab autoritate: Si pium videri voles quod affers, commenda autorem à pietate, ut inquit Eraſmus.

A genre, ſi laudatur ea ab illis virtutibus, inter quas, hæc quæ narramus, geſta ſunt. Hæc quæ de amplificatione exemplorum, & exaggeratione dicuntur, plus conſtat uſu, quam præceptis.

Secundò, quod Exempla ſpecialia, ſpecialibus per ſimilitudinem vel comparationẽ addita,

brevis

breviter tantum, & sine amplificatione inserantur Orationi, prout similitudo brevis, & succincta esse debet; nisi similitudinem, & comparationem per partes diducere volueris. De quibus in loco comparationis & similium dictum est.

Tertiò, quod exempla per Comparationem maioris vel minoris, plerumque in Oratione exaggerentur, à gravitate vel levitate facti, vel personarum, quæ aliquid perpetrarunt: Vt: *Si DEVS populum suum ob contemptum verbi sui punivit: Ergò multò magis nos.* Ibi exaggeratio additur à ratione diversitatis personarum, vel gentis, qui Iudæi fuerunt populus Domini, nos alienigenæ & gentes, quas tanquam peregrinas adoptavit.

Vsum exemplorum amplissimum testatur Erasmus in prædicto 13. cap. lib. 2. de copia rerum, his verbis: Ergò ad parandam copiam exempla primas tenent, sive deliberes, sive adhorteris, sive consoleris, sive laudes, sive vituperes; & ut summatim dicam, sive fidem facere studeas, sive movere, sive delectare. Ex qua Erasmi authoritate, ut & exemplis patet, quod tam ad probandam quàm illustrandam Orationē valeant. Ideoque Vsus eorum se extendat ad omnes quæstiones & ad omnia Genera Causarum.

Ad genus Didascalicum, in quæstionibus simplicibus quidem, cum explicationem nostram confirmamus, & eandem ad persvasionem dirigimus, ut fit in mixtis materijs, & locum habet frequētem in concionibus; quin & in tractatione quæstionis cōiunctæ, præsertim illius, quæ ad actionem pertinet, ut infra patebit, exempla habēt locum in loco effectorum.

Ad Genus Deliberativum pertinet exemplum simile, ubi persvademus & alios quoque idem fecisse ex simili causa ostendimus.

Vbi notandum, primò, quod planè similis ratio esse debet, & si non potest omnibus circumstantijs tamen præcipuis. 2. Quod exempla in svasionibus plerumque, cum exaggeratione & amplificatione proponamus, ut ab hoc quoque argumento persuadeamus. Pertinet quoque in eodem Genere ad adhortationes, item petitiones, sive eadem simpliciter probationis loco adducere, sive exaggerationis, cum alijs comparare volumus.

In Genere Demonstrativo, exemplorum quoque in laudationibus locus præcipuus est, secundum omnes modos, præsertim in maiori ad maius: *Exempli gratia: Si hic laudem meretur, quod hostem privatum, qui unius alteriusve vitæ insidiatus est, interemit: quidni ille magis laudandus, quod hostem publicum, qui insidias toti Patriæ struxit, interfecerit.* Itemque in vituperationibus, quorum exempla faciliora sunt.

In Genere Iudiciali adhibentur plerumque in factis iudicatis, ubi similia facta, facinora, similes pœnas, vel etiam præmia, promerita sunt. Vbi similia exempla sive per Comparationem, sive Inductionem, vel nude, vel etiam quod frequentissimum cum exaggeratione posita ad persvadendum vim maximam habet, quod suo loco videbimus. In specie autem cuiusque generis locum occupant in Confirmatione & Confutatione.

Admo-

Admonitiones de omnibus Locis.

Absolutis locis, quibus Orator omnem Orationem amplificat, & propositionem propositam comprobat.

Notandum 1. ut locos Inventionis Oratoriæ studiosi diligenter discant ex Logicis. ut rationem argumentandi ex illis cognoscant, quo facilius usum Rhetoricum intelligant. Crescit enim iudicium ex Logica illa cognitione & differendi facultate, ex locis cognita.

6. Cum locorum Usus, & nexus sit semper junctus, illiq; in argumento uno concurrant: ideoq; diligenter, & maturo judicio videndum, quem eleganter adhibeamus prius, quem posterius, id quod Res ipsa & proposita materia docebit, & judicium modum suppeditabit. Ergò tenendum quod principio huius capitis diximus, quod Loci principales præcipuè simul ad probandum faciant; Ideoq; quoties opus est primo adhibendi, quibus proximè Loci externi testimonium & exemplum adduntur. Deinde minus principales, ut sunt Divisio, Partitio, Comparatio, Oppositio, Antecedentia & Consequentia. Præcipuo curabit Orator studio; ut cum illis jungantur, & artificiose Ora-

ese Oratio illustretur & amplificetur. Loci enim hi in omnibus illis principalioribus locum habent: Ideoq; crebriores & in majori usu apud Oratores sunt.

3. Quod aliquando isti loci strictè aliquādo prolixè tractentur, quod ubi fiat cum judicio videndum, ut in singulis locis monuimus.

4. Observandum quod Cicero in Top: inquit: Non omnes locos incidere in omnem quæstionem, & quibusdam locos alios, quibusdam alios esse aptiores: Itaq; videndum studioso Oratoriæ quosnam locos adhibere debeat, quod in cap: 14. docebimus.

5. Vt simus solliciti una opera, quomodo non tantum prædictis locis Orationem amplificemus; sed etiam sequentibus præceptis ornemus. Ideoq; cognitionis ordine, quæ sequuntur instrumenta, de ornanda Oratione præcedunt, quorum tamen præcipua cognitio, ex Grammaticorum ad Rhetoricam adfertur.



CAPUT

CAPUT VIII.

De Instrumentis seu Modis ornantibus Orationem.

Tabula summam Capitis Octavi exhibens.

Instrumenta formantia seu ornantia, sunt aut in

- Sententijs, quæ sunt aut in
  - Explicatione
    - Simpliciter
    - &
    - Cum argumento.
  - Divisione.
  - Contrario.
  - Comparatione.
- Verbis, quæ considerantur, ratione significationis, quę est
  - Propria, in partibus Orationis.
  - Figurata, in figuris.
- Connexione, quæ est
  - Grammatica, quæ vel
    - Regularis,
    - Irregularis.
  - Rhetorica quæ est ad
    - Ornamenta seu Emphasin.
    - Interpretationem.
    - Extensionem.
    - Concinnitatem.
- Sono seu Euphonia, quæ est in
  - Literis.
  - Expresione.
- Numero Oratorio, in quo considerantur
  - Res.
  - Vocabula.

Descri-

DEscripsimus & explicavimus quantum fuerat propositi nostri, instrumenta Orationem formantia, quoad Quantitatem; iam quoq; πράξεως ratio efflagitat; ut Instrumenta formantia secundum Qualitatem externamq; figuram, id est, expolientia declaremus. Ut enim opifices, postquam maioribus & crassioribus instrumentis opus formarunt, adhibent deinceps Instrumenta minora, & subtiliora, quo opus expoliant, & usibus aptum, gratumq; magis reddãt. Sic & nos subtiliora illa instrumenta adhibituri sumus, quomodo Oratio expoliri, & grata reddi possit, monstrabimus.

Sunt autem illa Instrumenta proxima, imò propria Elocutionis, cujus, quanta sit dignitas, quantusve usus, notius est, quam ut opus sit, illam multis Elogiis onerare verius, quam ornare, & vino vendibili omnibusq; grato hæderam suspendere.

Proinde eam definimus cum Cicerone, lib: 1. de Inventione. Elocutio est verborum & sententiarum ad Inventionem accommodatio, quæ, qualis esse debeat, lib: 3. de Oratore exprimit: quod Oratio debeat esse latina, plana, ornata, apta. Quæ omnia ad considerationem verborum pertinent, prout verba, sententias ornant, iisq; accommodatio fit.

Ad sententias quod attinet, considerantur eæ, aut ratione integræ propositionis, ratione materiæ, quatenus loco generis junguntur, & testimoniorum locum obtinent; aut ratione formæ, aut conne-

connexionis verborum, quatenus iis Oratio illustratur, & hac ratione in præsenti capite eas consideravimus. Quamvis autem ordine cognitionis instrumenta verborum præcedant, tanquam simpliciora, sequuntur sententiarum, tanquam composita ex simplicibus: tamen ordine usus, quoniam Oratoriæ studiosus, eadem in Grammatt: didicit, & in Rhetorum Scholis cognovit, subsequitur, si non aliam, attamen praxeos nostræ rationem, quæ nobis ita placet.

Figuræ sententiarum pertinent partim, ad amplificationem ornandam, partim ad movendos affectus. Illæ in ipsis locis amplificationis nascuntur: hæ ex animo Oratoris originem sumunt, quas nos ad sequens caput reiicimus.



DE FIGVRIS SENTENTIARVM.

Tabula figuras sententiarum exhibens.

Figuræ Sententiarum sunt aut in

- Explicatione, quæ fit, aut
  - simpliciter, Huc pertinet
    - Expolitio.
    - Congeries.
    - ὁρισμός.
    - Hypotyposis.
    - Prosopopœia.
    - Topographia.
  - cum argumento
    - Rei, ut est
      - Ætiologia, quādo causam rei allegamus.
    - verborū quæ vel est
      - simplicium, ut αὔξησις.
      - Compositorū & vocatur κλίμαξ, quæ fit vel
        - cum copia verborum
        - vel Simpliciter.
- Divisione vel etiam partium enarratione
  - Expressè
    - διαίρεσις
    - Præteritio.
  - Res diversas cum cōjuncta Oratione cōjungo, ut certi aliqd concludam, & huc ptrtinet
    - Frequētatio
    - Renovatio.
- Cōtrario seu opposito, ubi aut
  - Rem oppositā addimus
    - παραδιαστολή seu Discriminatio
  - Cōtrariam cōmutamus
    - Inversio vocatur.
  - Quærimus aliquid ex alijs vero respondemus ἀνθυποφορά dicitur, id est, quæ aut
    - Refellimus adversarium κατηγορική
    - Ad nostræ causę defensionē accōmodamus.
  - Removemus utrūq; & cōstringimus adversariū per Dilemma, id est aut
    - Perfectum.
    - Imperfectū.
  - Concedimus, idq; vel
    - Seriò,
    - ut
- Comparatione rei vel
  - Similis, & dicitur σύνθεσις vel
    - Apertè.
    - Occultè.
  - Contraria, & est ἐναντιότης.

Figuræ itaq; Sententiarum, quatenus eas hic consideramus, nihil aliud sunt, nisi instrumenta amplificationem ornantia, ad ornatum Orationis & delectationem auditorum pertinentia. Oriuntur autem, ut dixi, ex ipsis locis amplificationis, in quibus quærendæ, & ad quos cum iudicio applicari meritò debent. Quare in componendis Orationibus diligenter attendat Oratoriæ studiosus.

1. *Quosnam locos adhibere velit in propositione amplificanda (non enim semper omnes adhibet, ut Cicero in Top. inquit:) An Argumentum sumere velit, ex definitione, seu descriptione Rhetorica, An ex causis Efficientibus, Impulsivis, Finalibus, (illi enim sunt loci principales, confirmantes propositionem, & fundamentum amplificationum.*

2. *Quibus modis illa argumenta amplificanda comprobare velit, an partitione, an divisione, an comprobatione, an oppositis, an circumstantijs.*

3. *Quibus Figuris omnia illa cupiat, id quod hac ratione cognoscit. 1. Si secum constituit, an argumenti sententiam simpliciter explicare velit. 2. An persuadere cupiat auditoribus, ut augeat sententias in Oratione. 3. An partes quoq; persequi. 4. Aut res inter se comparare*

An

An adversa quoq; seu contraria attingere. 5. An similia inter se conferre statuat. In his enim omnibus vis Orationis ratione ornandæ sententiæ consistit. Ergò ex his considerabimus quoq; figuras, quæ sententias ornare debeant.

Ad explicationem quidem pertinent.

1. Verborum elegantia *de qua in verborum ornamentis.* 2. *Figura, quæ vocatur* expolitio, *quando eandem sententiam aliis verbis magis perspicuis & dignis exprimo, quoties videor dignè satis, & magnificè rem proposuisse, & illustrasse, ut magis inculcentur res hominũ animis.* Exempli gratia: Abiicienda vobis est illa somnolentia, linquenda illa in studiis negligentia, agite, ad studia vos recipite, non patiar, ut diutius in pigritia illa tempus perdatis, non feram, ut floridam juventutem turpiter transigatis, non permittam, *Autor ad Herennium lib: 4. inquit: Expolitio est, cum in eodem loco manemus, & aliud atq; aliud facere videmur, additq; exemplum:* Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriæ vitandum arbitretur, cum augetur incolumitas civitatis, perpetuò qui bonis erit rationibus præditus, profectò nullum vitæ discrimen pro fortunis

tunis Reipub: fugiendum putabit, & erit mea ſententia ſemper: ut pro patriæ ſtudioſè, quamvis in magnum deſcendat vitę diſcrimen, dimicet.

Vſus huius Figuræ eſt, quod rem illuſtret, & attentionem in auditoribus pariat, eandemq; ſœpiſsimè mutuamus, & ad perſuaſionem transferimus, quando ſententiam aliquam hærere volumus, in animis auditorum, ut eandem expoliamus, & quaſi alijs verbis auditoribus ingeramus.

3. *Pertinet hæc Figura, quæ* Congeries *dicitur, quando talia congeruntur in explicatione ſententiæ, quæ non quidem planè ſunt eiuſdem, attamen non etiam diverſi ſenſus, quæ rem explicant, & animis auditorum inculcant: Exemplum eſt in Oratione Ciceronis pro Ligario.* Quid enim tuus ille Tubero deſtrictus in acie Pharſalica gladius, agebat, cujus mucro ille petebat, quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? *hic enim multa ferè idem ſignificantia congeruntur, neq; augetur Oratio, neq; diminuitur, ſimilia Exempla, materia Orationis & Exercitatio cum judicio docebunt.*

4. *Definitio* ὁρισμὸς, *id eſt, deſcriptio rei, cujusvis (Differt à Definitione in locis poſita, eò quod illa*

illa sit pars probans, ex qua argumentum quoq; sumimus, hæc tantum inserta & addita, utiq;, obscurioribus descriptio & illustratio (quæ omnem rei cuiuspiam vim & potestatem ita dilucidè proponit & breviter explicat, ut neq; pluribus verbis oportuisse dici videatur, neq; lucidius potuisse putetur, ut inquit autor ad Herennium. Exempli gratia: Si in Oratione mentio fiat iustitiæ, pietatis, vel alicujus rei, si non nudè illas virtutes, vel res alias nomino, sed addo descriptionem.

Vsus eius est in explicando & docendo, ut auditores intelligant, quæ sit rei istius, de qua agimus, vis & natura. Quin in omni Oratione persuasoria adhibetur, tum, quando argumentum aliquod sumimus à specie, cum eandem describimus, sive illa sit species ex contrario, sive ex comparatione petita; immò etiam à genere, quod ad speciem transferimus.

Huic cognata est Figura Hypotyposis seu ἐνέργεια, *quæ est rerum tam præteritarum, quam futurarum: & quoq; Expressio, ut res & personæ ante oculos versari videantur, quod fit Explicatione personarum: Huc quoq; faciunt* Prosopographia, & Prosopopœia. Item Topographia, *loci descriptio, seu veri, seu ficti,* Chronologia, *seu vera, seu falsa, quæ figuræ generali nomine*

mine dicuntur Characterismus, *eorum exempla & Divisiones videant Oratoriæ Studiosi in Bentio lib: 2. Class. 3.*

Est autem usus earundem, quando rem secundum circumstantias describimus, vel fingimus, qui rei vel personæ ex fictionis descriptione laudem & vituperium addere possint. Vt: *Fingite vobis auditores hoc vel illud, &c.*

Ad augendam verborum & sententiæ rationem quod attinet, est illud, quando sententiam seu Periodos augere, & sermoni nostro ceu gradus addere cupimus. Id fit ratione rei, vel ratione verborum. Illud quando rem augemus brevi addita causa. Et hoc facit Figura, quæ dicitur αἰτιολογία. *Hæc nihil aliud est, quam augmentum Orationis, cum brevi causa expositione. Estq; plerunq; cum gradatione coniuncta &* συμπέρασμα, seu Conclusio, *quoq; nominatur. Vbi ex minoribus majora, vel ex paribus paria concludimus, ut Cicero:* Etenim si vectigalia nervos exemplo Reipub. duximus. Eum certè ordinem, quæ exercet illa firmamentum cœterorum ordinum rectè dicemus.

Vsus huius Figuræ est, in probando, & augendo sermone. Hoc fit quado vel sensum verborũ augeo ratione vocabulorum, simplicium, vel compo-

compositorum seu connexorum, id est, totius sententiæ. Ad vocabula simplicia pertinent αὔξησις seu augmentum, in vocabulis, quæ significatione augentur, ut fugit hanc, vitauit, auersatus, detestatus, execratus est. In qua figura est observandum, ut verborum istorum ordo, ita observetur, ut sequentia verba plus semper significent, & ut significatione & Emphasi orationem augeant. In compositis seu connexis vocabulis, si res ipsa spectatur est figura elegans, quæ dicitur κλίμαξ seu gradatio, qua ceu per gradus, ab infimis ad summa peruenimus. e. g. *In oratione pro Milone: Neque vero se populo solum, sed & senatui commisit, nec senatui modo sed & publicis præsidiis, & armis, neque his tantum, sed & ejus potestati, cui Senatus totam Rempublicam commisit. Et in oratione pro Roscio: In vrbibus luxuria creatur, ex luxuria auaritia existit, ex auaritia erumpat necesse est audacia, unde omnia scelera & flagitia gignuntur.* Quæ Figura cum sit elegantissima & manifestissima, in oratione rarior esse debet, secundnm Quintilianum lib. 7. cap. 3. Instit. Orat. Quia manifestam habet artem, & magis affectatam, quam orator summo studio dissimulare & vitare debet: Itaque vel semel, vel bis, necessitate flagitante, & iudicio probante, adhibeatur. Vsus eius est maximus, ad rem extollendam, augendam, & commovendos auditores, præsertim in hoc Climace, ubi non tam verborum, quam rerum gradatio attenditur. *e. g. Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, propé parricidium necare: Quid dicam in crucem tollere?* Similia exempla excogitatu, pro re nata, facilima sunt, unde videmus,

mus; quod hæc Figura locum habeat in Oratione, ubi Confirmationis seu Confutationis maxima vis est, argumentiq; quod eadem amplificatur maximum momentum, cum ad attentionem & persvasionē maximè facit. Fit quoq; κλῆμαξ, ubi rem simpliciter extollimus, adeò, si dicimus, nos satis rem exprimere non posse, ut non suppetant verba, quibus rem tantam describam & exprimam; vel quæ potest tanta esse ubertas ingenij, tam divinum atq; incredibile dicendi genus, ut rem hanc vel explicet vel describat, &c. Ad hunc ornatum amplificandi pertinere quoq; videtur Congeries, de qua paulò ante quædam monuimus.

3. *Si partes rei persequi, ijsq; ornatum addere volo, tum aut expressè divido, & rotundè distinguo, & hic locum habet Figura, quæ dicitur διαίρεσις, seu μερισμὸς, de hac videatur lib. 4. autor. ad Herenn. ut pro Quintio:* Ostendam primo, eam non fuisse, cur à Prætore postulares, ut bona Publ. Quintij posshideres. Deinde ex edicto possidere te non posse. Postremo non possedisse. Item, nego fuisse causam cur postularet, nego ex edicto possidere potuisse, nego possedisse, hæc tria cum docuero te, probabo &c.

Aut res diversas enumerat, & quasi in unum locum pono, ut hinc aliquid certi concludam & dicitur Frequentatio, *σοραίσμὸς, ut:*

 Multa

Multa prætereo consulto, sed ea vos conjectura conspicitis, quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant Reges potentissimi; renovent agitatæ nationes; suscipiunt integræ gentes. Novus Imperator vester accipiat, vetere expulso exercitu. *Autor ad Herenn. dicto loco, eam describit exemplumq; addit, quæ huc referre perspicuitas major jussit; Frequentatio est, cum res in tota causa dispersæ coguntur in unum locum, quò gravior aut acrior, aut criminosior oratio fiat, hoc pacto:* A quo abest ille vitio? quid est judices cur velitis eum liberare, suæ pudicitiæ proditor est, insidiatur alienæ, cupidus, intemperans, petulans, superbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infestus in cognatos, in superiores contumax, in æquales & pares fastidiosus, in inferiores crudelis, denique in omnes intolerabilis; *Hæc seu etiam plura, videantur, de hac Figura dicto loco.*

Quæ Figura, cum itidem elegantissima, quæ argumentum inculcet, & ex hac Divisione attentionem maximam pariat, rarior esse debet, ne affectationis sit indicium. Locum autem habet maximum in Peroratione, & contentione gravissima, in adhortationibus quæstionis infinitæ, & genere Iudiciali.

Aut sententiam ita disiungo, ut interponam aliud quippiam, quod est monendum, & dehinc sententiam continuo, & vocatur hæc Figura διίστασις, ut: Quid huic Tito Furvaneo, cui viro Dij mortales? quid de muliercula Gaucia? Quid de Adolescente Apronio dicam? quorum utriq; mortem minatus est, nisi sibi hortorum possessione cessisset, sed ausus est Furvanio dicere, si sibi pecuniam, quantum posceret, non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum. *Cicero pro Milone: Huic cognata Figura est Renovatio, seu ἀνακαίνωσις & ἐπανακαίνωσις, quæ est sententiæ tractatæ, & post intervallum & res alias interpositas, repetitio, Vt:* quam tibi commodum est unam tribum deligito, doce id quod debes, per quem sequestrē, quo diversore corrupta est. Ego, si id facere non potueris, quod, ut opinio mea fert, ne incipies quidem, per quem tulerit docebo. Quamcunq; inquam tribum delegerit, qua tulerit Plancus, tu ostēdito: Si poteris, ego qua ratione tulero, docebo.

In hac Figura notandum, 1. quod sententiam interrumpamus, si quid vel monere volumus, quod ad rem pertinet: Et plerunq; fit per Parenthesin, vel rem augere, & simul auditores

excitare volumus. Et hoc plerunque fit per Interrogationem, vel exclamationem, ut: Dicam de hac re, quam illa res, auditores; quam magna? quam utilis? Dicam inquam. 2. Notandum quod fiat per verbum *INQVAM* renovatio. Habent autem locum hæ Figuræ in Digreſsionibus, per illas enim ad propoſitionem noſtram regredimur, præſertim ad breviorem Digreſsionem, maximè facit, poteſtque ſemper adhiberi, quoties rem non dignè inculcare nos poſſe videmur; niſi inferamus alia, & deinceps ea repetamus, & renovemus.

Ad Diviſionem ſententiæ pertinere quoque videtur Figura quæ dicitur παράληψις, *id eſt, Præteritio, qua videmur non dicere velle ea, quæ tamen maximè dicimus, & narramus: Idque eam ob cauſam, quia plerunque à Præteritione ſtrictim partes perſequimur, & enarramus argumenta, quæ prolixè exponere & amplificare non poſſumus.*

Quæ Figura elegantiſsima eſt in Oratione, ſi rectè adhibetur, habetque locum in Concluſione præſertim, vel etiam in fine Confirmationis, ubi argumenta omnia prolixè proponere non poſſumus, nec tamen omittere volumus, itaque eleganitiſsimè prætermittere quaſi videmur.

4. *Si Contraria quoque attingere, ſeu explicare volumus, aut explicamus rem & oppoſitum addimus, & huc pertinet Figura, quæ vocatur* παραδιαστολὴ *ſeu* Diſcriminatio, *quando illuſtrationis gratia contrarium rei, de qua agimus, ſeu*

oppoſitum

oppositum additur; Exempli gratia: Premis hunc quidem, sed crede mihi nunquam opprimes.

Elegans hæc Figura, in Confutatione, ubi adversarium eiusq; molitiones tanti non facimus, ut commoveamur: ut quasi fidentes nobis obijcimus factum temerarium. Sic quoq; in adhortationibus & petitionibus pro Iudice, petes tu quidem, sed non obtinebis. Indicat autem hæc Figura fiduciam causæ, fidemq; movet auditoribus.

Aut contraria seu opposita inter se commutamus, & unum pro altero reddimus. Quæ Figura dicitur Inversio, *quam explicatius alij sic definiunt: Inversio est, cum duæ sententiæ inter se discrepantes ex traiectione verborum ita efferuntur, ut:* Neq; verè quid mihi irascare intelligere possum, quod eum defendo, quem tu accusas, cur tibi quoq; ipsi non succenseo, qui accusas, eum quem ego defendo, inimicum ego accuso meum, & amicum ego defendo meum. *Item.* Vel hoc tantum bellum, quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno Imperatore confici posse? *Cicero pro lege Manil. Plura Exempla sunt apud Bentium lib. 2. class. 3.*

Quæ Figura venuſtatem rei habet, & rem ipſam ita exprimit, ut teſtetur ingenium & acumen Oratoris & attentionem pariat.

Aut opponimus nobis contrarium, & viciſſim reſpondemus, & refutamus id; Et huc pertinet Occupatio, *quæ fit plerumq; per particulas, Etſi, Tamen, de qua diximus in loco de Occupatione, dicturi quoq; in Figuris, de modis Connexionis.*

Aut quærimus aliquid ex aliis, quid nobis objici poſſit, & deinde reddimus quid oporteat fieri, vel quid nobis adjumento eſt futurum. Et vocatur à Rhetoribus ἀνθυποφορά, Subjectio, *qua aut refellimus adverſarios noſtros, & dicitur* κατηγορική: *Aut ad noſtræ cauſæ defenſionem accommodamus. Illud fit, quando in re dubia quærimus cauſam, cujus adverſarius falſam reddere potuiſſet, nos veram & convenientem contrariamq; reponimus, ut:* Quæro igitur, unde iſte tam perniciosus ſit factus, amplum patrimonium relictum eſt? At patris bona venierunt. Hæreditas aliqua obvenit? non poteſt dici, ſed & à neceſſariis omnibus exhæredatus. Præmium aliquod ex lite & judicio cœpit? non modo etiam non fecit, ſed etiam ipſe grandi reſponſione, victus eſt: Ergo ſi his rationibus locupletatus

tatus non est, sicut omnes videtis, aut isti domi aurum nascitur, aut unde non est licitum, pecunias accepit: *Hoc fit, quando quod nobis obÿci potuit, in re dubia, ab adversario quærimus, ipsi & alias meliores causas. Cur quicquam faciendum, ut non faciendum fuerit, subÿcimus.* Vtinam quid me facere conveniret, cum in tanta Gallorum multitudine circumsederer, jam dimicarem: At cum parva manu prodiremus, locum quoq; inimicissimum habebamus: Castra relinquerem? At neq; subsidium, quod expectarem habebamus? Sederem in castris? At obsidebantur, vitam militum negligerem. At eos videbar, ea accepisse conditione, ut quoad possem patriæ incolumes redderem.

In huius Figuræ primò modo adversarium constringimus, & quid verum & falsum demonstramus: Posteriori vel facti nostri causam addimus, vel excusamus, & non aliter facere potuisse testamur. Habet itaq; locum in Accusationibus, Defensionibus & Excusationibus: & cum sit Figura elegantissima, quæ manifestam quoq; artem prodat, & in facilem affectationis suspicionem incurrere posit; Ideoq; rarior in oratione esse debet, ut & Gradatio.

Aut removemus utrumq; Contrarium, ita ut perstringamus, ut non effugere posit, & voca-

tur Dilemma, *quod duplici modo fit, aut cum Propositione & Conclusione, & vocatur Perfectum*, ut, duæ res sunt, quæ possunt homines ad turpe compendium commouere; Inopia & Auaritia. Te auarum in fraterna Divisione cognovimus, inopem, egentemq; nunc videmus, qui potest igitur ostendere, causam maleficij non fuisse.

Aut partibus illis non expreßis, ut, cur nunc tibi obÿciam quicquam, si probus es, non meruisti; si improbus, non commoveris.

In qua Figura notandum, ut ita conformatæ sint partes Dilemmatis, ne altera vel dirui, vel tertium dari posit. Aliàs enim non concludit, neque prodest. Sin vero certa est, firmissimè convincit & constringit adversarium, Proinde ad fidem faciendam maximè valet.

Aut denique concedimus aliquid adversario, idque seriò, aut per quandam correctionem:. Et vocatur hæc figura συγχώρησισ h.e. Conceßio. Seria Conceßio rarior est, per correctionem autem frequentior, quæ fit quando eam ob causam adversario nostro aliquid largimur: ut causam nostram eo melius poßimus obtinere, ut: Esto, Causam proferre non potest, tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo Iure decedam fretus hujus innocentia, Non quæro abs te, quæro pa-

ro Patrem Sextus Roſcius occiderit: quæro quomodo occiderit,

Huius Figuræ uſus eſt, ubi cauſæ noſtræ fidimus. Perſtringit enim Adverſarium & cauſæ bonitatem monſtrat, quæ cum ſit manifeſta, facilèque ab Auditoribus obſervetur rarior in Oratione eſſe debet; In figuris atque adeò loco Oppoſitionis iudicium maximũ adhibendũ, ut videamus quomodo amplificatio cum ornamento huius figuræ inſtituatur, Nam cum ex adverſariorũ ingenio oriri videantur: non niſi ſingulari iudicio & prudentia animum illorum exprimere oratio debet, ne aut odioſa Auditoribus, vel ridicula aduerſarijs fiet.

Quinto denique comparamus rem cum alia, vel ſimili aut diſſimili, aut etiam contraria. Ad ſimile pertinet figura, quæ dicitur Syntheſis, id eſt, Collatio, Cicero lib. 1: de Inventione inquit: Collatio eſt rem cum ſimilitudine conferens, quæ eſt vel Aperta, vel Occulta: Illa eſt in hoc exemplo. Si illius rei Collationem inſtituimus, ſi conferamus rem &c. Hæc: Si hoc Regi accidit, Ergo & Nobili. *Eſtq; in omnibus partibus comparationis. De qua Figura videant Oratoriæ ſtudioſi Bentium lib 2. Claſſ: 6. per totum.*

Vſus huius figuræ ex hoc loco Comparationis facilè poteſt intelligi, ſi iudicio attenditur, quod maximopere requiritur.

Contraria comparamus, cum quidem non conferuntur, ſed pugnantes inter ſe ſententiæ, per

Comparationem opponuntur. Quæ Figura ἐναντιότης, *id est, Contrarietas seu Contentio dicitur: ut:* Vos hujus incommodis lugetis, ille Reipub. calamitate lætatur. *Item:* Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere: Sic vobis turpissimum sit, illud quod accepistis tueri ac conservare non posse. *Cicero pro lege Manilia.*

Huius Figuræ usus elegantissimus est, & ad illustrandum & probandum simul facit, prout ex loco comparationis facilius intelligi potest.

De Figuris hisce omnibus in genere notandum diligentissime studiosis Oratoriæ.

I. Quod non tantum quæstionibus finitis: sed etiam infinitis conueniant: cum & in his amplificandis ita adhibeantur: ut, quod in illis ad certas circumstantias adhibetur, in his generaliter & infinite proponatur.

II. Quod oriantur ex locis amplificationum & probationum, ut patet ex locis amplificationis supra explicatis. Ideoque cum Iudicio illis applicandas esse, idque in omnibus partibus orationis.

III. Figuras hasce præbere formulas amplificationis, ut sciat studiosus quibus verbis locum tractare debeat. Proinde multa & varia figurarum exempla ex orationibus in promptu habeant studiosi: ex illis iudicium crescit, ut similes nobis formulas fingere possimus, quod in formularum præceptis quoque monebimus & iterabimus.

IV. Fi-

IV. Figuras istas sæpe concurrere in uno argumento & loco in strictis præsertim amplificationibus. Proinde & hic iudicium adhibendum, quod tamen facillimum est, versato aliquantumque in hoc doctrinarum genere, & tantum de figuris Sententiarum in Praxi Rhetorica sufficit. Reliqua Usus & Oratorum lectio facilè suppeditat.

DE FIGURIS VERBORUM.

De Figuris verborum hoc præmonendum diximus, quod ob multitudinem & varietatem earum, vix ac ne vix quidem, in componendæ Orationis dispositione vel Compositione observari possint; ut hanc vel illam figuram in verbis vel sententiis collocandis præmeditemur. Itaque magni nominis vir quidam, reprahendit eos, qui tam operose & superstitiose observant figuras, & resolvunt in Orationis resolutione: forsitan quod hæc sit tortura ingeniorum, qua tempus terant & perdant, seque, quo minus majora & compendiosiora ad eloquentiam discere possint, remorentur: Cum Figuras illas ἀνονύμως, *quippe elegantia sua accedentes, & ingeniis gratas observare, & lectione ad usum transferre possimus: tamen, cum Figurarum doctrina, non omninò utilitatis expers sit, maximèque memoriam adjuvet; ut nominibus illorum cognitis, melius figuratas locutiones, in Oratione*

adhiberi

adhiberi queamus. Ideoq; certos ordines Rhetores constituerunt, quos imitati, in disponendis figuris, monstrando usum earum, in Praxi nostra Rhetorica aliquid conabimur.

Principio autem simplicißima elementa, ex quibus vocabula constant, consideranda sunt, quæ vel ad scribendum pertinent, & sunt Orthographiæ; vel ad pronunciandum, & sunt Prosodiæ figuræ. Quæ omnia & singula cum ex Grammaticorum scholis in Rhetoricam proveniant, & in prima Institutione accurata præceptorum admonitione, & correctione (quibus in hac parte diligentiam commendamus) inculcentur: hic ne verbum unum addimus, hoc saltem monentes: ut Oratoriæ studiosi, in scribendo Orthographiæ, in pronunciando Prosodiæ Figuras diligentißimè observent. Neq; puerile esse statuant (si antea ea non didicerunt, vel accurate observarunt) aliquid temporis, & studij hisce impendere; præsertim autem in Prosodiæ Figuras. Videmus enim multos, qui sibi majora sumunt, & ab aliis etiam tribuuntur, in his Principiis, præcipuè in pronunciationibus hallucinari; vel apertè errare. Quare si non aliam ob causam; attamen pronunciatione, Poësi operam dare debemus: ut eò tutius loqui, & in compositione Orationis vocabula connectere

ctere possimus, ne numerorum Poëticorum ignari, Oratoriam libertatem illis astringamus, quod maximopere vitandum: ut suo loco videbimus.

Proximum itaq. est, ut Oratoriæ studiosus compositurus Orationem, verba consideret, & videat, quomodo structura eorum, Orationem efficiat latinam, id est, puram & ornatam; & planam, id est, perspicuam, decentem; aptam, id est, gravem, splendidam, numerosam; quod ut compendio facere possit.

I. Consideret verborum significationem, quæ est propria aut tropica.

II. Coniunctionem, id est, Copulationem, quæ est aut Grammatica, aut Rhetorica: Illa vocatur Constructio, hæc Copulatio, Ex qua verborum copia oritur.

III. Sonum verborum, qui sit suavis.

IV. Numerum verborum, id est, quantitatem.

V. Definitionem verborum, seu Periodorum.



DE

DE SIGNIFICATIONE VERBORUM.

Tabula Significationes verborum exhibens.

Significatio verborum est aut

- Propria, quæ nativam significationem retinet, sumtq; ejus verba, aut
  - Principalia, quæ Orationem per se efficiunt,
    - Nomen
    - Verbum
  - Minᵒ principalia, quę vel loco principalium sunt, vel quātitatem, & qualitatem illis addunt
    - Pronomen
    - Participium
    - Adverbium
    - Cōiūctio
    - Prępositio
    - Interiectio.
  - Suntq; illa
    - vel
      - Simplicia
      - Cōpōsita quę fit ut significationem vel
        - Augeant.
        - Minuant.
        - Mutet
    - vel
      - Primitiva.
      - Derivativa, quę fit vel ob quādam similitudinem, gratia
        - Necessitatis.
        - Delectationis.
- Figurata seu tropica, quæ oritur ex loco
  - Causarum quę est Metonymia, & est
    - Efficiens pro effecto
    - Materia pro materiato
    - Accedens pro Subjecto
    - vel cōtrà
  - Partium, quæ vocatur Synechdoche, quæ est quando ponitur
    - totum integrale, pro parte integrali.
    - totum essentiale, pro parte essentiali.
    - totum universale, ꝑ parte universali.
    - vel contra
  - Similium, & est Metaphora in qua cōsideratur
    - in qbus rebus fit
      - verbo in quo Metaphora manifesta sit.
      - Nomine, in quo non item.
    - Quomodo applicetur ob quandā cōvenientiā, seu similitudinē, fitq; applicatio vel
      - in uno vocabulo.
      - in pluribus.
      - in quibᵒ observari debet, ut sint in rebus
        - notis.
        - honestis nō obscœnis.

Quo

Quo ad Significationem verborum, sunt omnia vocabula, aut Propria, aut Figurata. Propria sunt, quæ nativam rei significationem retinent, & rem quamvis suo nomine describunt. Suntq; vel Principalia, vel minus principalia. Principalia sunt Nomen & Verbum. Propterea quod Orationem per se efficiant. Reliqua tantum Quantitatem, vel Qualitatem, aliasve circumstantias Orationi addunt. Sunt autem vocabula illa vel Simplicia, vel Composita, vel Primitiva, vel Derivativa. Compositio verborum sive vocabulorum fit, variis modis; prout in Grammaticis præceptis constat, fitq; præterea, ut significatio vocabulorum vel augeatur vel minuatur, vel emphasin Orationi addat. Derivatio fit ob quandam similitudinem, vel Delectationis, vel Necessitatis gratia, quæ cum discantur in Grammaticorum Scholis, non est, ut hic quicquam addamus: nisi ut etiam atq; etiam adhortemur Studiosos; ut secundum Compositionem præsertim vocabulorum, & derivationum vim, & proprietatem vocabulorum cognoscere discant, & hanc cognitionem ad solam Rhetoricam adferant.

Sunt autem de significatione propria maximo studio sequentes obseruationes tenendæ.

1. Vt verba siue vocabula non sint obscura. antiqua, obsoleta, Barbara, sed temporibus præsenti-

sentibus conuenientia, Delectus enim habendus verborum, qui secundum Cæsaris sententiam, quæ in Bruto Ciceronis legitur, origo est eloquentiæ. Proinde Autores diligenter considerandi sunt, ex quibus depromantur, & distinguendi in certas ætates, ut est apud Goclenium in observationibus Grammaticis, & alios. Videndum ex illis quos tuto imitari possimus. Ex qua ætatum distinctione cernimus, illam latinæ linguæ florentissimam fuisse, in quâ Cicero, Livius, Salustius, Terentius vixerunt, quos omnes tutò imitari: remotiorum, & proximarum ætatum scriptores, non nisi iudicio adhibito, & usu authoritateq; magnorum virorum, adhiberi possumus: Prout illa in Grammaticis proponuntur. Si tamen aliquando, necessitate ita flagitante, vocabulo barbaro, vel sordido uti volumus, præmissione veniæ, hac vel alia formula, liceat mihi cum illo loqui, id fieri debet.

Secundo. Vt sint rebus accommodata, quæ rei magnitudinē adæquent & exprimāt: ut in Auditorum animis efficacia sint, & Emphatica præsertim conclusione, e. g. Si dico, Susanna in amorem & libidinem senum consentire noluit: Non est Emphasis adæquans rem & factum ipsum; sed aversata, execrata est, ab eorum libidine abhorruit.

Tertio. Vt aut propria unicuiq; materiæ, quam tractamus. Cum enim singulæ artes singulares habeant terminos & vocabula, quibus utuntur, de quacunque materia verba facimus. Ex eius disciplina etiam vocabula sumenda sunt, quod fit, si depromimus ea, ex illis autoribus, qui de hac materia scripserunt; ut si de bello, si de venatione, sive de

siue de alia quacunne materia dicendum est, videantur autores eius materiæ, vel Adrianus Iunius, qui omnia omnium artificum vocabula in suo Nomenclatore optime interpretatus est; quem Autorem meritò sibi comparare debent latinæ linguæ studiosi.

Quarto, ut sint eiusdem linguæ, ut si latinam Orationem conscribo, latinis uti debeo vocabulis: si germanicam germanis. Repræhendendi itaq; sunt illi concionatores, qui sæpissimè latina vocabula, vel etiam integras sententias inserunt concionibus suis: Imò & Græcas, cum tamen græca sunt, quæ multi nec legere ferè, nec intelligere possint; nisi quæ ex Postillis transcribunt. Cicero enim latinus Orator fuit, nec Græcæ linguæ ignarus; nunquam tamen græca vocabula immiscuit Orationibus. Tum demum itaq; immiscenda sunt græca & peregrina, cum aliqua emphasis est in vocabulo, quæ vernacula lingua non potest exprimi; vel terminus aliquis latinus, aut græcus, qui memoriam alias labilem iuvare possit (quod tamen raro, vel si vitari id potest, nunquam fieri debet) quod Concionatores in Concionibus suis faciunt.

Quintò, Vt sibi in certo genere respondeant, nec aliud vocabulum sit Poëticum, aliud Oratorium: Epitheta Poëtica, cum Oratorijs commiscenda non sunt, quæ reddunt Orationem ineptam, & defectum iudicij in Oratore indicant. Quæ omnia studio legendi bonos autores, & exercitio scribendi melius & commodius, quam præceptorum multitudine discuntur.

Porrò qualia debeant esse vocabula seu verba, ex quibus constat Oratio, videant Studiosi eruditissimum librum Erasmi de copia verborum & rerum lib. 1: cap. 11. & Commentarium Feltkirchij in eundem librum. Ex quo huc transscribere omnia prolixum nimis foret, præsertim cum lectio Erasmi semper praxi huic Rhetoricæ adjungenda sit: Quod ut faciant studiosi, qui majorem utilitatem ex hisce Exercitiis capere volunt, etiam atque etiam rogo.

Cæterum ex proprietate vocabulorum & accuratæ constructionis & mutationis per figuras cognitione provenit studiosis; ut Phrases in Oratione elegantia discernere, & re una sæpius exprimenda mutare poßint, nec opus habeant ijsdem eodem modo, uti semper vocabulis, & phrasibus sed easdem aliquando per participium commutare, & exprimere; ut subinde per partium accidentia, Tempora, modos, casus, &c. mutata oratione variare possent, Illud enim ad copiam verborum mirifice conducit: Quæ tamen cum magis ad Grammaticam pertineant, quam ad praxin Rhetorices, ubi magis de rebus quam verbis quæ ex Grammaticis cognita esse debent, solliciti simus: Eo quoq; studiosos remittimus. Inter Rhetores autem Erasmum, qui in lib. 1. de copia verborum & rerum à c. 31. ad

finem lib. 1. prolixè hæc complexus est, & Keckermannum, qui in ordinem eosdem, variandæ orationis modos redegit, Auditoribus nostris commendamus.

Ratione significationis oratio figurata seu tropica, nihil aliud est quam vocis translatio, de propria significatione in alienam: non tamen planè dissimilem. Causam huius locutionis figuratæ peperit necessitas, & delectatio. Illa quidem ob penuriam vocabulorum, quæ rerum numerum & copiam non assequitur. Ideoq; quæ propriè exprimi non possunt, necesse est ut per figuram explicentur: Hæc ex ingenij acumine oritur, quod jucundas translationes invenit, & vocabula vulgata minus vulgatis, at incundis, exprimit.

Transferuntur enim in aliam significationem Nomina & Verba, tanquam præcipuæ partes Orationis, ex quibus oriuntur Figuræ, vel ex loco Causarum, & dicitur Metonymia; *vel ex loco totius & partium, & dicitur* Synecdoche: *vel ex loco similium, & dicitur* Metaphora.

METONYMIA plerumq; in Nominibus locum habens, ut Quintilianus lib. 8. cap. 6. inquit. Nominis pro Nomine positio est: ubi causa pro causato, efficiens pro effectu, Materia pro materiato; Accidens pro Subiecto, vel contra ponitur.

Efficiens, pro effectu est in hoc exemplo: Bacchus pro vino: Ceres pro frugibus vel cibo: Venus pro Amore: Aristoteles pro libro, & scriptis: Homerus pro Poëmatibus. *Effecti, pro efficiente est in Epithetis plerumque quæ nominibus Substantivis adduntur,* ut languida febris: pallida mors: lucidus Sol. *Materia pro materiato ponitur:* aurum, argentum, pro pecunia: ferrum pro gladio. *Accidens pro subiecto, ut:* Quantus Quantus es, nil nisi sapientia es. *Subiecti pro Accidente est:* Vivere Bacchanalia. *Est & alia Metonymia, quæ circumstantiarum dicitur, ut quando vox temporis, ponitur pro voce rei: ut,* Aurea secula, ferrea secula. *Vel quando vox Temporis pro Personis ponitur, quæ tamen ad Synecdochen ab alijs referuntur. Tandem Metonymiæ figura pro re figurata est, quando* Corona, Diadema, Fasces, pro imperio; Toga, pro pace dicitur.

Hæc Figura magnam habet emphasin in animis auditorum, quia incurrit in oculos, & magis afficit homines; ut si dico: Hostis omnia flamma, ferro devastavit: maiorem emphasin habet, quam si dico, gladio, igni: sic quoque in reliquis exemplis. Requiritur autem in ea, ut apte & eleganter metonymias adhibeamus; ne tmen nimis crebri simus, Metonymicis vocabulis, vel etiam inte-

gris lo-

gris locutionibus, quod affectationem & defectum iudicij in Oratione indicat.

Secunda Figura est Synecdoche, *quando pars pro toto, hoc est, genus pro specie, species pro individuo, vel contra ponitur; quod ad emphasin in Oratione & elegantiam facit maximè.*

Partis pro toto, exemplum in partibus integralibus est: Mænia pro Urbe: Oculus pro homine: Tectum pro ædibus. *Essentialis anima pro homine:* ut, omnis anima morietur, id est, omnis homo. *Totius integralis pro parte, Est in exemplo:* Roma totum terrarum orbem suo Imperio subjecit, pro maxima parte. *Totius essentialis, pro parte:* Quando cadaver hominis, hominem nominamus. *Generis pro specie exemplum est:* Quando virtutem pro fortitudine ponimus. *Species pro genere:* Quando furtum pro quovis facinore dico. *Speciei pro individuo, quando* κατ᾽ ἐξοχὴν *aliquis speciei nomine intelligitur: ut,* Poëta pro Virgilio: Apostolus pro Paulo. *Individui pro specie, quando:* Martem pro viro forti: Venerem pro Amasia dico.

Quæ Figura usu magis & observatione discitur, quam multis præceptis & exemplis declaratur.

Tertia sequitur Figura amplissima, & omnium florentissima Metaphora, *de qua Cicero dicit in Oratore, quod nihil sit in rerum natura, unde simile non possit deduci, inde modos Metaphorarum infinitos esse. Ex quo dicto Ciceronis constat: Metaphoram esse tropum, quo vocabuli significatio, ob similitudinem alijs attribuitur rebus.*

Vbi observandum I. Quibus rebus. II. Quomodo attribuatur.

Quod ad res ipsas: sumuntur Metâphoræ ab omnibus rebus, quæcunque tantum in sensus venire possint, ut nimis sit prolixum Rerum omnium dari exempla cum facilius usu & lectione cognoscantur. Illa enim figura dijudicatu tam facilis est: ut nullus sit, qui eam in lectione Auditorum observare non possit. Cum præsertim in Grammaticis lectionibus & vocabulorum explicationibus monstretur & inculcetur à Præceptoribus.

In rebus itaque notandum primò, quod nullum sit verbum, vel pauca admodum, quæ non Metaphoricam habeant significationem: cùm vel à corpore transferuntur, ad animam; vel ab anima ad corpus, id quod ex Calepino & præsertim ex Fabro, qui omnium optimè verborum usum & significationes præscripsit, facilè cognoscitur, ut exemplis opus non sit.

II. In nominibus res non ita liquet, cum non sit obvia: nisi in ingenio Oratoris. In ijs

effin

effingantur, ob quandam convenientiam. Possunt autem ex omnibus nominibus, quarumcunque rerum, quæ in oculos incurrunt Metaphoricæ locutiones desumi, quæ res describitur in Tabula prædicamenti substantiæ. *Exempla sunt, Lachrymarum imbres fundere, fortunarum procellis agitari:*

Quod ad modum applicationis: notandum quod Metaphoricæ locutiones, rebus applicentur, ob quandam convenientiam, quam vel significatione, vel proprietate, vel alia quacunque qualitate, quam cum rebus, quibus applicantur, habent, ut præcedentibus exemplis, res manifesta est; ubi proprietatum manifesta cernitur convenientia. Præterea in Metaphora notandum, quod Metaphora alia sit in vocabulo uno, ut: quando explicare sumo pro illustrare rem aliquam. *Componere orationem, pro conscribere.* Alia in Pluribus, id est in propositione integra, idque vel una, quæ stricta dicitur similitudo, & propriè Metaphora nominatur: vel multis propositionibus coniunctum, & sic magis propriè similitudo dicitur. Prius patet in exemplo *Lachrymarum imbres fundere.* Posterius quando convenientiam, explico hoc modo. *Sicuti imbres humectant terram ex nubibus effusæ, sic lachrymæ genas humectant.* Quæ figura supra est exposita.

Secundo quod Metaphora sumi debeat ex notis rebus, in sensus, atq; adeò in oculos incurrentibus, non obscuris. Cum enim Metaphora illustrationis gratia inuenta sit, per nota nō obscura fieri debet.

Tertiò ut à rebus gratis, iucundis, honestis, non obscuris sumatur.

Quartò, ut ingeniosè & eleganter Metaphoricæ locutioes adhibeantur, ideoq; seligantur ex rebus & significationibus vocabulorum, quæ potissimum ad delectationem Auditorum faciant. Ille enim usus huius Figuræ præcipuus est, ut suavem & iucundam reddat Orationem, ideoq; liberrima est, & ingenio Oratoris committitur, ut ex quibuscunq; rebus velit, eandem desumat.

Quintò, ex honestis sumantur Metaphoræ, non obscœnis & scurrilibus.

DE CONIUNCTIONE VERBORUM, I. GRAMMATICA.

TABULA (B)

Deinde considero vocabula non ratione significationis, sed Copulationis, & conjunctionis, quæ etiam aut Grammatica aut Rhetorica; Grammatica ad σύνταξιν seu constructionem pertinet, quæ nihil aliud est, nisi vocum apta & elegans inter se combinatio.

Estq; duplex, Regularis, & Figurata.

Regularis est, quæ fit secundùm consuetas Regulas in Syntaxi propositas. Estque purè Grammatica, quia ad orationis structuram sine ullo ornamento Rhetorico pertinet.

Figurata est, quæ è Regulari descendens, ad Figuras Syntacticas declinat, & non purè est Grammatica, quia non simpliciter tantum, perpetuo

Tabula connexionem vocabulorum exhibens.

Copulatio vocabulorum est vel

- Grammatica, quæ nihil aliud est, nisi Syntaxis seu copulatio, estq; vel
  - Regularis, quæ fit secundum vulgares regulas.
  - Figurata, quæ fit per figuras in Syntaxi positas.
- Rhetorica, quæ fit ad vel
  - Ornatum, & vim aliorum vocabulorum exprimendam per epitheta, in quibus spectatur ut sunt
    - Convenientia.
    - Finem vocabuli positi respicientia.
    - Plura adhibita aliquando propter emphasin.
    - Oratoria non Poëtica.
    - Non nimis crebra.
    - Aliquando in Positivo, aliquando in Cõparativo gradu posita.
  - Interpretationem seu explicationem, idque vel
    - In vocabulis idem significantibus, quæ sunt Synonyma aut
      - Propria.
      - Impropria
    - Diversam significationem habentibus, ad idem tamen denotandum sunt
      - Congeries.
      - αὔξησις.
  - Extensionem, quæ fit per
    - Pleonasmum.
    - Periphrasin.
  - Concinnitatem & delectationem ubi vocabula junguntur alijs ꝓpter
    - Qualitatem, ratione rei in
      - Gravissimis rebus gravissima vocabula addantur, id fit si sint vocabula
        - Longa syllabarum numero.
        - Gravia quantitate syllabarum
      - Lenioribus vocabula leniora, id fit
        - Si brevia numero.
        - Si quãtitate brevia.
    - Cõnexionem emphaticam, ubi junguntur vocabula
      - unius soni & significationis, id fit vel
        - In principio Anaphora.
        - In fine Epistrophe.
        - In fine & principio, & dicitur Epanalepsis.
        - In medio & fine, & dicitur Epanorthosis.
      - in diversa significatione fit quando est
        - son⁹ similis.
          - uni⁹ dictionis in eadẽ significatione πολύπτωτον.
          - vel in diversa significatione παρονομασία.
        - non admodũ dissimilis.
    - Affectum movẽdum
      - *leniorem* ἐπίζευξις.
      - *vehementiorẽ* ἐπιμονή.

tuo Regularum præscripto orationem conjungit, sed qualitatem ornatus orationi addit. Ideoque ad Rhetoricam accedit & figuris hujus Constructionis orationem ornamus, & in animis Auditorum delectationem parimus:

Quæ omnia tamen cum in Grammatica tractentur, atque adeo pueris nota sint, non est ut in praxi Rhetorica quicquam eorum tractemus: sed admoneamus tantum studiosos adolescentes: ut diligentissimè discant Syntacticas Regulas: ne in scribendo impingant, sed ornatè sine dubitatione & loqui & scribere possint. Quod autem quidam ex usu & consuetudine loquuntur, illumque semper prætendant, si Præceptorũ, usus inculcetur, illud negligentiæ & ruditatis indicium est; si præsertim illud à studiosis fiat. Hoc tantum addo quod Autor ad Herennium lib. 4. inquit, Vitia in sermoe quo minus latinus sit, duo solent esse, Solæcismus & Barbarismus. Solæcismus est cum verbis pluribus consequens verbum superior, non accommodatur. Barbarismus est, cum verbum aliquod vitiosè effertur. Quæ dico, vitanda sunt probè quomodo autem vitari possint & debeant in præcedentibus & sequentibus patet.

II. DE CONIUNCTIONE SEU COPULATIONE RHETORICA.

Coniunctio Rhetorica est, quando nomina alijs iunguntur, vel Verba, aut Nomina aliis applicantur, vel extenduntur, ad copiam Orationis ponendam: quæ verborum copia & Orationis coniunctio ex copia rerum oritur; ut, si suppetunt argumenta, & res verba haud in vita sequantur.

Scripsit autem de hac copia præter alios Erasmus in Eleganti suo libello, de copia verborum & rerum, qui, cum in omnium studiosorum Eloquentiæ manibus versari debeat; ideoq́ brevissimè, quæ in praxi Rhetorica observari possunt, notabimus.

Fitq́ quando vocabula vocabulis adduntur, vel ad ornatum, vel ad explicationem, seu interpretationem simul, vel ad extensionem & modum, & ad concinnitatem pronunciationis.

Ad Ornatum pertinent Epitheta *quæ vocabulis seu nominibus Substantivis augendæ significationis gratia adduntur: de quibus notandum.*

I. Vt Epitheta sint nominibus convenientia, & ex proprietate desumpta, quæ vim vocabuli exprimant, vel secundum Quantitatem vel Qualitatem, vel Effectum, ut; Amor ingens, dulcis: Amor languidus.

II. Itaq;

II. Itaque videndum ut Epitheton tale adhibeatur, quod finem illius vocabuli, cui additur, respiciat, ut si amorem commendare volo, non convenit epitheton, langvidus, tristis, sed dulcis, iucundus: Proinde unum Substantivum, epitheta alia atque alia admittit, prout vocabulo ad hunc illumve finem, in Oratione utimur.

III. Quod uni vocabulo etiam plura epitheta addere possimus, si emphasis requirit, quod fit per Synonymiam, vel per congeriem, ad explicādam & augendam Orationem, locum habet in affectibus exprimendis; ut in sequenti capite. ut amor tristis, languidus & acerbus.

IV. Ne sint Poëtica, sed Oratoria: Diversa enim sunt, alia Poëtis, alia Oratoribus usitata. Proinde videndum, ut alia in Orationibus adhibeamus epitheta, quæ dignitatem & emphasin addant Orationi.

V. Ne sint epitheta nimis crebra, nec omnibus nòminibus addita, quod est Poëticum, Oratori fugiendum, quia tædium parit, & ridiculam efficit Orationem.

VI. Quod adhibeātur aliquando Epitheta positivo, aliquando comparativo, aliquando superlativo gradu, quod Orationem auget: ut, vir bonus amico optimo præstitit beneficium.

VII. Notandum quoque secundum alios, quod Epitheta non tantum sunt nomina Adiectiva, sed etiam Substantiva aliquando, ubi Substantiuum, cui additur tale Epitheton, genitivo Casu ponitur, ut, fortunarum injuria. Quæ ratio maximè vim vocabuli auget.

Quæ

Quæ tamen Epitheta nominanda non esse, ipsum Epitheti vocabulum indicat. Quia substantiva substantivis non simpliciter adjiciuntur ob Emphasin; sed & casuum mutatione invicem aliquid attribuit, ut diversum rei modum designent; ut in exemplo fortunarum injuria patet; Huc etiam faciunt adjectiva, quæ ob partitionem genitivos plurales asciscunt.

Interpretationis seu Explicationis gratia fit vel vocabulis idem significantibus, vel diversam significationem habentibus.

Idem significantibus fit, quando voces vocibus adduntur, quæ dicuntur Synonyma, idem significantia, de quibus quædam agit Erasmus lib. 1. c. 11. Qualia sunt Ensis, gladius, Codex, liber, Domus, ædes.

Sunt autem in Synonymis notanda. I. Quod quædam Synonyma sint in uno vocabulo, diverso modo & terminatione prolato, quæ dicuntur impropriè Synonyma. Attamen ad explicationem & copiam verborum necessaria, ut si aliquando dico, Hoc est iustitiæ, hoc est iustum, hoc est decus, hoc est decorum. (ita enim vocabula in oratione mutanda sunt, ut gratiam variatio habeat.) Vel in diversis vocabulis unam rem significantibus, quæ propriè sunt Synonyma, de quibus hic agemus.

II. Quod Synonyma debeant esse æquè usitata non aliud barbarum, obsoletum, aliud usitatum.

III. Quod

III. Quod, cum non reperiantur multa vocabula, & raro præter duo, unum significantia non cumulanda sunt multa Synonyma, ne oratio inepta reddatur. In verbis autem crebriora sunt & magis usurpanda (quamvis & illa significatione inter se differunt, vel aliud propriè aliud Metaphoricè significet; ut interpretari, explicare, exponere, declarare illustrare, & sic alia.) In nominibus verò rarissima sunt, & ut Erasmus inquit; Pauca quæ non aliquo discrimine dissideant, vel, si nihil in significatione sit discriminis: tamen sunt alia alijs honestiora, sublimiora, nitidiora, vehementiora, vocaliora, & ad compositionem magis concinna.

IV. Quod Synonyma, vel in uno loco unum alterum explicet & illustret, vel in diversis locis rem unam diversis modis explicent. Illud fit per verba Synonyma, quando vel cum coniunctione vel sine coniunctione copulatim iunguntur. Hoc fit per nomina, ut si in uno loco dicam domum, in altero ædes.

Diuersum significantia vocabula sunt, quæ ad idem denotandum & augendam orationem congeruntur: Per Figuram quæ vocatur Congeries, *de qua quidem paulò ante diximus, hic tamen alium in finem de ea dicendum. Nam ibi sensum Periodi spectavimus, hic verba eiusq; significationes consideramus, quo sensu αὔξησις quoque huc pertinere videtur. Ideoque usus, seu intellectus hujus figuræ, ex superioribus intelligi potest, ut pauca monuisse sufficiat.*

I. Ne

I. Ne maxima copia vocabulorum coacervetur in augenda re; ne affectata & inepta Oratio reddatur: Ideoq; sciendum, quod ultra tria vocabula non coniungantur, vel quatuor, si maxima Emphasis, & res ipsa expostulat,

II. Ne vocabula planè sint diversæ significationis, vel aliud in bonam, aliud in malam partem sumatur, Vt si in re honesta coniunguntur vocabula insumpsit, abligurivit, perdidit, vitium est, quod ex ignorantia significationis oritur.

III. Ne fiat congeries in omnibus periodis, ne gratiam amittat. Figuræ enim in Oratione sunt quod in cibo condimenta, quæ, si nimia sunt, non ad gustum faciunt, sed nauseam pariunt.

Per Extensionem vocabula adduntur alijs & inseruntur Orationi per Pleonasmum, *qui est, quando abundantia est in aliqua voce. De qua notandum, quod non admittatur; nisi vocabulum quod abundat aliquam Emphasin addat, ut si dico:* Hisce meis oculis vidi. Hisce meis auribus audivi. Hisce meis manibus contrectavi. Hac mea lingva locutus sum; *ubi est abundantia, quia alienis non audimus, nec videmus, nec contrectamus. Alias rara hæc est Figura, & Poëtis magis usitata.*

II. Extensio fit per Periphrasin, quæ nihil aliud est; nisi Circuitio, cum pro una voce pluribus utor: ut, quando Doctorem gentium voco, pro

co, pro Paulo: Trojani belli descriptorem, Homerum: artem benè differendi Logicam; *fitq; notatione nominis, & definitionis, ut in his exemplis patet. Et apud Erasmum lib. 1. c. 15. prolixè explicatur.*

Hæc Figura differt à superiore, in Figuris sententiarum, quæ Definitio seu ὁρισμὸς *dicta est, quia illa est integræ alicuius sententiæ, id est, Prædicati & Subiecti, Descriptio & Extensio: Hæc verò unius tantum vocis, quæ plerumq; per* συνεκδοχὴν *fit.*

Concinnitatis & pronunciationis gratia, in Verbis potissimum observandum: ut in illis quædam Harmonia, & Concinnitas sit, quæ non tantum animis pariat jucunditatem: sed etiam auribus delectationem adferat. Cum enim rerum & verborum Iudicium, sit prudentia; vocum verò & numerorum, aures sint Iudices, voluptati earundem quoq; morigera debet esse Oratio, quarum Iudicium est superbissimum, ut inquit Cicero in Oratore.

Quare non minus in elegantia, quam in sono & euphonia verborum, laborare debet Orator: ut prius consideret, quid suis arrideat auribus, antequam quid alijs placeat, perpendat: id quod duplici ratione fit.

Si apte vocabula jungat.

Si appositè efficaci & pleno ſono omnia pronunciet.

In vocabulis conſidero integra verba, vel partes, ex quibus conſtant, ſyllabas vel literas.

Integra verba conſidero; quatenus aut qualitatis ratione applicantur, aut delectationis, aut affectus movendi gratia eodem ſono repetuntur.

In primo conſiderandum, ut rebus graviſsimis graviſsima vocabula adhibeantur, quæ ſono quoque dignitatem rei, & qualitatem orationis adæquent, quod in concluſione ſummè eſt neceſſarium, id quod fit, I. Si utimur in gravibus rebus vocabulis longis, tam ſyllabarum numero quam quantitatis pondere, graviſsimis: Exempli gratia: in re triſtiſsima: O nos mortalium infeliciſsimos, potiùs dico, quàm: O nos homines miſeros.

II. In re leviori & ſubita, brevibus numero & quantitate utor. Exempli gratia: In re ſubita properaſſe potiùs, quam iviſſe dico: quod artificium Cicero & Virgilius probè obſervarunt.

In ſecundo repetuntur vocabula aut propter ſimplicem connexionem emphaticam, quæ delectationem pariat, & attentionem, & ſic repetuntur vocabula ejuſdem ſoni & ſignificationis, vel diverſæ ſignificationis in ſono ſimili, vel non admodum diſſimili.

In una ſignificatione, & ſono repetuntur, vel unum tantum vocabulum, vel plura, idem vocabulum

bulum aut repetitur in principio periodi, & dicitur ἀναφορα, *ut:* tu hoc consilium voluisti, tu hoc perpetrasti, *vel in fine, & dicitur* EPISTROPHE, *ut:* Quis hujus tumultus causa extitit? Petrus. Quis hominem quæsivit? Petrus. Quis omnes angulos civitatis perlustravit? Petrus.

In qua figura notandum, quod singulis membris idem vocabulum subjicimus, ut in hoc exemplo, vel in fine tantum, post omnia membra: prior tamen modus elegantior; sed non creber in Oratione: quia manifestam habet artem.

Aut repetitur idem vocabulum, in principio, & in fine ejusdem Periodi, & vocatur ἐπαναληψις, *(quæ figura ad affectum quoque movendum conducit) ut:* plurima huic viro damna intulisti, plurima. *Et Virgilius:*

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Aut in medio & fine, & dicitur ἐπάνοδος, *quæ est regressio, quando media extremis congruunt. Ut:* qui bonus est & beneficium præstat, in eô quo bonus est præstat. *(Quæ figura rarior est.) Multa quoque vocabula per easdem figuras repetuntur. In principio & fine: ut*

in Oratoribus patet, & alia exempla ex hoc Martialis Epigrammate facilè intelliguntur:

Phoſphore redde diem, quid gaudia noſtra moraris?
Cæſare venturo, Phoſphore redde diem.

Hæ figuræ maximam habent delectationem in Oratione, ſi convenienti loco adhibentur: Si non crebro, ſed cum quadam Parſimonia & Iudicio ſingulari adhibentur.

In diverſa ſignificatione repetuntur: quando ſonus eſt ſimilis, vel non admodum diſsimilis? Terminatio tamen & ſignificatio non eſt eadem. Eſtq; vel unius diſtinctionis, eadem ſignificatione, ſed caſu diverſo, & vocatur πολύπτωτον, *ut Ovid.*

Heu quantum ſcelus eſt, in viſcere viſcera condi.

Quæ plerumq; figura ſine Intervallo fit. Vel in diverſa ſignificatione ſoni, vel prorſus ſimilis, vel non prorſus diſsimilis vocatur παρονομασία, *vel agnominatio, ut: tibi erunt parata verba, huic homini verbera.*

Affectus movendi gratia repeto eandem vocem, ſine intervallo, idq; vel lentoris, & dicitur ἐπίζευξις, *ut:* ô Roma Roma! Stulte, Stulte!

Stulte! *vel acrioris vel vehementioris affectus causa, & vocatur ἐπιμονή. sed fit plerumq; per exclamationem* Heu, heu, heu, Eheu: *vel per demonstrationem, ut:* Tutu hoc perpetrasti, Vos vos, Ego ego, Ille ille. *ut Virgilius:* Me, me adsum, qui feci, in me cōvertite ferrum.

In hac figura notandum, quod non ubiq; utantur ea Oratores, sed in ejusmodi factis, & loco ubi vehementiori contentione movere volunt, & impellere Auditores, ut in Probatione, Confutatione, Confirmatione, & præsertim in Peroratione. In partibus vocabulorum Majoribus, videlicet syllabis eædem figuræ, Anaphora, Epistrophe, ἐπανάληψις, locum habent, quando syllabæ eædem in principio, & fine repetuntur, hoc est, quando vocabula simili terminatione incipiunt, vel exeunt, quæ prolixè magis in Rhetoricis præceptis, hinc inde explicantur, quam ut in Oratione componenda observari possint. Ideoq; in Praxi Rhetorica observatione & admonitione *discenda sunt.*



III. DE SONO ET EVPHONIA VERBORUM.

Tabula de sono & Euphonia verborum figuras exhibens.

- In sono & Euphonia exprimenda considera
  - Literas, quæ considerantur
    - solæ sonum efficientes
      - per se, vocales, quarũ aliæ sonum efficiunt
        - Clariorem A. O. & V.
        - Leniorem E. & I.
      - coniunctæ cum Vocalibus Cõsonantes, quæ sunt.
        - Mutæ, quæ Vocales quasi absorbent, B C.D.F.G.K. P. Q. T.
        - Semivocales, quæ addunt lenioribus Vocalibus sonũ clariorẽ, L.M.N.R.S.X.Z.
    - Iunctę invicem quatenus syllabas efficiũt quę sunt quatenus aut
      - In uno vocabulo quod consideratur vel in
        - Cõpositione, ubi Euphonię gratia literas compositas, in cognatas mutamus.
        - extensione id fit
          - in principio, & dicitur Prosthesis.
          - in medio Epenthesis.
          - in fine Paragoge.
        - & diminutione fit vel
          - Principio, Aphæresis.
          - Medio, Syncope.
          - Fine, Apocope.
      - In diversis id sit cõjunctione in qua observandum.
        - Ne sit multarũ vocalium in fine, & principio vocabulorũ concursus, ne hiatus fiat.
        - Ne sit multarũ Cõsonãtium cõcursus, ne dura fiat pronũciatio.
  - Expressionem literarũ in qua cõsiderãdum
    - 1. Ut voci se accõmodet ad literarum naturæ.
    - 2. Ut vocem, si duram, corrigamus.
    - 3. Ut literas distinctè exprimamus.
    - Si quasdam literas exprimere non possumus, id arte corrigamus.
    - Ne consvetudini pravæ asvescamus, &c.

Cum per omnes Eloquentiæ numeros ire debeat Orator, ut fastidium aurium, apud auditores effugiens, omnia media Persuasionis persequatur, summo quoque studio in literarum Euphoniam attentus esse debeat: ne quodvis quovis modo, quod eleganti verborum significatione videtur, id exprimat, sed etiam attendat, quam suavitatem soni, in pronunciatione editurum sit. ægrè enim ædes animi penetrat, quod ipsum vestibulum statim offendit: inquit Quintilianus lib. 9 Cap. 4.

Euphoniam autem adhibere possum in Oratione si considero literas & expreßionem literarum.

Literas considero quatenus solæ, vel alterè junctæ sonum edunt, vel quatenus plurimum conjunctione sonum formant.

Sonum per se, & sua natura faciunt Vocales a, e, i, o, u. Quem sonum augent & terminant Semivocales & Mutæ.

Notandum itaque in illis: I. Quod aliæ quæ sonum pleniorem efficiant, ut sunt A, O, & V. Aliæ leniorem & submissiorem, ut E & I. Ad has accedunt Consonantes, quæ sunt aut Mutæ quas vocales quasi absorbent, ut non audiantur cum ipsæ vocem terminent, ut sunt: B, C, D, G, K, P, Q, T, quæ omnes sonum

formant leniorem: Aut Semivocales: quæ addunt lenioribus, quocꝫ vocalibus sonum, clariorem, eas enim terminant, ut sunt: L, M, N, R, S, X, & Z. Quæ omnia, ut ex natura expressionis literarum intelliguntur παρέργῳ modos exprimendi (ex quibus de natura & connexione literarum judicium capere possunt) studiosi hisce hisce versibus elegantioribus notent.

A sub directo memorabilis oris hiatu est.
B simul inclusis profertur utrincꝫ labellis.
C lingvam ad pulsos compellit utrincꝫ molares.
D cogit superos, lingvam contingere dentes.
E paulum pressâ profertur gutture linguâ.
F labrum inferius superis cum dentibus urget.
G damus extremum cum tangit lingva palatum.
H oritur tractis cum ventus faucibus halat.
I lingvam ad dentes trudens de gutture prodit.
K fauces format media cum parte palati.
L facit extremum contingens lingva palatum.
M cum sit pressum premitur p utrũcꝫ labellum.
N linguam appulsa collidit litera dentes
O venit exoritur cum Spiritus ore rotundo
P Datur eruptis ter littera quinta labellis
Q fit in appulsu cum stringimus ora palati
R facit ut supero crispetur lingua repulsa
S cum fit, peragit colliso sibila dente.
T linguam impulsu contactis dentibus exit.
V facit os strictum, sic promula labraf atigat.
X reddit quicquid C atcꝫ S formare videmus.
Y apprensis labris procedere justum est.
Zeta sepulchrales imitatur concita dentes.

II. No-

II. Notandum, quod in rebus amplis, & gravibus, illas literas; vel illa potius vocabula, quæ literas sonum plenum & amplum edentes, continent, adhibeamus; ut vocis gravitas literarum habeat gravitatem, qua niti in pronunciatione possit. Quales sunt A & O. Si enim in lenioribus expressa vocabulis, gravitate vocis utor, affectata redditur & superbà Oratio, quæ nullius apud prudentes Auditores est gratiæ.

III. Vt etiam ex Vocalium & Consonantium concursu, quantitas vocabulorum oriatur, ut non tantum in rebus gravibus & tardis literæ plenioris soni adhibeantur: sed etiam vocabula sint longa, quæ longum sonum edant: Levioribus verò celeriter exprimendis breves syllabas, & brevia vocabula eligamus, ut in omnibus, & quantitatis, & qualitatis sit convenientia, ut paulò ante monuimus.

IV. In omnibus vocis moderamen naturam literarum exprimens accedat, necesse est, sine quo literæ gratiam & Euphoniam obtinere vix possunt: de quo paulò pòst.

Syllabas considero quatenus junguntur in uno vocabulo, aut in diversis.

In uno vocabulo Euphonia literarũ & pronunciationis cõsideratur, vel ubi literas euphoniæ gratia in cognatas mutamus, ne sonum durũ & asperũ reddat: ut: nõ dico medidiem (quę exempla habet Cicero in Oratore) abser, innotus, innarus, inęquũ, tricapitem: sed meridiem

aufer, ignotus, ignarus, iniquum, tricipitem. *Est itaq́, ut ibidem Cicero inquit consvetudini auribus indulgenti libenter obsequendum, quæ usus tamen melius quam præcepta docet.*

Illud autem observandum, quod Consonantes præpositionum, in compositione quidem scribere possumus, ut multi viri docti, & hoc, & antiquo seculo fecerunt: sed pronunciare minimè debeamus.

Vel in Extensione & diminutione, quando syllabæ, vel adduntur, vel inseruntur, vel eximuntur ex aliquo vocabulo. Adduntur in principio & fine & medio. Illud fit per PROSTHESIN, *ut:* gnatus pro natus. *Istud per* προπαράληψιν, *ut:* dicier, pro dici, *hoc per* ἐπένθεσιν, *ut:* relligio induperator.

Aufferturin principio aliquid, vel in medio, vel in fine: illud fit per APHÆRESIN, *ut:* temnere, pro contemnere; natus, pro gnatus. *Istud per* SYNCOPEN, *ut:* dixti, pro dixisti: *hoc per* APOCOPEN, *ut:* peculi pro peculij.

Est & illa diminutio quando duo vocabula in unum contrahuntur, ut: sis, pro si vis, nolo, pro nonvolo, malo, pro magis volo, mecum, pro cumme, &c. *Quæ nonnu-*

non usu sed aurium causa contrahuntur: ut inquit Cicero in Oratore.

In ista extensionis vel diminutionis euphonia probè observandum.

I. Quid probet Vsus probatorum Autorum, ne novas diminutiones, vel extensiones finxisse videamur, ut dicamus armùm, judiciûm, pro armorum, judiciorum; quod non libenter dixeris Cicero in Oratore.

II. Quod rebus celeriter exprimendis, vel expediendis: ut aliquando in interrogationibus, increpationibus, vel subitis motibus, plerumque diminutionibus utamur, ut Terentius in Phormione: *Tu cognatum meum non noras?* Rebus verò vel gravibus, vel quando planè exprimere & explicare vel percontari aliquid volumus, plena vel extensa vocabula adhibemus, ut ibidem: *Stiphonem inquam noveras?*

III. Quod accuratum judicium hic requiratur, quo loco, quando, ubi utamur, ut & euphoniam observare & rerum dignitatẽ æstimare pronunciationibus possimus.

IV. Ex quo hoc cavebimus ne crebrò vocabula extendamus vel diminuamus, quod gratiam omnem amittit: sed quando necessitas Euphoniæ & emphasis requirit. Possumus autem in verbis, syllabarum numero prolixis, sæpius diminutione uti: ad quod non ita attenditur.

In diversis vocabulis (id quod præcipue in componenda Oratione observandum) fit vel conjunctione, vel terminatione.

Conjunctione Vocalium & Consonantium, svavis debet esse harmonia, ne fiat aliquis hiatus, aut stridor, aut collisio, quam euphoniam, ut cõsequamur cavendum.

1. Ne sit Conjunctio multarum Vocalium, ne vocabulum unum in vocalem vel duas desinat, & alterum à vocali vel duabus incipiat quod hiatum aliquem in sono efficit; si præsertim sint similis soni vocales, ut: *non temerè ego ago hæc*, vitium: Dicendum itaq; *Hæc ego temerè non ago*. Huc Ciceronis præceptum elegans inferendum quod habet lib. 4. ad Herennium. Fugiamus crebras vocalium concursiones quæ vastam, atq; hiantem Orationem reddunt ut hoc est: *Baccæ æneæ amœnissimæ impedebant*.

2. Ne sit multarum Consonantium quoq; cõcursus: præsertim duriorum, ut R & S, si in eandem alterum desinat, alterum incipiat: Quod pronunciationem, & sonum admodum durum format, ut: *amor rerum rusticarum*, *studijs similibus*, &c. Et ne vocabulum in duas Consonantes desinat, & à duabus vicissim incipiat alterum, ut *ars svavis*, *pars stultorum*, quæ omnia Orationem duram & sonum admodum insvavem reddunt.

Propterea notandum. 1. Vt sit quædam mutatio vocalium, & Consonantium mutua successio, ut si unum vocabulum desinat in Vocalem, alterum à Consonãte incipiat. Nam in eum non alium finem, toties constructione, & terminatione verba mutare possumus, ut aliquando in E aliquando in V, N, T, aliquando in Is, aliquan-

aliquando in I, & R, ut dici, dicier, desinant: quam euphoniæ gratia, ut si vocalis sequitur verbum V & T, si consonans in E termineiur, ut Cicero de Oratore veriùs scribi dicit. Scripserunt alij rem, quam scripsére alij.

2. Si terminationis mutatio fieri non potest, cum multa vocabula à vocali incipiunt & desinunt in eandem; tum transpositio necesse est, ut fiat vocabulorum. ut, quod primo loco poni debuisset, secundo ponatur, ut in priori exemplo, *hæc ego temerè non ago*, intelligitur. In qua transpositione probè obseruandum ne obscuritatem pariat, & ne nimis longè separentur, ne soni & euphoniæ gratia verborum elegantia & legitimus ordo negligatur.

3. Obseruandum quoq;, quod autor ad Herennium, eodem dicto ante loco inquit, vitemus ejusdem literæ (in principio putemus) nimiam assiduitatem, cui vitio versus erit hic exemplo. Nam hic nihil prohibet in vitijs alienis exemplis uti.

O Tite, tute, Tati tibi tanta Tyranne tulisti.

Et hic ejusdem Poëtæ: *Quicquam, quisquam, cuiquam, quod conveniat neget.*

4 Euphoniæ gratia (quod jam monuimus) aliquando vocabula componuntur, vel diversa contrahuntur, ut: *mecum, tecum, nobiscum, vobiscum: vin, pro visne: audin, pro audisne*, quæ quãdo locum habent Oratoris judicium esto.

Tandem

Tandem terminatione Euphoniam observa, si vocabula multa non eandem terminationem habeant; sed subinde diversas, sive illud sit in uno membro, sive diversis. Vitium enim est, quando plurima vocabula eandem habent terminationem, ut: omnem rem tecum agam, meam causam si expedivero. *Propterea mutatio constructionis probè tenenda, & transpositio, quæ facilè hanc κακοφωνίαν effugere potest. Quare crebro in Oratione παρονομασίας usurpare non est euphoniæ: multò minus si easdem voces sæpè repetimus, si eodem modo, semper periodum inchoamus, iisdem formulis Orationem connectimus. In quibus omnibus elegans mutatio requiritur.*

In expressione notandum.

Primò, ut vox se accommodet ad literarum naturam, ne literæ quæ molliorem & leniorem requirunt sonum, durius & asperius exprimantur, quam fert earum natura, & Orationis decorum.

Secundò, si à natura duram vel obtusam, vel acutam nimis vocem habeamus, quantum potest corrigamus, & dulciori voci assvescamus, ut ex voce quædam humanitas & affabilitas appareat, & sonus gratiam aurium sibi conciliet.

Tertiò, ut omnes vocabulorum literas distinctè exprimamus, ne absorbeamus, & quasi devoremus literas & syllabas, præsertim ultimas.

mas, quod maximè aures doctas offendit. & nescio quam ruditatis ignorantiæ præceptorum Grammaticorum suspicionem suggerit.

Quartò, si naturâ quasdam literas non exprimere, neq; id arte & exercitatione corrigere possimus, caveamus ne crebro istis utamur, vel, si ijs uti cogimur, non elata nec acuta, se depressa & obtusa voce exprimamus (ut tamen quoquo modo audiatur) ne vitium hoc, linguæ aures offendat, magno tamen opere laborandum à pueritia, ut vitium naturæ, exercitatione & arte corrigamus, id quod Demosthenem qui R literam exprimere non potuit, fecisse accepimus.

Quintò, quia sunt multæ nationes, quæ distincte aliquas literas exprimere non possunt, sed vel durè, vel maximo cum sibilo. Itaq; discant exercitatione, itidem quantum potest, vel ita vocem moderentur, ut non asperitas, sed gratia & jucunditas audiatur, & percipiatur.

Sextò, Caveamus maximè, ne consvetudine prava assvescamus. ad aliquas literas, vel sonos, vel gemitus, quæ crebrò in Oratione iteremus. Omnium enim maximè in Oratione aures offendunt, voces illæ, quas consvetudine ad omnia verba contraximus, sive illæ sint ejulatus, gemitus, screatus. & alia ejusmodi. quod vitium in multis pastoribus offendimus. Maxima itaq; cura observãdum, ne ejusmodi vitijs offendamus aures auditorum, sed judicium pariter, & diligentiam adhibeamus; ut secundum hæc præcepta, syllabas & vocabula connectere & voce exprimere possimus.

DE

IV. DE NVMERO ORATORIO ET PERIODIS.

Tabula numerum Oratorium exhibens.

- In Numero Oratorio considerantur
  - Res, in quib.
    - Gravioribus tardi pedes adhibeātur.
      - Antispastus.
      - Spondeus.
      - Admixti Iambi.
    - Levioribus breves
      - Dactylus.
      - Pyrrichius.
      - Proceleusmaticus.
  - Vocabula, in quibus cōsiderātur quatenus
    - Simpliciter collocantur ut alia
      - Præcedant:
        - Adiectiva Substantiva.
        - Adverbia Verba.
        - Præpositiones Nomina.
      - Præcedāt & sequātur
        - Pronomina.
        - Participia.
        - Coniunctiones.
    - Periodū efficiūtque cōsiderantur ratione
      - Quantitatis quæ constat partibus
        - essentialibus ut sit
          - Simplex
          - Composita
            - Bimēbris.
            - Trimēbris
            - Quadrimembris.
        - Accidētalibus quæ sunt
          - Agglutinatio.
          - Parenthesis.
      - Qualitatis, quæ est si materiam ipsam considero, & inde quod partes admittunt æstimo.

Postquam Euphoniam consideravimus in literis & verbis, quartò subsequens quoq; est: ut numerum & pondus verborū in Oratione perpendamus, quod literarum & syllabarum pronunciationi vim & momentum dignitatis addit. Oratio enim ut sit elegans, & concinna, numeris quoq; adstricta,

non

non dissoluta & vagabunda esse debet, si gravitatem & jucunditatem in animis auditorum obtinere cupit. Non autèm intelligimus hic numerum Poëticum, qui astrictus est pedibus certis, ad artificium quorumlibet generum carminis: Sed Oratorium, qui quidem suos certos habet pedes, eosq́ue qui in Poësi locum habent; ut tamen sine discrimine perpetui alicujus praecepti, liberrimo ac vero judicio adhiberi possint. Et hanc ob causam, ut Quintilianus inquit, ratio pedum in Oratione multò quàm in versu difficilior est.

Est itaque numerus Oratorius nihil aliud, nisi justa ad aures Auditorum permulcendas Orationis dimensio.

Duae enim sunt res, ut inquit Cicero in Oratore, quae aures nostras permulcent: Sonus & numerus: Quare in numero hoc Oratorio considero.

1. *Res ipsas.*
2. *Ordinem & modum periodorum.*
3. *Ipsa vocabula, in quibus numerus est.*

In rebus hoc ago potissimum: ut gravioribus numeros longos, & tardos adhibeam, utpote Antispastos, Spondeos, & admixtos Iambos. Levioribus & subiti motus, breves pedes, utpote

Dacty-

Dactylos, Pyrrhychios, Procceleusmaticos. Nam & illud inquit Quintilianus, lib. 9. Inst. Orat. cap. 4. ubi opus est velocitate, tardum, & segne, & hoc, ubi pondus exigitur, præceps ac resultās damnatur: Hic plura addere ex hoc capite Quintiliani prolixum, & nostri instituti non est. Commendo autem studiosis Oratoriæ hoc caput Quintiliani, & ut huic lectioni addant, in supplementum perfectæ cognitionis lectionem Ciceronis in Oratore propè finem vel circiter moneo.

In periodis noto:

I. Secundum Ciceronem in Oratore, quod permixti pedes esse debeant, neq; alligati ad numeros certos & poëticos, præsertim in principio periodorum, & medio, ad hunc modum: Strictè pedes observandi sunt, magis autem in fine & clausula. Attendunt enim Auditores ad clausulam periodorum, quæ si apposita, & rotunda est, totam ornat periodum. Multi enim reperiuntur, qui vel nimium fidunt memoriæ, vel nimis prolixas ostentationis gratia periodos conficiunt, in clausulis hallucinantes. De quo inquit Quintilianus lib. 9. c. 4. Insti. Orat. Quod aures continuam vocem secutæ ductæq; velut prono decurrētis Orationis flumine, tum magis judicent, cum ille impetus stetit, & intuendi tempus dedit.

II. Quod Periodorum non eadem sit semper ratio, qualis fuit principij, ut eadem sit finis, nec

clausu-

clausula eodem modo semper finiatur, per pedes eosdem; Aliquando itaque longi, aliquando breves sint, ne quæsitum artificium Orationis videatur.

III. In periodis notandum, quod nunquam vel fortuito, vel studio integros, vel dimidios Versus inserere debeamus; id quod à libertate Oratoria alienum, nescio cujus poësios ignorantiæ indicium sit: ut inquit Quintilianus in dicto cap. *Versum in Oratione fieri multò fœdissimum est totum, sicut & in parte deforme: Et pergit: si præsertim in clausula deprehendatur, Aut rursus prior in ingressu, Vitium itaque maximum est: si periodus in versum vel metrum exit.*

IV. In fine periodorum (quod tamen non est perpetuum, ut jam dixi) plerumque adhibemus vocabula trisyllabica, aut quadrisyllabica, tum potissimnm, quando ad attentionem commovere, vel cum efficacia aliquid exprimere volumus: ut fit per Dispondeum, ut *inconstantes*, Antispastum, ut *secundare*, Ditrochæum, ut *comprobare*.

Reliqui pedes, quamvis quatuor syllabas habeant; tantum pondus tamen non obtinent, ad quos pertinet præceptum Quintiliani, dicto capite: *Vitandum illud est, ut plurium syllabarum verbis utamur in fine.* Nam & Ciceronem passim in Orationibus longis vocabulis qualia nos putavimus, & alios usos esse legimus: & ratio ipsa & pronunciatio monstrat, quod plurium syllabarum vocabula quæ gravitatem habent moveant, in fine periodi: quin & ipse in eodem cap. paulò post inquit. Quo quique sunt temporibus ple-

nioribus, longisque syllabis magis stabiles, hoc graviorem faciunt Orationem: breves verò celerem ac mobilem.

Qui plura de pedibus & numero Oratorio cognoscere vult, legat sæpius citatum Quintilianum, nobis & studiosis Oratoriæ, qui non Professores agere voluerint, ad praxin hæc sufficiunt.

Ex hisce omnibus videmus, quod antea etiam monuimus, quanta sit necessitas Poëseos, quãtaque in Oratorio studio utilitas: ut hinc affirmare ausim; nullum feliciter in hoc studiorum genere versari posse; nisi, qui aliquot quoque spacia in Poeticis numeris fecit, ut pedes & numeros discernere & dijudicare posit.

Ratione vocabulorum numerum intelligo & considero; si vocabula inter se legitimo modo collocantur; ut quæ præcedere, primo ponantur, quæ postponi debent posteriorem accipiant locum.

Præcedunt autem Adjectiva Substantiva: Adverbia verba, Præpositiones nomina: Alia præcedunt, & sequuntur, ut pronomina & participia. Conjunctiones autem, quædã præcedunt quædam sequuntur, sua natura & usu. Interjectiones verò, pro ratione motus in Oratione ponuntur. Periodi autem finem, vel etiam sensum verbo claudere si compositio patiatur, optimum est (præsertim finito) Quod Quintilianus monet in

dicto

dicto cap. Additq; sæpè fieri verborum inter se transpositionem. & immutationem, quod judicio cujusq; relinquitur.

Quæ omnia partim in Grammaticis discuntur: partim in Rhetoricis traduntur, maximè autem in lectionibus Oratorum, aliorumq; latinæ linguæ autorum observantur, ut jam breviores simus.

Tandem quoq; cum Oratio composita suas habeat partes, sua membra, suosq; articulos, quæ non confusa, sed distincta esse debènt. Vltimo quoq; in componenda, & scribenda Oratione, non tantum, sed etiam in quacunque Epistola necessarium: ut distinctiones, membra, & dimensiones verborum consideremus: quod fit si modum & rationem conficiendi periodos, suisq; membris constituendi cognoscimus, & in scribendo studiose observamus.

Plurima à Rhetoribus hinc inde scripta sunt, de Periodis, ex quibus perfectam conficiendarum Periodorum cognitionem cognoscere poterint studiosi.

Proinde nostri instituti memores illorum præceptorum usum monstrabimus in Oratione. Si primo ex Iulio Scaligero, de periodo brevia præcepta huc retalerimus. Id quod non

alienum, neq; etiam reprehendendum puto, cum meliora, neq; magis perspicua ipse adferre, vel quisquam credo alius poterit

De Periodis itaq; Iulius Scaliger tractans, sic breviter omnia complexus est, lib. 4. Poët. cap. 25.

Periodus est Oratio sibi perficiens sententiam: κῶλον, sive membrum, est Oratio periodo perficiens sententiam: κόμμα, seu incisum pars composita sine verbo sententiæ illius partem significans, quas definitiones exemplo declaro:

Arma virumq; cano: Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinaq; venit
Littora.

Sententiam namq; sibi, quam instituit, perfecit: κῶλα autem duo. Primum: Arma virumq; cano. *Sententiam enim complet, sed non sibi. Pars enim est. Alterum:* Trojæ qui primus ab oris Italiam fato profugus, Lavinaq; venit littora. *Primum autem membrũ κόμματα duo habet:* Arma, &, virumq; cano. *Duo enim esse declarat conjunctio. Non enim cõjungit nisi separata. Sic etiam Comma seu incisum, totidem continet incissa.* Italiam fato profugus, Et, Lavinaq; venit, littora.

In hac

In hac periodo verba duo sunt, quæ duo efficiunt membra, scilicet cola, factura duas Periodos; nisi per relativum, alterum ab altero penderet.

Est igitur colon pars periodi, suo verbo fulta, quod si multæ periodi partes, & ad unum relatæ verbum, non equidem illa cola, sed commata appellarim. Non enim sunt membra, nisi habeant proprium motum. Non movetur autem Oratio; nisi per verbum.

Hoc est, ut clarius de meo aliquid addam: Periodus est, ubi & constructio & sensus est perfectus & Absolutus. Colon est, ubi quidem nomine & verbo constructio est perfecta, sensus autem perfectus nondum est; sed ad aliud refertur, quod sensum perficere debet. Comma est: ubi non est verbum, proinde nec sensus, nec constructio perfecta: sed Oratio incidenda est, propter alium respectum, quem ipsa pronunciatio, & respiratio, ex re ipsa, præter artem, monstrat; præsertim illis, qui in lingua latina exercitati sunt.

Et, ut propter juniores rem ab ovo repetamus, omnis Oratio, quæ sensum habet, constat nomine, & verbo, quæ si sine circumstantia, & respectu rem aliquam significat; non distinguitur, ut, Petrus diligit Christum: *vel etiam, si*

am, si nomini & verbo Quantitas & Qualitas per Epithetum aut Adverbium additur, non distinguuntur Commate, ut: Sanctissimus Petrus Christum diligit. *Sin verò aliud conjungitur, vel per Relativum Qui, Quæ, Quod, vel Conjunctionem Copulativam distinctio Commate fit: sin etiam duo Nomina Substantiva, duo Verba simili modo, vel per πολυσύνθετον, vel per ἀσύνθετον conjunguntur: Distinctio fit per Comma, ut,* Petrus, & Paulus, Christum diligunt, & seqvuntur. *Quando verò priori membro additur verbum, & alterum per Copulativam, Distinctivam, Adversativam, Causalem, vel alias quascunque particulas, subjungitur, distinctio, fit per Colon, ut:* Petrus dilexit CHRISTUM: ut fidelis Apostolus maneret. *Est & distinctio, quæ vocatur Semicolon, quod tum propriè adhibetur, quando in priori membro verbum per ἔλλειψιν omittitur, quod in altero ponitur, ne bis repetatur, ut: aut hoc; aut illud faciendum. Quamvis multi etiam doctorum virorum, cum colo confundant, vel etiam pro commate sæpè ponant: Sin verò additur constructio perfectis sententijs, in altero membro, verbum contrarium, diversum, aut contradictorium,*

ctorium, quod non respectum aliquem habeat ad prius, tum periodus est quamvis in verbis paucissimis, ut: Petrus dilexit CHRISTUM. Quidni & reliqui Apostoli? *vel quod habet Scaliger* γνῶθι σεαυτόν. *Periodus enim non spacio, sed motu ponitur, quod itidem rectè dixit Scaliger.*

His itaq; præmissis consideramus Periodum secundum constructionem Quantitatis, vel Qualitatis.

Quantitatis, cum constat, ex partibus essentialibus, aut Accidentalibus.

Essentiales sunt membra, ubi periodus alia simplex dicitur, unico tantum membro constans, neq; colis, sed commatibus (vel etiam nullô) constans. Alia composita ex membris, si ex colis constat (nam Comma membrum non efficit, sed incisum dicitur) constatq; vel ex membris duobus Bimembris appellata, quæ habet duo cola, ut est prædicta Periodus: Arma virumq; cano, &c.

Quæ locum potissimum habet in Antithesi, per Thesin, & exprimitur per Etsi, & Tamen, Item in simplicibus oppositionibus, Item *in similibus.*

Alia Trimembris, quæ constat tribus colis.

Quæ periodus usum habet in Comparationibus, & Antithesibus, quæ in uno tertio cõferuntur, quæq; Oratoribus frequens est. & maximam utilitatem habet. In epistolis quoq; locum habet frequentem; Cum excusamus, occupamus, deprecamur, ut in Oratione pro Quintio. *Quæ res plurimum in civitate possunt: ea contra nos hoc tempore faciunt: Eloquentia & gratia.* Sic alia exempla sæpè occurrunt; ubi vel occupamus, vel collationem instituimus in propositione *illustranda.*

Alia quadrimembris, quæ constat quatuor membris sive colis, & oritur quoque ex Comparationibus, Occupationibus, quando vel Antecedentis vel Consequentis, duo membra conjunguntur.

Quæ periodus ob gravitatem & numerositatem maximè ornat Orationem, proinde crebrior esse potest: *ut Cicero pro Aulo Cecinna: Si quãtum in agris locisq; desertis audacia potest: tantum in foro & judicijs impudentia valeret: Non minus nunc in judicio Aulus Cecinna Sexti Erutij cederet impudentiæ. quãtum in vi facienda cessit audacia.*

Solent quidem Oratores plurium membrorum periodos habere: sed ut Scaliger citato loco inquit: Colorum numerum, à duobus ad quatuor usq; producere licet, quod excedit, vitio apponitur, & appellatur à Græcis λόγος ἀπεξοδικὸς: ut, quemadmodum periodus est comprahensio: ita

quod

quod extra illius præscriptiones evagatur, non jam periodos sed διέξοδος appellari debeat, quasi deviatio.

Inveniuntur tamen vel octimembres periodi, de quibus sciendum, quod in Amplificationibus fiant ad ductum materiæ, de quibus hoc quoque teneatur, quod distinctio secundum præcepta paulò ante proposita fieri debeat, reliquum modum judicium suppeditabit.

Quantitas *ex partibus accidentalibus, quæ non de essentia sunt periodi, aliquid addit, ad membrum aliquod explicandum, vel causam addendam, vel alterius gratiâ, idque fit.*

Vel per Agglutinationem, & vocatur à Rhetoribus ἐπισύναψις, ut, rogo te, ut mihi gratificeris, præsertim, cum facilè facere possis. Fitque ut plurimum per particulas, præsertim, præcipuè, plerumque & alias.

Vel per Parenthesin, ubi inseritur aliquid Periodo, quod ad constructionem quidem non pertineat; attamen sensum explicet, & periodum augeat. Habetque *constructionem singularem, à periodo separatam, & locum obtinet in Oratione, quando vel veniam alicujus dicti petimus: Item, quando quid corrigimus, vel aliquid*

tandem monemus, quod necessarium est, quodq; attentionem solet parare.

Notandum itaq; in Parenthesi.

I. Ne sit crebrior.
II. Ne sit prolixa nimis pluribus constans membris.
III. Ne perturbet Orationem.
IV. Ne per Relativa, Qui, Quæ, Quod, inferatur. Illæ enim particulæ semper respectum habent, quæ sensum & verba superioribus annectunt.

In quantitate Periodorum diligenter studiosi notare debent.

I. Ipsam verborum structuram, seu conjunctionem, quasnam requirant distinctiones. (Nam in eo videmus peccare plurimos, qui vel negligant, vel non intelligant rationem distingvendi) ut suis membris rectè sit distincta & composita Periodus.

II. Res ipsas consideret, quæ & quodnam habere membra debeat. Id quod conditio rei facilè subministrabit: Si perpendo an simpliciter rem proponere: an causam addere: an cum alio conferre: an contrario, vel similibus declarare: an probare velim: an deniq; circumstancias rei deducere cupiam, inde membra periodi cuivis vel mediocriter in Grammaticis verſato

fato, facilè constabunt, quodque ex sequentis Qualitatis consideratione melius *intelligitur*..

Quantitatem periodorum postquam hoc modo in praxi Rhetorica consideravi, Qualitatem quoque considero, quæ nihil aliud est, quam rei, quam tractant, æstimatio, in eum finem: ut colligere possint, quæ & qualia membra requirant. Idque fit si propositiones applico ad modos amplificandi Orationem, in superiori capite explicatos, ex quorum deductione facilè æstimare possum, qualis esse debeat Periodus.

Si causas rerum amplifico: si rem per partes deduco, vel species enumero, tot membra periodus constituit, quot sunt rei partes, quæ dividitur. Nam ratione Enumerationis partium, si per gradationem, vel congeriem singulis partibus verba addimus, ut membra, scilicet cola efficiantur. Periodus non quadrimembris, sed octimembris aliquando fit.

Si rem confero, vel per propriam comparationem, vel per similitudinem, membra periodi partes, sive una, sive plures sint, facilè suggerunt.

Idem

Idem quoq; fit in Oppositione. Et hi loci trimembres, & quadrimembres habent Periodos. Ex his enim omnibus, rerum diversitas, periodorum partes demonstrat, plures, minoresq;, ut nihil amplius requiratur, quam ut ad modum certum, secundum prædicta præcepta, membra redigant & periodos distinguant, ut vel periodos pluribus paucioribusve membris conficiant. Aliquando enim & plerumq; rei cognitio & tractandi modus requirit, ut pluribus membris constituatur periodus, quæ propriè tamen non dicitur secundum Scaligerum, ut nihil præterea observandum sit; nisi præcepta proposita in scribendo.

In loquendo periodorum distinctiones (dummodo non sit pronunciatio confusa) non ita observari possunt; nisi quando nimis sint prolixæ circumlocutiones, quæ maximoperè vitandæ sunt, cum periodi quasi circuli instar esse debeant, unde circuitus quoq; dicitur.

Atq; hæc de instrumentis Orationem ornantibus dicta sufficiant, & ita dicta; ut Oratoriæ studiosus, horum ministerio elegantem Orationem componere possit.



CAPUT

Tabula affectuum movendorum rationem & distinctionem exhibens.

In affectuum movendorum præceptis considero vel

- Personam
  - Quæ movet Oratorem
    - Pronunciatione, in qua notandum, ut sit
      - Pura.
      - tarda.
      - accommodata materiæ.
      - singulis orationis partibus applicata.
    - Gestibus, in quibus notandũ, ut sint
      - ad vocem compositi.
      - non minus crebri.
      - ad gravitatem parati.
  - Apud quos moventur auditores, qui sunt affecti
    - Malè, ubi acriores affectus adhibẽtur.
    - Benè, ubi leniores sufficiunt.
- Orationem idq; vel secundum
  - Materiã quæ est vel ad
    - Explicationẽ simplicium propositionum
    - Probaitonem
      - simpliciter ad cognitionem pertinentem
        - in illis delectatio, sufficit, neq; affectus alij requiruntur.
      - Persvasionem idq; secundum naturã materiæ
        - leniores
        - vehementiores
        - affectus requirit.
  - Formam, qua moveo affectus, qui sunt aut
    - Grati
      - Amor
      - Læticia
    - Ingrati
      - Odium
      - Tristicia
    - Hos vel
      - secum movet Orator, qui sunt affectus ad
        - Amorem
          - Charientismus,
          - Fiducia,
          - Obsecratio,
          - Obtestatio,
        - Odium
          - Iracundia,
          - Indignatio,
          - Objurgatio,
          - Execratio,
          - Comminatio.
        - Læticiam
          - Exultatio,
          - Optatio,
          - Votum,
          - Ominatio,
        - Dolorem
          - Dubitatio,
          - Metus,
          - Conquestio,
          - Commiseratio,
          - Desperatio.
      - cum alijs communicat vel in
        - Materia, idq; fit vel
          - immediatè in
            - gratis ut sunt
              - Conciliatio,
              - Promissio,
              - Petitio.
            - ingratis ut sunt
              - Expostulatio,
              - παρρησία.
            - in utroque ut sunt
              - Communicatio,
              - Commemoratio,
              - Iussio.
          - mediate ut est
            - sermocinatio quæ triplex est.
        - Forma quæ est aut
          - Apostrophe quæ est aut
            - Propria.
            - Impropria.
          - Interrogatio.

CAPUT IX.

De Instrumentis motum Orationi addentibus, id est de Affectibus in Oratione.

TABULA ∞(C)∞

SEquamur deinceps, postquam monstravimus quomodo Oratio amplificari, & ornari debeat, ductum opificum: ut expoliamus orationem, & varium motum addamus. Ut enim opifices, postquam opus suum formârunt, justoque modo ornârunt; tandem varios colores expoliendo, vel pingendo addunt; ut oculorum aciem in se convertant, eamque hinc inde ad contemplationem & amorem commoveant, ut faciliùs opus productum vendant: ita quoque Orator, postquam Orationem formavit, eandem expolire, & affectibus variis pingere debet: ut aciem non solùm aurium, sed & animi in auditoribus moveat, ut faciliùs eandem accepten, & persuasionis precium, id est, adsensum reponant.

Si itaq; Orationem cum homine conferimus; hoc affectus sunt in Oratione, quod anima est in homine. Vt enim corpus humanum sine operatione animæ insensibile, & sine motu est: omnemq; ab operatione animæ, & sensum, & motum accipit: ita Oratio sine omni sensu, sine motu, & sine operationibus, absq; affectibus est, omnemq; motum ab illis moventibus sumit. Propterea & illa, & hâc de causa affectuum summa est necessitas. Quia animi hominum, ita comparati sunt: ut affectibus magis, quam vero, aut falso

falso commoveantur, plenoq; impetu planè, & plenè agitentur affectibus. Atq; adeò dicit Quint. lib. 6. Instit: Orat: cap: 3. Quod affectus movere proprium Oratoris opus sit, cœtera ex causa ipsa proveniant. affectus verò ex Oratore.

De affectibus itaq; acturi, monstrabimus.

1. De Personis, à quibus, & apud quas affectus moveri debeant, unde affectus proficiscantur, & de causis affectuum, quibus Orator animi affectus exerat.

2. De auditoribus, apud quos Orator affectus movere debeat.

3. De materia, quænam, & quibus modis, ea affectus admittat.

Estq; causa affectuum externa & interna.

Principio necesse est: ut sciat studiosus vel Orator unde sint affectus.

De quo notandum, quod ex animo Oratoris profecti in verbis lateant, & voce Oratoris exerantur, & in publicum proferantur. Maximam itaq; partem obtinet animus, & vox Oratoris in affectibus movendis, adeò: ut præcepta hæc, nisi inveniant animum similem, vix quicquam efficiant, cum non tàm ex sermone, quàm animo, qui vocem moderatur, proficiscantur.

tur. Nam bonus Orator, ex suo animo & ingenio causam orat, neq; aliorum ex mente Orationem fingit, causaq; cognitâ, & Oratione confecta, ipse suo judicio affectus affert. Nemo enim animi sui tam est impotens, aut ita judicij expers: ut quomodo auditorum animos accendat, ignoret, & facili negotio, ex præceptis Rhetorum, & exercitatione cognoscere, & discere possit. Proinde sequentia præcepta de affectibus, ad animum suum applicet, illisq; addat, vel demat, pro judicio suo, quantum causa postulat.

Ubi illud notandum in Oratore, qui affectus movere vult, ut sit aptus ingenio, & doctrina ad movendos affectus, vel saltem apud auditores in existimatione doctrinæ, vel probitatis, vel pietatis, vel ejus virtutis, ad quam commovere vult auditores.

Res enim ardua est, movere affectus, & non facilis impetratu apud auditores. Quare meritò & diligenter æstimet voces suas actor; ut quantum onus subiturus sit intelligat, inquit Quint: Orat: Instit. lib. 6. cap. 6. (quod ibi de movendis lacrumis probat) quam difficilimũ sit easdem ciere: itaq;

itaq; non nisi in summum Oratorem convenit.

Inde gravissimè notandum, ut in movendis affectibus cauti simus, ne nihil efficientes ludibrio exponamur.

Secundò, ut habeat autoritatem, quæ ex ætate provenit plerunq; ad hos, illosq; movendos affectus. Aliter enim juvenis, aliter senex affectus movere debet: Non enim ea quæ seni, simul juveni conveniunt: ubi locum habet proverbium: Duo cum faciunt idem, non est idem.

Tertiò, ut in animo affectus non in lingua nascantur. Qui enim alium efficere vult talem, necesse est ut sit talis.

Ergo qui vult lachrymas elicere, ipse effundat.

Quamvis autem prima cura sit Oratorum; ut Orationem aptam, & affectuosam componant, antequam eam pronuncient; tamen cum Oratio ex animo etiam componenda proficiscatur; simul ac meditetur Orationem Orator, ad pronunciationis & gestuum naturam convenientem eam formet. Itaq; præmittimus, quæ ad pronunciationem. & gestus faciunt, tanquam generaliora, quæ omnibus affectibus applicari debent.

nec facimus distinctum caput, quod Rhetores faciunt, sed cum affectuum capite conjungimus: quia in nullum finem alium pronunciationis præcepta proponimus, quàm ut vel delectationis, vel alios animi affectus, in auditoribus facientes, finem Orationis persuasionem consequamur.

Initium igitur affectuum, est ipsa Orationis materia, & elegantia, quæ exprimitur actione vocis, & gestuum, quibus delectationem, & jucunditatem ratione verborum, aut amorem, benevolentiam, odium, misericordiam, & sic sequentes alios affectus, & de hinc facilem assensum Orationis nostræ ratione materiæ promeremur. Si quis verò voluerit quæ ad pronunciationem & gestus hic tractantur, ad calcem capitis reÿcere, per me licet, id quod in secunda parte feci.

Remittens autem ad alia Rhetorum præcepta de voce & gestibus, hic ad praxin sufficientia nos tabimus in genere.

1. Vt sint accommodata ad naturam Orationis, eamq; exprimant.

Si autem in natura quid vitiosum vel moribus ascitum, consvetudine attractum, & naturæ additum, id arte & aliorum imitatione, quantum diligentia & imitatione potest, corrigatur.

2. Fugiant autem omnem affectationem, & inanem κακοζηλίαν vocis & gestuum aliorum, quod stultum est in Orationibus, & in colloquijs

quijs familiaribus stolidum: estque indicium defe-ctus judicij, quod omnia in alijs admiremur, & non discernere possit quid deceat, quid rei, personæ, loco conveniens sit. Non autem prohibetur hic licita aliorum imitatio, sed probatur magis: imò inprimis requiritur, ut, quicunque in aliquo loco Orator existere vult, cognoscat illius loci mores, & gestus: ut ad eosdem se accomodare possit. Id quod fit, si auditores audit, ut, quod sibi desit, discat, quod vitiosum sit corrigat, quod laudabile imitetur. Quod in Concionatoribus, qui inprimis Oratores esse debent, manifestò videmus, quod alius alium imitetur, quamvis interdum malè, quod informationis & judicij culpa fit.

3. Sint accomodatissima ad ipsam materiam, quam tractamus. Vtrumque enim conjunctum esse debet: vox, gestus, & Orationis materia: illa ut informent, hæc ut informetur, & modum quem ipsa dictitat, & sensum ab illis capiat. Hoc indicat autor ad Heren. dum pronunciationem dicit esse lib. 1. (*vocis, vultus & gestus moderationem cum venustate*) id si diligenti fit cura, facilè cavetur, ne pronunciatio & gestus loco inconvenienti adhibita, pro admiratione, risum moveant auditoribus, qui inter affectus reliquos facilè movetur. Quod illis accidit, qui ipsi Orationem non composuerunt: sed, vel totam aliunde sumptam, memoriæ mandâruunt, vel artificium Oratorium ignorantes, hinc inde partem transscribunt, quam non intelligunt, aut se ad ingenium alterius accomodare gestibus & lingva non possunt.

Proinde

Proinde Orationem vel Concionem, quam habituri sumus, ipsi componere debemus: ut ex ingenio nostro proficiscens Oratio, seu Concio, animo & linguæ nostræ pareat.

4. Ut sint expressa in oculos & aures omnium incurrẽtia, quæ animos auditorũ movere possint.

5. Ut sint cum gravitate cõjuncta, ne sit nimia variatio, nimisq; vocis & gestus mutatio levis, puerilis. Plura videãt studiosi Rhetorices & Oratoriæ apud Cic. lib. 3. ad Herẽ: & alios plurimos Rhetores, qui plus quam usus est, de eo scripserunt.

DE PRONUNCIATIONE.

1. Quidem notandum, quod hîc de ea agamus, non quoad εὐφωνίαν, (id enim paulò ante egimus) sed quatenus, eâ præsupposita, insuper instruamus, quomodo vocis mutatione affectus moveri debeãt, ut & ipsa præcepta discrimen monstrant.

2. Ut sit ad delectationem composita, sit pura, svavis, canora, liberale ingenium indicans, quod maximè juvatur, si vox vultum sibi congruum & respondentem habeat. Ut, si vox est svavis vultum ad speciem affabilitatis, & in speciem modici risus: si dura ad austeritatem componamus.

Deinde ad delectationem movendam pertinet, quod in principio 2 cap. monuimus (necessaria enim observatu, bis moneri possunt, vel ter, ubi usum rei monstramus) ut exprimat vocabula expresse, ad Grammaticas regulas, in quãtitate, & qualitate, nec ultimas syllabas devoret, absorbeat, dentibusq; supprimat, quod maximum est linguæ vitium.

3. Ne nimis properet, sed rem & vocabulorum quantitatem tarditate adæquet.

4. Vt ad materiam tota sit applicata, quæ vocem sibi exposcat convenientem, non vox materiam & Orationem ipsam cogat. Non enim eadem vox semper, & unisona Oratio esse debet, sed, ut postulat necessitas, aliquando elatior, aliquando demissior, aliquando lenior, aliquando durior. Exempli gratia. Vbi commotio animi est, vocis quoque requiritur concitatio, utpote in exclamationibus, interrogationibus, indignationibus, &c. & ubi dictum aliquod est notabile, ibi voce clariori utor.

5. Præsertim autem vox ad singulas Orationis partes applicanda est. Aliæ enim partes aliam vocem requirunt.

In principio seu Exordio submissiore, & tardiore utimur voce, quasi timere & vereri præstantiam auditorum videamur; ut hac modestia initio, auditorum animos nobis devinciamus, (nisi in accusationibus, cujus exemplum est in Catilinariis & aliis Orationibus, quarum tamen usus apud nos rarior est.) Si enim in principio statim clamamus, in suspicionem arrogantiæ, audaciæ, & superbiæ incurrentes, gratiam omnem & favorem auditorum amittimus.

In Narratione vox semper debet esse æquabilis, sedata, quæ in rei alicujus expositione, nullum affectum exprimat acriorem, sed ut res gesta est; ita quoque se accommodet, instar familiaris colloquii, ut ex vocis conformitate animus

constans

constans, sibi facti benè conscius, fidem apud auditores commereatur.

Confirmatio variam requirit vocem, prout sunt argumenta, & figuræ affectuum, quas exhibemus: tamen semper sit sonora, quæ feriat cum severitate aures, & aculeos inferat animis auditorum, ut causæ nostræ fiducia, & victoria ex pronunciatione appareat.

Confutatio, quoniam adversariorum argumenta continet: ideò vox aperta, aliquantulum sonora, non clamosa, non contentiosa esse, nec ullum affectum iræ indicare: sed sibi semper constare debet, utpote, quæ conscientiam bonam præ se ferat, & bonitati causæ fidat.

Ira enim, & indignatio, cum officiat veritati, neq; laudetur in prudentibus, qui moveri affectibus non debent: ideo & vox indignabunda, nec laudem, nec gratiam meretur. Risum verò in confutationibus, modestè tamen, voce movere possumus, qua indicemus nec nos magnifacere adversarium, neq; tanti momenti argumenta ejus esse ut commoveamur, sed ridere nos potius nugas adversarij.

In Conclusione seu Peroratione, quoniam jam causa peracta videtur, finemq; nostrum consecuti, excitamus auditorum animos per affectus, quos secundum verborum constitutionem, figurasq; adhibitas movemus, voce non quidem clamosa, sed sonora & excitata, non sæpe interrupta, sed continua in periodorum mensuram, & membra ritè deducta, quæ fiduciam animi in victoria, jam quasi parta testetur, & ad sententiam

nostram animos auditorum flectat. Quæ omnia ex suo ingenio & exercitatione melius Oratoriæ studiosus, quam præceptorum multitudine & varietate cognoscere potest: cum præsertim ita exactè voci non servire debeamus, ut inquit Cicero lib. 1. de Orat. *Quid est Oratori tam necessarium quam vox? tamen, me autore, nemo dicendi studiosus, Græcorum more & Tragædorum voci serviat.* *Itaq; breviores eò sumus de pronunciatione. Plurima apud Quintil. lib. 11. c. 3. legant.*

DE GESTIBUS & MOTU CORPORIS ILLA BREVITER NOTENTUR.

1. Ut motus & gestus ad vocem modestè compositus sit; ita ut vocem sequatur, &, ut major appareat moderatio, & vis vocis, quam gestuum.

2. Ne sint nimis crebri, vel nimij, ut quamvis vocem, aut corporis nutatio, aut manuum gesticulatio, aut deniq; totius corporis mutatio sequatur: sed rariores, & non nisi, quando affectum movere volumus aliquem: histrionibus enim conveniunt ejusmodi gesticulationes. De quo inquit Cic. lib. 1 de Orat. *Nunquam svaserim studiosis dicendi adolescentibus, in gestu discendo elaborare histrionum more.* In quod vitium incurrunt plurimi pastores, qui modo huc, modo illuc caput, manus, & totum corpus vertunt; ut potius risum quam admirationem & gratiam promereantur.

3. Ut gravitatem præ se ferant, ut Cic. lib. 3. de Orat. inquit: *Si gestus non verba exprimit ut scenicus, sed universam rem & sententiam, non demonstratione, sed significatione declarent.*

4. Maxi-

4. Maximopere notandum, cum motus quoque corporis naturam sequatur, & quod quis ex animo loquitur, gestibus corporis declaret, in familiaribus colloqvijs, & omnibus sermonibus: ut non tantum sermo, sed & gestus index animi videatur: ne nimijs gesticulationibus assvescamus. Id enim sangvinei, & calidi cerebri, & propterea mutabilis judicium est, incōstātiam arguentis, hominemque, ut gesticulationibus: ita moribus varium. Proinde cum in Oratore quædā cōstantia apparere debeat, moderati gestus, laudem & approbationem vel ex hac una causa habent.

Porrò in loco Ciceronis jam dicto, quomodo in specie motus & gestus fieri debeant, secundum corporis partes monstrat Quintilianus, ubi studiosi hæc legere & apud alios autores præsertim Rameos, qui in hac parte demonstranda solliciti sunt, cognoscere possunt.

Atque hæc de voce & gestibus: alia præcepta, quæ à Rhetoribus prolixè tradita sunt, talia non sunt, ut observari semper possint, quin locus, tempus, persona, ætas, aliquid novi apportet; præsertim hoc nostrum seculum, in Oratoribus tot gestus non requirit, qui à veteribus Rhetoribus describuntur.

Proinde magna hic vis naturæ & exercitationis, & præcipuè judicij, & tādem imitationis est: ut videamus quomodo Oratores vocē & gestus moderētur

quod in scholis Oratorijs commodè fieri potest. Vt enim aliud seculum alios mores postulat: ita quoq; aliam Orationis formam: Itaq; gestibus etiam, ad præsentis seculi mores nos accomodare debemus.

Hoc modo cum considerat Oratoriæ studiosus, quomodo vocis & gestuum ratione affectus moveri debeant, maximopere agitur, ut videat.

1. Apud quos causam agere, & quibus affectus movere velit; ut eo verba & Orationis suæ sententias accomodet.

Ibiq; considero auditores, quomodo erga materiam ipsam seu personam, de qua verba facimus affecti sint (nemo enim tàm ignarus est, quomodo auditores affecti sunt, erga causam quam agimus) Exempli gratia. *Si dehortationem ad vitium fugiendum instituo: considero auditores, an huic vitio aliqui, vel multi sint dediti, vel an fugiant; vel an personam de qua nobis sermo institutus est, amore, an odio prosequantur. Si constat auditores malè affectos esse erga materiam, argumentis gravissimis movendi sunt. Vt si constat deditissimos esse vitio, de quo verba fiunt vitij illius immanitas explicanda, & vivis coloribus depingenda: deinde gravissimis argumentis & affectuum plenissimis dehortandi.* Gravissimis enim affectibus, gravissima argumenta in subsidium veniunt: ut auditorum animos non tantum commoveant, verum etiam retineant. Sic: *Si constat auditores odio persequi, vel non magnifacere personam, vel causam de qua verba facimus, argumenta gravissima affectibus gravioribus referta, necesse est ut adhibeantur, quæ animum mutare. & ad amoris affectum auditores ducere possint.* quod in genere Demonstra-

tivo sæpè usu venire solet, ubi propter vitia quædam personæ & Oratio ipsa in suspicionem venit, favoremque auditorum non habet. Quare artificio hic opus est summo: ut suspicionem auditoribus eximamus, & Orationis favorem conciliemus. Sin verò auditores causæ & personæ favent, de qua facimus verba, argumenta cum lenioribus affectibus ad delectationem componamus, puta quando auditores facilè moventur, ad amoris, misericordiæ, vel odij affectum, tum adhibeo præteritiones, rejectiones, communicationes, interrogationes, prout materia requirit. 2. Considero auditores ratione sexus, an apud viros, an apud mulieres, an apud utrumque sexum verba facere debeam, tum enim ad utrosque me accommodo, & Orationis materiam, & affectuum modum. Mulieres enim facilius moventur, præsertim si Orationem ad misericordiæ & amoris affectum dirigimus. Id quod Pastores plerunque facere debent, qui in concione mulierum verba faciunt. Id quomodo fiat in sequentibus quidem patebit; tamen Orator, sive etiam Concionator singulari judicio affectus, & verba moderari debet; ut mulierum animos moveat.

De externa affectuum origine diximus, ratione Oratoris & auditorum, apud quos affectus movere cupimus; jam de materia in qua affectus locum habeant breviter notandum.

Quod affectus locum habeant in materijs ijs, quæ ad actionem, & passionem pertinent, ubi auditores ad aliquid agendum, vel fugiendum, laudandum

dandum, vel vituperandum Oratione persuademus. In his inquam omnes affectus locum habent: ubi verò explicamus aliquid, vel simpliciter referimus, vel docemus: In his leves affectus, per quos delectationem in Oratione parimus, admittuntur; nisi adhortationem vel dehortationem adjungamus; ut fit in genere didascalico, in tractatione mixta, ut infra 13 cap. audituri sumus.

Praeterea in genere iudiciali, accusatorio, dehortatorio, excusatorio, &c. locum habet praecipuum, ut in tertia praxios parte patebit.

His ita consideratis, proximum est; ut alteram internam movēdarum affectionum originem videamus quae prodit:

1. Ex consideratione vocabulorum, in qua principiò observandum: ut vocabula affectuosa in affectibus rerum movendis adhibeamus. Exempli gratia. In gravissimo luctu exprimendo non dicimus lacrumari, sed lamentari, ejulare.

2. Ut si dignè rem affectuosam uno vocabulo exprimere non possumus; epitheta addamus, quae emphasin vocabuli praestent. Ex figuris Metonymia, Metaphora, Synecdoche: ut in gravissima ira exprimēda non dicimus irasci, sed irarum flamma ardere, per Metonymiam.

3. Ut gra-

3. *Vt gravissimis affectibus Orationis, & verborum gravitas in Quantitate & numero conveniant, de quo in præcedenti capite egimus.*

4. *Vt pronunciatio respondeat, de quo jam jam dictum.*

In consideratione rerum affectus causæ notantur: aut in genere, aut in specie.

In genere affectuum motio fit per exaggerationem (de qua temere hîc non ago, sed motus convenientia, quam cum affectibus habet, quos ipsa vel sola suis instrumentis movet: alias causas domi habeo, si methodum docere vellem) quando rem ipsam augemus, & maximam efficaciam in auditorum animis paramus.

Quæ figura cum amplificatione in alijs convenit: quia ex ijsdem, quibus Amplificatio, sumitur, locis tamen hoc differt, quod exaggeratio proximè affectus respiciat. Eoq; hâc figura intentus est Orator, quomodo, & quibus locis amplificationis exacta illustratione omnium membrorum movere animos auditorum, non quomodo augere Orationem debeat. Aliter enim tracto locos argumentorum, quando illos ad delectationem, & docendum dirigo.

Aliter

Aliter: quando ad movendum affectus compono: Ibi enim de copia rerum, & verborum, hic simul sum sollicitus de figuris affectuum: illud fit amplificatione, hoc exaggeratione.

Secundum discrimen in eo consistit, quod amplificatio in omnibus quæstionibus, seu thematibus locum habet, sive illa sint universalia sive particularia. Exaggeratio in illis tantum, quæ ad laudem vel vituperium, ad faciendum vel fugiendum in particularibus propositionibus, sive infinitæ sive finitæ quæstionis, faciunt. In amplificationibus enim rem illustrare, in exaggeratione rem, rerum & verborum copia illustratam movere ad placitum auditorum cupio.

Notandum itaque in Exaggeratione, quod illa fiat per locos amplificationis fermè omnes, exceptis testimoniis, & exemplis, nisi illa amplificentur modo superius monstrato, & per figuras affectuum allegentur, ut suo loco videbimus.

II. Per locos causarum, effectorum, antecedentium, si eosdem locos distincta omnium explicatione, & enumeratione exacta illustramus, & verbis pariter, & voce gestibus emphaticis auditoribus inculcamus, ut primo ad attentionem commoveantur, & reliquis affectibus locum citius concedant.

III. Præcipuè per locum Divisionis & Comparationis fit exaggeratio; illum, si quod totum est, in omnes, & minutas partes oratione deduco: hunc si à minori ad maius, vel contra per incremen-

crementum, & gradationem ascendo, & tandem in utroque per Exclamationem, Interrogationem pro subjecto & orationis modo concludo. Divisionis exemplum est, *Hic homo totus interiit* Ubi Exaggeratio fit cum amplificatione: *Hic homo corpore infirmus, animo miser, fortunis spoliatus, conjuge, liberis orbatus, domo, hortis, agro, pecudibus eversus, periit, interiit, quid illo miserius, quis deplorandus magis.* Comparationis exemplum est: *Miserum omnibus privari fortunis, spoliari bonis, triste conjugem eripi, lamentabile infantes trucidari, deplorandum omnibus spoliatum captivum duci, & verbis miseriam ejus quis herclè exprimere potest?* Qui loci exaggerationis, quos affectus moveant, ratione subjectæ materiæ facilè studiosi intelligunt, & ex sequentibus faciliùs cognoscent, quatnam figuras in specie adhibere debeant.

IV. Fit quoque Exaggeratio ex loco oppositorum, si aliquam rē extollere, & animos hominum magis quasi incurere volo. Ibi sumo opposita, eaq; per locum Divisionis exaggero: ut ex oppositi exaggeratione, vim propositionis nostræ intelligentes, auditores magis commoveantur. E. g. *Si alicujus miseriam exaggerare volo, sumo oppositam fortunam, eamq; per partes deduco, & infortunii partes quoque easdem subijcio, ut: Floruit ille bonis, & fortunis, habuit charissimam conjugem, procreavit dulcissimos filios, splendidissimas inhabitavit ædes, hortos & agros possedit fertilissimos, amplissimos, abundavit pecudibus, & omnibus bonis: sed, proh dolor, fortunis spoliatus, liberis orbatus, conjuge privatus, domo, hortis, omnibusq; opibus eversus, miserrimus ille omnium mortalium interiit, spes adhuc reliqua fuisset salutis, nisi ad calamitatis terminos perpetua accessérit*

captivi.

captivitas. Ex quibus videmus expressè in exaggeratione maximoperè notandum.

1. Quod si vera Exaggeratio esse debeat, stricta in amplificatione Divisionis, Comparationis, & contrariorum loci concurrant plerunque, ijsque contractis, horum locorum efficax & affectuosa fiat exaggeratio.

2. Quod Exaggeratio figuras affectuum conjunctas habeat pro materiæ quæstione (quod facilè studiosus Oratoriæ judicabit) plærumque autem exclamationes, increpationes, vel, quæ generalis est, interrogationem.

In specie originem affectuum consideramus quatenus in certis figuris reguntur, & exprimuntur in Oratione.

Deberemus autem hic omnes affectus in specie definire, & declarare, nec magis conveniens esset utilitati studiosæ juventutis: verum à principio mens nostra fuit, vel nihil, vel pauca admodum definire, & non nisi ea, quæ judicio nostro visa sunt, remissuri studiosos ad libellos Rhetoricos & præsertim Adami Theodori, Siberi institutionem Rhetoricam, qui eosdem definit, & breviter omnes explicat.

Monstrare autem verum & perspicuum movendi affectus modum, id verò difficilimum videtur. Cum varij subinde pro diversitate rei affectus movendi sunt: ut potius, quod antea dixi, ab

xi, ab animo Oratoris, quam præceptis pendeant: tamen quantum possumus, praeunte nobis viam Bentio in doctissimo libro de figuris, breviter rationem movendorum affectuum per figuras singulas, quæ referuntur in Rhetoricis ad secundum ordinem figurarum, monstrabimus.

Principio quidem distingvendæ sunt res, ut antea dictum est: In alijs enim delectationis, & jucunditatis affectum, ex verborum elegantia excitamus, ut auditores delectentur, ut Orationis finem, suavitatem habeant, ut sunt res omnes quæ explicantur & docentur.

Hoc fit per elegans genus dicendi, & figuras Grammaticas, de quibus cum satis superq; in superioribus à nobis dictum sit, nec propriè ad Rhetoricam pertineant, prolixi hic non sumus. In alijs verò varios animorum motus producere cupimus, in illis nimirum, in quibus laus & vituperium, actio & paßio spectatur, ut sunt vel universales activæ. vel particulares propositiones, quod antea monuimus.

In harum propositionum affectibus movendis, tria potißimum considerabimus.

1. Qui & quotuplices sint affectus in Oratione.

2. Qui

2. *Quibus modis & figuris Orator ipse in se excitet affectus, & quid in illis considerandum.*

3. *Quomodo Orator eosdem adfectus cum auditoribus communicet, ut ex suo animo, auditorum animos accendat, quibus inseremus simul, quo loco adhiberi debeant affectus.*

Sunt initio omnes affectus, aut grati aut ingrati, qui ad hos quatuor pincipales referuntur.

AMOREM, ODIUM, LOETICIAM, TRISTITIAM.

Ex quibus voluptas & dolor oritur: illaque præcipuè animi, rarior autem corporis, & non nisi per Accidens, ut ex Oratione voluptatem corporis, accipiant auditores, quæ appetitum moveat. Nam Oratio ex suprema facultate provenit, unde eandem quoque afficit, & voluptatem animi, qui non habet dolorem, id est, pœnitentiam comitem, producit; ut contra dolorem in animis excitet. Oratoris enim officium est, ut motis hisce affectibus, ad agenda honesta, turpia fugiēda impellat. Ex quo, cum actio sequatur bona, & honesta, omnem corporis voluptatem, quæ actiones bonas remoratur & impedit, excludat necesse est.

Referuntur itaq; ad hos quatuor omnes reliqui, quos pro varietate materiarum intendit Orator,

ut non

ut non sit operæ precium alios addere, cum res & locus facilè eosdem sint subministratura.

Si enim habemus orationem, vel concionem, tum volumus auditores perducere in amorem. Hinc desiderium, cupiditas illius rei, aut personæ, ut optent voto, aut sperent, aut faciant, si in potestate, aut juvent per alios: aut impellere ad odium, huc ira, indignatio & execratio facit, ut molestè auditores ferant rem, vel personam, eandemque contemnant: aut erigere in læticiam, ut gaudeant, exultent: hinc rei alicuius delectatio (non hic verborum, ut paulò ante monuimus, delectationem intelligimus) quæ cum læticia conjuncta est, aut dejicere in tristiciam, ut mærore angantur, lamententur, affligantur, dubitent, & deniq; desperent auditores. Quæ omnia ad fugiendum aut faciendum tendunt.

Hæc cum Orator proposita habet, videat proximè, quomodo se ad hos, quos movere vult affectus, & quibus modis applicet, ut ille per omnia eo sit animo, quo auditores esse vult. Id fit per figuras, quas ratione affectuum illorum distinguamus, ut moveant in animo auditorum, vel amorem, vel odium, vel læticiam, vel tristiciam.

In genere de omnibus figuris notandum, quod diversis affectibus unà exprimendis inserviant: Nam tot non sunt figuræ, quot affectus. Ideoque singuli singulis exprimi non possunt. Præterea

præter artificium, multum hic quoq; animo & judicio Oratoris relinquendum.

Ad AMORIS AFFECTUM pertinent.

1. χαριεντισμὸς, *quæ est figura, qua benevolentiam nostram alijs declaramus, & gratiam nobis conciliamus. Fitque quando verba & blandiendi formulas adhibemus, utpote vocativos.* O auditores charissimi, præstantissimi, nolite nolite credere, esse eum adeò durum, adeò ab amore alienum. *Vocativus enim in Oratione maximè conciliat, ornatus præcipuè Epithetis jucundis, & auditoribus gratis, ut,* charissimi, jucundissimi, suavissimi, &c. *Et verbum illud defectivum QUAESO, si cum judicio inseritur vim conciliandi habet.*

2. FIDUCIA, *qua animi nostri constantis, certa fiducia auditores in amorem nostri commovemus: solent enim illi homines amari, qui in dictis constantes sunt. Itaq; formulas convenientes hujus figuræ adhibeat quilibet judicio suo, ut,* O nolite, nolite dubitare de hujus personæ candore. *Item,* Certissimam hanc rem auditores putate, ne dubitetis.

3. OBSECRATIO, *qua precibus vel obsecrationibus ad amorem nostri, vel nostræ causæ, auditorum animos commovemus. Id quod fit, quando alieniores videntur auditores, ab Oratione nostra; & ta-*

& tamen maxima necessitas urget: ut faveant, & obsequantur; tum enim demum, quādo necessitas expostulat, ad hanc descēdendum figuram, & non ad aliam: Cum enim maximam attentionem pariat: maximèque moveat auditores, non nisi in gravissimis, & maximis rebus adhiberi debet. Temeritatis enim esset judicium, sæpè & in re levi, vel ubi aliis formis idem præstare posit, hac uti formula.

Est autem formula: Per vestram ego salutem oro, & obtestor auditores, ne rem tàm parvam, tâm nullius momēti putetis, â qua omnis salus nostra dependet. *Alias formas ipsa materia subjecta monstrabit.*

4. OBTESTATIO, *qua orationem ad Deum vel homines, vel etiam propriam conscientiam convertentes, auditores nobis conciliamus.*

De qua tamen notandum, quod maximi quoque momenti in Oratione, & aures animumque auditorum feriat, ideoque rarior, ut sunt res illæ raræ, quæ hanc obtestationem requirunt. Hæc enim & proximè præcedens figura, si loco & materiæ convenienti adhibentur, testantur Oratoris in re proposita fidem, & summam significationem candoris, & constantiæ animi, ideoque maximê amoris affectum movet & excitat. Præterea hæc Figura cum ad testimoniorum pertineat locum, potissimum, quando ad DEUM, & homines provocandum, in loco testimoniorum cap. 6. *dictum est.*

Exemplum est: Testor ego Deum, auditores, testor homines omnes, testor vos ipsos, nunquam hunc hominem odium commeritum esse.

Huc quoque pertinet ADMIRATIO, *quando alicujus, vel virtutes, vel facta heroica admirantes, blanda auditorum compellatione, amorem personæ nobis conciliamus, quæ in rebus quoq; magnis, & admiratione dignis locum habet.*

De illis figuris omnibus hoc notandum, quod verbis blandis, & non magna animi commotione fieri debeant. Pro ratione verborum enim, & vocis possunt tristitiam, quoque movere, ut aliquando amor & tristitia in re quapiam coniunctus affectus esse potest.

Ad odij affectum pertinet primo IRA, IRACUNDIA: *ubi voce & verbis & vultu austeris, & horridis, animi commotionem vehementiorem ostendimus.*

Vbi notandum, quod omnia in hac figura aspera, truculenta, & sæva esse debeant, ut:

Tu lucem intueri audes? Tu in hominum conspectu esse? Tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perhorrescis.

2. *Indignatio, quæ est conquestio, cum molestiam nostram per alicuius rei indignitatem declaramus, ut:* Indignum hoc genere tuo factum, indignum officio tuo, indignum tantum

tantum scelus, tantum flagitium te committere.

3. OBJURGATIO, *per quam animi nostri affectum declaramus iratum, ut:* Tu hoc malum, hoc scelus perpetrasti: Tu, tu pœnas commeritus es gravissimas.

4. EXECRATIO *&* IMPRECATIO, *quando indignitatem rei execrantes, imprecamur adversario, ut:* Dij te perdant, ô scelestе ob hoc indignum & exsecrandum factum.

5. COMMINATIO, *quando comminamur adversario, vel illis qui non volunt obedientiam præstare Deo; puta in quæstionibus infinitis: ubi ad actionem impellimus, & malum annunciamus, ut:* Non impunè feres, has illasque pœnas tibi Deus & Magistratus infliget.

Huc quoque pertinet IRONIA, *quando adversarium irridemus, ob factum indignum, & ita odium conciliamus, ut:* Egregium virum, insigne factum, scilicet hic laudem commeritus est.

De figuris hisce omnibus notandum, quod cum maximi sint motus, rariores esse debeant in oratione & ad locos Confirmationis, Confutationis & Conclusionis reservandæ, idque iam in quæstionibus infinitis, quam finitis.

Ad lætitiam pertinet primò EXULTATIO,

qua verbis apertis lætitiam, ob rem aliquam præteritam seu præsentem, sive aliquando certò futuram, gratam declaramus. Quod his fermè fit verbis: Lætamini mecum auditores exultate. *Item :* O faustum & felicem illum diem, qui hæc bona nobis attulit, qui tanti nobis boni causa extitit. *Fitque vel ob bonum aliquod publicum, quando illuxit fortuna regioni, vel civitati alicui, & ideò crebra est orationibus gratulatoriis: vel bonum alicujus privatum cujus lætitia ad paucos pertinet. Estque solemnis laudationibus in genere Demonstrativo. Eaq; lætitia in hac figura, vel aperta, quæ fit formulis prædictis: vel occulta, quæ bonum quidem aliquod indicat, sed ad exultationem apertè non adhortatur, ut :* Non majora bona, non meliora bona, nobis unquam evenire potuissent.

Quæ distinctio probè notanda ob variationem orationis, ne uno modo eundem affectum exprimamus. Variatio enim & movet, & simul delectat, si elegans est in oratione.

2. OPTATIO, *ubi rem gratam, quæ vel speratur certo, vel adhuc in incerto : attamen grata & utilis est, auditoribus optantes desiderij, lætitia de futuro movemus. Estque vel de re certa, ut :* Aderit, aderit quod optamus, &c.

mus, &c. *Et*: Iam jam aderit illa dies, quæ nobis salutem adferet. *Vel de incerta, quæ nobis tamen vel profuit vel profutura esset: quorum illud desiderium cum lætitia; hoc cum tristitia parit. Fitque hoc per particulam* UTINAM, ô, *ut*: O utinam ille viveret, adferret nobis nostrisque rebus salutem: utinam rediret hoc nobis tempus, cum de nostris rebus incolumes deliberaremus.

3. VOTUM, *quo rem quandam Deo vovemus & consecramus.*

Estque aut in re grata, aut ingrata: illud læticiam, hoc tristitiam parit: magnam enim læticiam movet, si rem gratam, quæ nobis obtigit DEO *vovemus, eundemque rogamus, ut nobis illam felicem esse jubeat. Vt*: Voveo tibi DEUS hoc bonum, quod tibi acceptum refero, tuum erit totum, quod à te accepimus. *Contra verò si in re ingrata & calamitate, quæ nobis evenit nos & constantiam nostram in fide & patientia vovemus, maximum tristitiæ & condolentiæ affectum movet, ut*: Licet mea perdiderim omnia tamen tibi Deus me totum voveo, animamque meam, corpusq; meum, & omne

ſub tuo patrocinio, nec me ulla aut infortunij aut calamitatis vis movebit, aut votum hoc, tua gratia irritum faciet.

4. *OMINATIO per quam ſpem de re futura excitamus. Eſtq́; vel in re bona, quæ læticiam, vel mala, quæ triſtitiam parit. Vt:* Erit aliquando, erit, ut hanc habeamus fortunam. *Vel:* Iſta nobis evenient, vel venient iſta tempora, ut experiamur ſcelerũ iſtorũ pœnas.

Ad dolorem, quo triſtitiam in animis auditorum parimus, pertinet.

1. *DUBITATIO, quando de Salute, vel fortuna dubitamus, ut:* Dubito auditores, an hæc tempora nobis ſint futura. *Vel:* Quis ſcit an hæc unquam ſit reddit ura dies.

2. *METUS & TIMOR, qui animi conſternati oſtenſione excitatur in animis auditorum, hiſce fermè formis,* Vereor, vereor, Auditores, ne hæc calamitas mortem nobis ſit allatura.

3. CONQVESTIO, *cum querelâ noſtrâ ad dolorem commouemus auditores:* O me miſerum, ô me infelicem, ô tempora infeliciſsima, &c. Vices ego veſtras conqueror: & ex animo conqueror.

4. *OMINATIO MALI.*

5. OMINATIO BONI, *de quibus jam jam.*

6. COMMISERATIO, *qua cum misericordia tristitiam movemus, ut:* Heu mihi, & cheu, quæ facies rerum.

7. DESPERATIO, *quando de omni salute vel fortuna desperantes, spem omnem & læticiam adimimus auditoribus, & cum desiderio tristitiam & dolorem summum excitamus, ut:* Frustra hæc cogitamus, frustra speramus, nunquam nunquam hæc erunt.

Ad omnes hos affectus in animo oratoris excitandos pertinet.

1. JUSJURANDUM, *quod vel gravi vel religiosâ assertatione veritatem astruit, & ad fidem sive in bonis, sive in malis commovet auditores.*

De quo tamen notandum, ut illa non nisi in gravissimis rebus utamur, ne levitatis crebra eius iteratio sit indicium, si præsertim per Deum, per cœlum, per terram sit jurandum. Maximè enim cum commoveat, rei maximum pondus requirit. Si tamen est simplex Affirmatio crebrior esse potest, quæ tamen cum pertineant ad locum testimoniorum admonitiones ibi videantur.

2. EXCLAMATIO, *qua maximum affectum sive in rebus malis, sive bonis, per alicujus rei vel personæ significationem declaramus, ut:* O faustum illum diem, ô tempora tristissima.

De qua notandum quod tristitiam exprimat

 hisce

hisce particulis, Heu, eheu, Item, proh, quæ indignationis aliquando est particula. O verò adfectum tam lætum, quam tristem notat, ut jam in dictis exemplis patet.

3. *Ad exprimendos vel moderandos illos affectus eleganter facit quoque* ἐπανόρθωσις, ἀποσιώπησις. *Illa est revocatio sui ipsius, quando affectum revocamus quasi, & magis idoneum supponimus, ut:* Filium unicum habeo, ah quid dixi habere me, immò habui. *Quæ figura ad placidos affectus plerunque pertinet. Hæc reticentia est, qua sententiam inchoatam sistimus, ut:* Quos ego, sed motos præstat componere fluctus. *Quæ ad iram plerumque spectat.*

Absolutis figuris, quibus Orator affectus sibi movet, nunc quoque considerandum quibus figuris affectus eosdem ad auditores deferat, animumq; suum, cum auditorum animis communicet & affectum moveat.

Suntque illæ figuræ generales inservientes omnibus prædictarum figuris: ita tamen ut alia figura sit propior, ad hunc affectum, alia magis accommodata ad alium, ut in ipsa figurarum nota facilè constabit.

Quæ

Quas figuras consideramus, aut secundum materiam, aut secundum formam.

Secundum materiam considerata dicuntur, quod rem ipsam contineant, & auditoribus communicent.

Secundum formam vero, quod figuris illis modum proferendi suppeditent: itaque secundum materiam considerata dicuntur certa ad aliquam rem determinata: Incerta secundum formam ad nullam rem astricta, sed omnibus reliquis inservientes.

Certa & determinata sunt, quibus aliquid aut jubemus aut petimus: aut cõmunicamus expostulando, consolando, commemorando & concedẽdo. Quales sunt, JUSSIO, PETITIO, COMMUNICATIO, EXPOSTULATIO, ΠΑΡΡΗΣΙΑ, COMMEMORATIO, CONCESSIO.

Incerta, seu indeterminata sunt, quibus omnes reliquas ad auditores referimus: quales sunt, APOSTROPHE, INTERROGATIO.

Notandũ de hisce posterioribus Figuris, quod reliquis omnibus inserviant, illisq; reliquæ exprimãtur. Ideoq; & indefinitæ & generales meritò dici possunt. Fit enim omnis affectus motio, respectu auditorum per illas figuras Apostrophen & Interrogationem, ideoq; de his posteriori-

sterioribus, quoniam generaliores sunt, paucis agemus.

Est itaq; Apostrophe figura, qua nos ad personam vel rem sive veram, sive fictam, præsentem, & absentem oratione convertimus. Ubi Apostrophe propriè dicitur, cum præsentes compellamus: προσωποποιΐα, cum absentium & fictorum sermones introducimus. Fitque Apostrophe ad personas vel Deum vel homines.

Ad Deum: Tu ex edito monte Latialis sancte Jupiter, cujus ille latus, nemora finesque, sæpè omni nefario, stupro & scelere maculârat, ad eum puniendum oculos aperuisti. *Cicero pro Milone.*

Ad homines: Credo vos Judices mirari.

Notandum in hac figura. I. Quod fiat etiam ad nos ipsos, cum orationem convertentes nos consulimus, ut: *Quorsum ego hæc ago, hæc mihi faciunda, &c.* II. Vel ad alios, idque aut unum, aut plures, aut totum auditorum cœtum compellamus, quod fit vel lenibus verbis, vel vehementiori affectu. III. Quod fiat vel simpliciter, vel cum Interrogatione, illud affectum leniorem, hoc vehementiorem exprimit.

Impropriè Apostrophe dicitur προσωποποιΐα quæ est figura, qua fingitur persona, quæ non adest, aut res muta aut informis fit eloquens, & formæ

formata, & ei orationi attribuitur; aut actio quædam ad dignitatem conformata.

Estq; ve personarum verarum vel fictarum.

Verarum, quæ adhuc vivunt, & absentes sunt, vel jampridem, aut nuper mortui: Idq; vel unius vel multorum, ut si integram gentem introduco, integram familiam loquentem.

Fictarum, cum fingo personam quampiam, quæ hoc vel illo modo loquatur, quæ nunquam in rerum natura fuit, neque futura est, quod Poëtis est usitatissimum, qui plura fingunt, quàm in rerum natura sunt, ut Deos Deasve & alia.

Vel rerum, quæ sunt aut corporeæ, eæque vel animatæ, vel inanimatæ, vel incorporeæ, ut: Virtutes, Pietas, Religio, quando illas res introduco loquentes, ob causam aliquam, quæ vel ad testimonium, vel querelas, vel alios affectus directa sit. Exempla plurima huius figuræ & varia sunt apud Bentium lib. 2. class. 5. quo studiosos remitto, & exempla omitto: quia nemo est tàm sine ingenio, qui pro re nata exemplum & formulam ex prædictis sumere non possit. Est eius figuræ usus, & in conclusione, quando ad ejusmodi res provocamus, & vel testimonium, ab illis petimus, vel hoc vel illud dicimus, & vocatur provocatio; ut in peroratione de ea dicitur.

De utra-

De utraque notandum, quod maximum affectum moveat, & quod somnolentos auditores excitet, novamque audiendi cupiditatem accendat. Ideoque cum judicio adhibendæ, & videndum, in quibus materijs locum habeant, nimirum, quæ gravissimum vel motum, vel fidem maximam requirunt, ut sunt objurgationes, conquestiones, expostulationes, &c. quæ vehementiores affectus admittunt. Et in quo loco adhiberi debeant: nimirum raro in Exordio, & non nisi in principio, quando lenibus verbis auditores compellamus. Apostrophe utimur. Credo ego vos mirari Iudices. Prosopopœia & Apostrophe vehementiori non utimur, nisi quando in causis gravissimis ipsum Exordium vehementiores acquirit affectus, utpote, quando injuria illata, quando calamitas publica est. In Narratione & Confirmatione, non nisi lenioribus, & rarò quando causa postulat. In Peroratione, ubi vehementiores affectus sunt movendi, crebrior est illarum figurarum usus, prout res & judicium Oratoris hoc moderatur: crebra tamen harum & omnium figurarum iteratio vitanda.

Altera figura est INTERROGATIO, *qua inserviente omnibus affectibus, quærimus rem aliquam, de qua dubitamus, & hac ratione dubitationi maxime inservit, illique affectum addit, ut*: Hocne à vobis factum est? Quidni factum? *Cui interrogationis formæ subijcimus*

cimus responsionem, quæ affirmationem vel negationem continet, & SUBJECTIO communi dicitur nomine & Responsio.

Est etiam impropria, quæ nulla indigens responsione ipsam vim affirmandi vel negandi habet. Hunc ego non diligam? hunc non admirer? hunc non omni ratione defendendum putem? *Quæ figura Interrogationis impropria adhibetur, quando causa nulla est præmissa sed subiicitur. Propria, quando causa præmissa conclusioni argumenti per Interrogationem fit.*

Habet hæc Figura locum in omnibus Orationis partibus, in omnibus figuris; hac tamen differentia, ut in Exordio, in Narratione lenioris affectus figuris conjungatur, in Confirmatione & Confutatione & Peroratione vehementioribus addatur.

Insuper notandum, quod variis affectibus inserviens, variis modis efferatur, variumque motum addat Orationi; ut hic plus valeat judicium Oratoris, quam præceptorum multitudo: quæ tamen varietatem hujus figuræ vix assequi poterit. Ideoque videndum, ne sit nimis crebra, quamvis Orationis forma, & modus crebro videatur ejus usum expostulare.

Siquidem

Siquidem hæc figura florida maximè, & auribus auditorum iucundam & gratam efficit orationē, si præsertim apta & iucunda vocis moderatione efferatur, (quod unicè hic requiritur) quam gratiam omnem amitteret, & nimis crebrò auditorum animos feriret. Condimentorum enim instar figuræ esse debent, quæ non ad satietatem, sed delectationem apponuntur.

Hæc breuiter de figuris determinatis: sequitur ut agamus de terminatis, quibus communicamus cum auditoribus affectum, vel gratum vel ingratum, tumque res & affectus immediatè cum auditoribus vel mediantibus aliis personis, quas introducimus, in oratione communicamus.

IMMEDIATÆ, *quædam figuræ, serviunt gratis, quædam ingratis affectibus, quædam utrisque.*

Gratum affectum conciliamus.

1. Συστασις, *id est, conciliatione, sumpta à persona vel auditorum, vel nostra. Quæ figura locum habet in Exordiis, & ad benevolentiæ affectum facit. Cui subiicitur* 2. PROMISSIO, *qua nostrum officium & gratitudinem pollicemur, quæ itidem in Exordiis adhibita, benevolentiam & amorem conciliat.*

De quibus notandum quod raro in alijs partibus adhibeantur, nisi quando oratio, & argumentum novam hanc conciliationem requirit, vel quando novam aliquam partem oratio per

hanc

hanc figuram, superiori connecto, in laudationibus & aliis fieri aliquando solet.

Huic proxima & adfinis Figura est Pollicitatio, quæ conclusioni propria est, de qua in loco illo agitur.

Hinc proxima Figura est PETITIO, *qua nobis aliquid concedi rogamus. Et est vel præteritorum, ubi petimus, ut res præterita nobis ignoscatur, & hæc* DEPRECATIO *nominatur, aut futurorum; ubi rogamus auditores, ut boni alicujus nos compotes faciant.*

Illa locum habet in genere Iudiciali: hujus creber est usus in omnibus generibus apud auditores, ut: Rogo obtestorq; vos, ut hanc mihi detis veniam. Obtestor ut hanc mihi largiamini.

Ingrati affectus sunt EXPOSTULATIO, *quando vel cum adversario, vel auditoribus contendimus, vel eos objurgamus. reprehendimus.*

Est ea vel lenis, quæ apud amicos quoq; locum habet, sive ad unum; sive ad plures; sive ad totum illa sit auditorium directa, quæ est vel aperta in re aliqua: vel oculta, cum verbis occultè aliquem reprehendimus.

Habetq; hæc figura locum in reprehendendis vitiis auditorum, soletq; fieri indefinitè quam-

vis unum aliquem intelligamus, vel alterum, & potissimum in concionibus è suggestu.

Vel asperior, quæ locum habet in reprehendendis adversarijs, & corripiendis publicis peccatis, & sceleribus.

Notandum itaque in hac figura, quod Expostulatio fieri debeat ratione facti. Si enim factum est leve & occultum, tum lenis expostulatio institui debet, ne asperiori reprehensione affectus aliquos inimicos indicemus, & hac ratione animos auditorum alienos reddamus.

Asperior Expostulatio locum habet in delictis gravioribus, & peccatis seu factis publicis. Ibi tamen cum hac moderatione adhibenda, ut rei indignitas potius ex veritate: & verborum gravitate appareat, quam ex pronunciatione & verbis, animus maximè commotus & ira inflammatus. Quod maximè reprehenditur in multis pastoribus, qui cum peccata reprehendunt, vel etiam privatum odium effundunt, adeo commoventur; ut ira, verba ipsa supprimat, & vultum planè humanum non dico amicum exuant.

Secunda figura est παρρησία, seu licentia in loquendo, qua non est alia ferè figura, quam Expostulatio, & lenis reprehensio ad amicos directa, sive illi sint præsentes, sive absentes. Fitque vel simpliciter, vel cum quadam mitigatione, vel etiam cum adulatione conjuncta. Quæ in Orationibus rarior, in Epistolis & familiaribus Colloquiis crebrior est. Hujus & alterius figuræ exempla, cum sint apud Bentium, perspicua

spicua satis ac prolixa, non opus huc transscribere.

Hoc solummodo notandum illas figuras, ab ipsa materia seu facto suppeditari, ut non nisi moderatio animi requiratur, ne affectibus iracundiæ indulgentes, austeritate aures & animos auditorum nimis offendamus; nisi rei huius vel illius accusatio, vel reprehensio aliud expostulat, ubi tamen affectus verbis moderatis & animo non nimis commoto exprimi debent. Nam nimia commotio animi prudentiam & veritatem impedit, suspectamque orationem reddit. Præsertim apud vulgum in concionatoribus, qui illicò putant, si pastor acriter reprobat vitia, ex affectu aliquo, non ex veritate proficisci. Inde omnem auditorum gratiam amittit. Vehementior autem reprehensio & Expostulatio locum habet in fine Confirmationis, Confutationis & Perorationis.

Ad utrosque affectus diverso modo exprimendos facit.

1. COMMUNICATIO, *quando consulimus eos, ad quos dicimus, & quasi cum ipsis quid faciundum sit, & factum oportuerit deliberamus. Estque vel in rebus gratis, & hac ratione ad affectum gratum pertinet: vel ingratis, idque rebus vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris.*

Gratis, quæ bonam spem nobis præbent, & ex quibus boni aliquid accipimus, *ut*: Quo hunc diem gaudio putatis, auditores,

transſigendum, qui tantam fortunam nobis attulit. Quid nobis ſperandum, ex tantæ felicitatis indicio, deliberate vobiſcum auditores, perpendite.

Ingratis, *ut*: Quam cladem nobis hic dies attulit auditores, vobis hoc conſiderandum eſt, an deplorandum, &c.

Reliqua exempla ſunt facilia, pro re nata, & judicio Orat ris.

Hoc ſolummodo obſervandum, quod tum potiſsimum adhibeatur hæc figura, quando præcipuè res pertinet ad auditores, illiſque deliberanda ſit. Eſtque perſuaſionis præcipuum argumentum, lenibus verbis tum etiam adhibendum, quando auditores videmus aliquantulum à nobis abalienatos, ut quaſi cum ipſis rem communicantes, eoſdem nobis conciliamus. Alias quia vehementioris eſt affectus non crebrò uſurpanda eſt, ne nimis affectuoſa videatur Oratio, & Iudicium in Oratore deſideretur.

2. COMMEMORATIO, *priori figuræ affinis, quando nos communicamus rem per interrogationem aliaſque figuras, vel relinquimus deliberandam, ſeu quando breviter exponimus, ſive res ſit mala, ſive bona, ut*: Audite Auditores, rem breviter vobis exponam.

Eſtque vel explicata, ubi dicimus nos rem expoſi-

expositūros : vel implicata, quando simpliciter commemoramus.

Differt autem à Narratione, quod hæc in argumentis singulis adhiberi posit, ubi aliquod factum commemorandum, vel historia alleganda, sive ea tristis, sive læta sit. De qua tamen notandū, quod non sit vehementioris affectus, neq; singulis illis exprimatur. Ideoq; eius usus crebrior est, præsertim in factorum comprobatione, habetque locum in confirmatione & confutatione, non autem in peroratione, quæ plena est vehementiorum affectuum.

3. *Spectat huc* IUSSIO *quâ jubemus, sive serio sive per Ironiam aliquid fieri vel potestatem faciendi facimus.*

Vbi notandum quo ad bonum affectum communicandum. Iussio seria fiat, qua jubemus ut vel necessitate vel utilitate commoti aliquid faciant auditores, ut: *Agite auditores facite.*

Estque vel generalis, ubi in genere jubemus aliquid, vel specialis, ubi hoc vel illud fieri volumus. Ad malum, quando per Ironiam jubemus aliquid. Vt, Virg. I nunc ingratis offer te irrise periclis. *Fitque quando factum aliquod malum exitum sortitum est. Estque eius usus familiaris in refutando adversario, ubi levibus argumentis pugnat, ut :* Adhibete auditores hisce nugis fidem.

Aliquando autem mutatur hæc figura in adhortationem, ne uno eodemq́ modo affectus moveamus & communicemus.

Ad mediatam affectuum cum auditoribus communicationem facit.

1. SERMOCINATIO, *ubi primò quod ab aliquo dictum factumve fuerit narramus, vel secundò alias personas colloquentes introducimus in Orationem: vel tertiò, cum nos cum aliis personis colloquimur. Prioris modi est elegans & crebra figura, qua utimur in refutando adversario, quando eius argumenta sub persona repetimus per Interrogationem, ut:* Cum hoc modo accusas Eruci non hoc palàm dicis? ego quid acceperim scio quid dicam nescio, unum illud spectavit. *Cic. pro Roscio.*

Possumus quoque eleganter uti hàc Figura, in perturbationibus gravioribus & revocationibus, ubi factum nostrum narramus, quærentes ex nobis in oratione & vicissim respondentes, quod maximè in oratione movet auditores, ut Plautus in Amphitrione: Quid malum? non ego sum servus Amphitrionis? nonne hac nocte nostra navis huc ex portu Persico venit, adque me advexit. *Quod tamen rarius esse solet in oratione, cum non de nobis sed de aliis ora-*

oratio instituta sit. Secundi modi usus apud Oratores rarior, crebrior apud Comicos est, si tamen necessitas efflagitat, semel & ad summum bis in oratione utamur.

Hæc figura elegans est, & auditores excitat. Habet locum in Narratione, quando duorum aut plurium facta narramus: in Confirmatione rara est: nisi quando factum repetimus, & argumentum ex eo colligimus.

Ubi notandum, quod hoc colloquium non debeat esse nimis longum, nec sermo personarum nimis brevis, & succinctus, ne orationis amplitudo & flumen impediatur & oratio inepta reddatur. Tertij modi usus planè oratorius est, excitatam reddens orationem, maximeque per illas personas cum quibus colloquimur animum auditorum afficimus.

Ergo notandum, ut hoc loco tempori & personis accurato judicio eandem adhibeamus, & non nisi quando cum alijs agimus, deliberamus, contendimus. Idque raro uno modo, & præsertim hoc, sed subinde mutatis affectuum communicandorum formis, quod admirationem parit, & ad persuasionem ut plurimum facit.

Huiusmodi exemplum est: Exhæredare filium voluit, quam ob causam? nescio exhæredavit ne? non. Quis prohibuit, cogitabo, cui dixit? nemini: quid est aliud judicio ac legibus ac majestate vestra abuti, ad quæstum, atque ad libidinem.

2. *Est* IMITATIO, *cum ſimpliciter alterius verba Oratione exprimimus, quæ ille loqui, aut voluiſſet, aut debuiſſet, aut locuturus eſſet, ut:* Hic ex familia Conſulari eſt: ille Prætoria: reliquos video eſſe ex Equeſtri ordine, ſunt omnes ſine macula, ſunt æque boni viri atq; integri, &c. *Cic. pro Plancio.*

Qua figura in narratione utimur ſive alicujus facti, ſive ad confirmandum argumentum, excitatq; attentionem, ſive auditores faveant perſonæ, quam in Oratione habemus, ſive non: non tamen crebra eſſe debet: ne videamur adulari alijs & auribus, amoriq; ultra, quam veritas admittat, indulgere. Itaq; non niſi in re omnibus manifeſta, & etiam grata, potiſsimum perſonarum verba, de quibus ſermo inſtitutus eſt, imitari debemus.


Notandumq; diligenter, quod hæc figura cum præcedente commutari poſsit, ne uno modo affectus cum alijs communicemus.

Quæ admonitio generalis hic quoq; eſt, (clauſulæ loco iteranda) & ad omnes affectuum figuras pertinet, ubi ſive tecum, ſive animo tuo affectum moveas, ſive cum auditoribus communices, ſemper variare figuras affectuum debeas, ne ex judicij inopia Oratio ſterilis, & minus grata fiat.

Deinde de figuris illis notandum, in univerſum, quod ſuo modo omnes ad diverſos affectus

affectus exprimendos faciant, multoq; sint plures affectus, quod ante quoq; dictum est, quam figuræ. Ideóq; non eò proponuntur: ut exactam rationem exprimendorum affectuum suppedirent, sed ut ansam tantum præbeant, & manuductionem, ad ulteriorem rationem affectuum movendorum, quæ uniuscuiusq; judicio exercitatione & lectione autorum crebra comparatur inquirendam. Propterea multas figuras omisimus, quæ in Bentio & alijs habentur; partim, quia ipsi sunt affectus figurarum nominibus notati: partim quia faciles sunt & in scholis Rhetoricis notæ: partim deniq; quia nimis fuerat prolixum, omnia explicare, cum cœtera in ipsis exercitijs monstrari debeant.





CAPUT

CAPUT X.

De Instrumentis connectentibus Orationem.

Tabula summam capitis decimi exhibens.

Connexio est

- Rerum, ubi connexionem considero ratione
  - Locorum probationis, quæ cõnectũtur & collocãtur ordine
    - Dignitatis
      - Honestum præcedat.
      - Utile sequatur.
    - Cõmoditatis
      - Si ob circumstantias & aliam caussam ordinem mutat Orator.
  - Argumentorum amplificationes, ubi
    - firmissima præcedunt.
    - infirma sequuntur.
    - firmiora concludunt.
- Verborum
  - Simplicium, quorum connexio ex Grãmatica cognoscitur.
  - Connexorum, seu Periodorũ, quæ est aut
    - necessaria
      - Simplex quæ
        - Particulis
        - Formulis
        - estq; secundum
          - Quantitatem secundum locos.
          - Qualitate affirmativa vel negative.
      - Figurata
        - Interrogatione,
        - Communicatione, &c.
    - Non necessaria sine qua Oratio cõsistere potest, fitq;
      - Præteritione.
      - Revocatione.
      - Rejectione.

bsolutis

ABsolutis quæ ad Orationis compositionem, amplificationis, exornationis, & motus rationem spectant: ulterius opifices in officinam sequemur.

Ut enim illi postquam operis alicujus partes formarunt, ornarunt, & varijs colo ribus expolierunt: tandem artificiosè componunt, & connectunt, ut hac compositione artificiosa, correspondentibus sibi partibus omnibus, ceu unum corpus videatur: Ita Oratores, postquam partes omnes Orationis artificiosè composuerunt: tandem quoq; curam adhibere debent: ut quàm elegantissimè connectant membra, & partes Orationis.

Maxima itaq; cura est, & esse debet Oratoris, ut optimè connectat Orationem. Magnam enim venustatem addit, & elegantiam, si invicem sibi & rebus & verbis respondet Oratio, & continua quasi catena non interrupta, non distorta, unum ex altero sequitur, & ceu provocatur; quo continuò quasi nexu aures, & animos auditorum retineat Orator, quæ via quasi strata est ad persuasionem, & benevolentiam auditorum sibi comparandam. Animadvertimus autem plurimos in compositione Orationis vel ex ignorantia, & incuria etiam ratione verborum elegantem Orationem, connexione inconvenienti deformare, ut faciem quasi Oratiionis amittat.

Est autem Connexio nihil aliud, quam apta verborum & rerum inter se combinatio.

Estq; vel rerum vel verborum.

DE

DE RERUM CONNEXIONE.

Rerum connexio est, quando res optimo ordine & via, vel quo gesta est, vel quo judicat Orator, ponitur: Eaq; est, vel partium Orationis, vel locorum probationis, vel locorum amplificationis, quæ vocatur dispositio & collocatio.

De qua notandum, quod partes Orationis ordinem in generibus causarum propositum cum judicio obtineant;

Loci confirmationis ordinem habent vel dignitatis, vel commoditatis.

Dignitatis ordo est, quando honestum præcedit, nimirum mandatum divinum, lex naturæ, lex scripta, sequitur utile publicum, deinde privatum: publicum, Ecclesiasticum, Politicum, Oeconomicum: privatum animi, corporis, fortunæ.

Commoditatis ordo est, quando suo judicio oĩa temporis, loci, personarũ circumstãtijs optimè petito Orator hunc ordinem vel invertit, vel quosdam locos omittit, quod sæpè solet evenire.

Argumentorum verò collocatio ita instituatur: ut firmissima præcedant. & agmen ad expugnandum animos auditorum ducant, infirmiora, & imbecilliora, quæ quamvis non multum prosint, singula tamen multa juvent. medio loco ponenda sunt, firma autem vicissim in finem reservanda, quæ feriant aures, & animos auditorum & aculeos relinquant.

Firmissima autem sunt argumenta à causa efficiente, & finali, & ab effectis reliqua medium locum plerumq; habent.

Hic-

Hic ordo tamen subjacet quoque judicio Oratoris, ita ut potius sit in hoc loco attendendum judicium componentis, quam praecepta Rhetorum. Materiae enim vis & materia, facilè ordinem Oratori monstrat, ad quem praecepta Rhetorices cum ratione applicet.

Illud summoperè notandum; ut respiciamus in collocatione delectum verborum, & argumentorum, ut illa, quae necessaria sunt, quaeque maximum pondus habent, tantum ponamus, rejectis illis, quae frivola & non necessaria sunt. Oratio enim quantitate justa & convenienter Oratori, & auditoribus constare debet, si qualitas gratiam & laudem mereri voluerit: nimia enim Orationis prolixitas elegantissimam quamque odiosam & fastidiosam reddit, & plus gratiae adimit, quam elegantia addere potest. Illi itaque, qui luxuriae rerum, ac verborum, vel natura, & adsvetudine gaudent, eandem non in Orationem, sed rem aliam conferant: hic temperent, & ad mediocritatem, tum rerum, tum verborum componant.

Secundo ita collocemus Orationis argumenta, ut memoria nostra adjuvetur, id quod fit, si vel ad consveta, & nobis cognita praecepta, ordinem revocamus, vel ductum materiae, quem nobis firmissimè imaginati sumus, sequamur.

DE VERBORUM CONNEXIONE.

Verborum connexio est, vel simplicium propositionum; vel compositarum, id est periodi, vel argumentorum, (non ratione rerum sed verborum.)

Simpli-

Simplicium propositionum Connexio, quoad vocabula ex Grammaticis præceptis constat, & ex illis, quæ antea à nobis dicta sunt.

De qua notandum, quod præcepta (nisi in re levi, & notà ex lectione authorum, operosè & prolixè ludere velimus) perpetua dari vix possint; Lectione itaque & exercitio facili negotio addiscitur, si præsertim Grammatica præcepta (secundum enim partes orationis octo fieri necesse est) adjumento fuerint.

DE PERIODORUM CONNEXIONE.

Connexio periodorum est, vel necessaria, vel non necessaria. Causas habeo cur ita distinguam, quas ex me, antequam Iudices quæras.

Necessaria est ubi materia ipsa periodorum necessitatem urget & quasi ipsa connectit, ut non tã de connexione ratione rei, quàm in verbis particularum formularumq́; variatione sollicitus esse debeat Orator, ut jucunditatem & admirationem obtineat oratio.

Non necessaria est periodorum & argumentorum, quæ quidem omitti potuissent: attamen ad delectationem, vel alia de causa orationi inseruntur.

Est autem necessaria connexio vel simplex, vel figurata seu affectata.

Antequam necessariam connexionem explicemus.

temus notandum; quod gustum connexionis rerum ex Grammatica percipiamus, si primo naturam & significationes adverbiorum cognoscamus, illa enim verbis atque Orationi qualitatem, & quantitatem addit. monstratque modos connectendi, cum sint significatione ad varias orationis, cujuscunque formas distincta. Præterea nomina tantus, quantus, omnis, totus. Item distributiva, item pronomina relativa, demonstrativa: atque adeò omnes partes Orationis connexioni viam sternere possunt, si probè percipiantur.

Simplex itaq; Connexio est quæ monstratur vel simplicibus particulis vel formulis.

Consideratur autem connexio eo modo, & ordine quo hactenus compositionem orationis secundum locos amplificationis & figuras consideravimus, & cognovimus. Diximus autem illos esse locos, ex quibus omnis nascatur oratio, tam secundum amplificationem, quam comprobationem, & exaggerationem, ex iisq; figuras exornationis oriri. Ergo connexio quoq; consideratur quatenus hi loci invicem junguntur, & orationem conficiunt.

Et quamvis perpetuum modum, & præcepta secundum particulas, & formulas connectendi dare non possimus, ut non indoctum ingenium & multa lectione Oratorum exercitatum, & confirmatum judicio suo connectendas formas varietate infinita mutare queat: tamen manuductionem brevem incipientibus præbemus, ex qua ulteriora, pro ingenio & judicio, sibi fingere possint. *Consi-*

Considerabimus autem primo connexionem simplicem secundum quantitatem, qua locos argumentorum connectemus.

Sin vel ex DEFINITIONE & RHETORICA DESCRIPTIONE provenit, tum connexio ex re ipsa oritur, rerum periphrasi, & circumstantiis hisce particulis fermè præcedentibus. EST ITAQVE, DICITVR AVTEM, FIT ERGO, &c. Vel obscurorum explicatione his formulis, VT CLARIVS HANC REM OB OCVLOS PONAMVS: VT PRAECIPVE REM VOBIS MAGIS EXHIBEAMVS: VIDEBIMVS REM PAVLO ATTENTIVS ET CLARIVS. In quo ad locum communem digredimur, qui regressionem commodam exposcit hisce fermè formulis: REDEAMVS AD ILLA VNDE DIGRESSI ERAMVS: SED NE LONGIVS ABERREMVS: VERVM LONGIVS QVAM PROPOSITVM ERAT NOSTRA DIGRESSA EST ORATIO: QVORSVM ISTA? QVORSVM: VT INTELLIGATIS, Cic: ad Quirites post reditum.

Notandum hic quod etiam regressio implicitè fieri possit eleganter & simpliciter his formulis. EA HAEC A NOBIS DICTA SVNT:

SVNT: HVC SPECTAT NOSTRA ORATIO, ITEM IN HVNC FINEM HAEC PROPOSVIMVS. Vel per occupationem, quæ habet Correctionem per adversativam, sed &c. VT NON EO HAEC DICTA SVNT: NON IN HVNC SENSVM RAPIATIS, sed &c. Potest etiam ex abrupto fieri regressionis connexio, ut Neotericis Oratoribus quibusdam in usu est, ut, ubi sumus, ubi sumus auditores: quo dilapsi Oratione eramus, sed rarum illud est, & non usitatum, nisi de gravioribus causis.

8. *In Oratione post Propositionem CAVSAM addo vel IMPVLSIVAM vel FINALEM, id fit per rei expressionem formulis. VT HVIC REI RATIO CAVSA HVIVS EST ubi ad attentionem commovere volumus RATIONEM ET CAVSAM COGNOSCITE: RATIONEM HVIVS REI PERPENDITE (quæ ratio cōnexionis rarior est in Oratione, & non adhibetur: nisi quādo in Oratione singulare pōdus est, ubi ad attentionē cōmovere volumus auditores.) Vel per particulas: ubi tacitè causam & rationem exprimimus, quæ sunt: ETENIM, NAM, NAMQVE, PROPTEREA, SIQVIDEM.*

Post causæ totius explicationem, volumus partes, seu argumēta integra, rem quamcunq́ confir-

mantia seu confutantia persequi, & commemorare ordine.

Vb notandum quod Oratores fugiant connexionem per numeros ordinis ut PRIMVS, SECVNDVS, TERTIVS, QVARTVS, QVINTVS, SEXTVS, &c. Sed pro numeris ponant particulas PRINCIPIO, INITIO, DEINDE, ADHAEC, PRAETEREA, PORRO, INSVPER, TANDEM, VLTIMO, POSTREMO, DENIQVE.

Quia numeri Doctoribus seu interpretibus potius, quam Oratoribus conveniunt, cum Orationi tantum splendorem, & gravitatem in Connexione non addant. Habent & numerandi particulæ TOTIES, QVOTIES miram delectationem, & gratiam, si cum judicio adhibeantur, quando complectimur numerum alicuius indefinitè, ubi particula QVOTIES ad interrogationem figurarum refertur? TOTIES autem ad responsionem hic locum habet elegantem & ambæ particulæ Apostrophæ principaliter inserviunt. ut: Quoties hunc ad monui, quoties adhortatus sum, ut ab hoc immanissimo flagitio desisteret? quoties rogavi, quoties obsecravi? *Sic etiam Toties particula usurpatur.*

Itaque studiosi Oratoriæ has connectendi particulas probè obseruent.

Vel solemus totius alicuius simplices partes enarrare

enarrare, ubi quod in toto diximus, per partes, enumeratas exaggeramus, quod mirificè delectat: fitq́ vel simpliciter, ut: Omnia testamento legavit, domum, agros, pecudes, supellectilem omnem. *Vel per Gradationem, ut:* Omnia ipsi donavit, non tantum vestes, pecuniam, sed & domum & agros.

Vel deniq́ rem distinguo, id fit per particulas. VTRVMQVE, VNVM, ALTERVM, ut: Utrumque fratrem abalienavit â se, unum morum asperitate; alterum sordibus: neminem non lacessit, illum scriptis, hunc conviti͡js, alium minis. *Fitq́ aliquando distinctio geminatione vocabulorum, sive illud sit verbum, sive nomen, sive Adverbium, quod diversis partibus, seu speciebus adjungitur, ut:* Alios assentatione decipit, alios muneribus corrumpit, alios persecutionibus adducit. Hem modò ait, modo negat: Nunc neminem dimittit, nunc omnibus accurrit.

Huic proxima est divisio, quæ fit per numeros CARDINALES, VNVM, DVO, TRIA, QVATVOR, QVINQVE, SEX, ut: Hoc in partes septem deducitur. (*quæ numerorum particulæ in Oratione admittuntur, ut & distributivæ BINI, TERNI, QVATERNI, quæ eleganter rem distinguunt.*)

Præterea post partium enumerationem, solemus rem inter se comparare, vel comparatione vera à minori ad majus, aut contra, idque aut simpliciter hisce fermè formulis: SI HOC, ERGO MVLTO MAGIS ILLVD; CVM HOC, QVIDNI ET ILLVD: *Vel cum quadam transitione hisce formulis:* MAGNA HAEC, SED MAIORA ILLA. *Item:* MAGNA AVDIVISTIS, MAIORA SVNT, QVAE AVDITVRI ESTIS: MAGNA HAEC SVNT, SED SI CVM RELIQVIS CONFERANTVR, QVAE SEQVVNTVR MINORA, QVAM VT CVM HIS CONFERRI POSSINT. *Quâ transitionis formâ in comparatione simul attentionem paramus, estque per hanc figuram Connexio adhibenda in Conclusione unius Argumenti, qua alterum quasi ex priore fluere videatur, id quod unicè in artificiosa connexione spectandum.*

Vel collatione similitudinis, quæ fit ferè per particulas SICVT, VT, QVEMADMODVM, *quibus in applicatione respondent particulæ* ITA, NON ALITER, AD EVNDEM MODVM.

Adhæc post collationem, seu alios quoque locos imò non rarò in principio Connexio fit per

occupa-

Occupationem, cuius duo sunt membra πρόληψις & ἀπόδοσις: prioris membri particulæ connectentes sunt. ETSI, ETIAMSI, QVAMVIS, LICET, posterioris TAMEN, ATTAMEN (quæ particulæ interdum solent omitti per Ellipsin, per variationem, sed tamen intelliguntur.)

Huic proxima est Connexio in Correctione. de qua lib 4. ad Herennium: ubi quod diximus ante corrigimus, & in alium sensum convertimus; huius connectendi particulæ sunt: IMO, QVINIMO, IMOVERO, VEL. MAGIS, AVT, POTIVS, AT POTIVS, SIVE, ADEO. Quæ connexio in oratione elegans est, ubi nos ipsos corrigentes animos auditorum excitamus: formulæ Correctionis videantur apud Erasmum libro primo, capite sexagesimo secundo.

Hos locos omnes confirmamus Argumentis ἀτέχνοις, id est, inartificialibus testimoniis, & exemplis, de quibus connectendi formulæ notandæ sunt ex Erasmo lib. 1. cap. 66.

Fit autem citatio testimoniorum dupliciter, vel in genere, Ut omnes Philosophi scribunt, veterum libris monumentis memoriæ proditum: scriptum, ad posteritatem

transmissum: Sic juris consulti putant. *Aut in specie, quando unum aliquem cito, ut:* Sic inquit Aristoteles, sic scribit Plato, nostræ sententiæ astipulatur Cicero, opinionem nostram confirmat, suo calculo cõprobat, *hinc plurimas formulas quam Orationis variatio requirit, mediocriter in latina lingva versatus, fingere sibi potest.*

Exemplorum connectendorum ratio varia est, cujus aliquot modi his formulis constant: hujus rei exemplum est: patet hæc res exemplo: hujus vel illius: manifestum hoc evadit historia Alexandri; hujus rei exemplum vivum perpendite, ob oculos ponite.

Tandem antecedentium & consequentium loci varijs modis ratione circumstantiarũ, Locorum, temporis, connexio fit.

Quæ observanda potissimum in Narrationibus, ut optime. & succinctè sint formulis, & particulis convenientibus, in personarum & rerum circumstantia, ad hanc faciem formulis connectentibus utimur. Hæc est hujus personæ conditio, hoc de persona hac percipite, ita sermo nobis de hac persona institutus est, ut dicamus initio, hæc est vera facies, Ita cum rebus hisce comparatum est.

Sic

Sic quoque locorum circumstantiæ connectendæ suis formulis, ut: In hisce regionibus, quæ facta horum locorum, natura, hoc voluit, prohibuit, hoc loci illius amœnitas, terræ fertilitas suppeditavit.

Circumstantia temporis in Adverbiis patet, & secundum triplicem temporis differentiam futuri, præteriti & præsentis particulæ connectendi faciles sunt. Fitque connexio temporis, vel per Adverbia, vel Nomina: Sunt autem Adverbia aut temporis determinati & futuri, præteriti, & præsentis: Illius: CRAS, PERENDIE, IMPOSTERUM: quæ etiam cum futuro conjunguntur ISTIUSMODI, PRIDEM, DUDUM, NUPER, NUDIUS TERTIUS, usque ad NUDIUS DECIMUS SEXTUS, quod apud Plautum extat. Hujus, HODIE, NUNC, IAM. Aut indeterminatè, OLIM, QUANDO, PAULISPER. Quæ tamen particulæ, aliæ ad futurum, aliæ ad præteritum tempus indefinitè referuntur per nomina. Ut: ERIT, ALIQUANDO ERIT: FUIT, ALIQUANDO FUIT.

Hæc est simplex Connexio secundum Orationis quantitatem: prout nudis præceptis fieri potest.

In quo notandum: quod ita connexionem seu collocationem rerum sequi debeat, ut nihil præter formæ elegantiam rebus addat, sed mira variatione suaviter afficiat auditorum aures: ut res in animos eorundem facilius deferatur.

Deinde simplex connexio consideratur ratione qualitatis, quatenus oratio aut affirmativa aut negativa aut dubitativa est, quæ fit in Oratione aut apertè aut implicitè.

Apertè quando affirmamus, aut negamus, aut dubitamus, expressis vocabulis, ut nego, affirmo.

Implicitè quando aliis vocabulis, & per Periphrasin eundem sensum exprimo, ut: De hoc vix dubitare possum, hoc mihi non fit verisimile, multa quidem in hanc sententiam dicuntur: Sed si ea pensito tanti ponderis non sunt, ut fidem adhibeam, vel de hâc re ambigo, res hæc mihi in dubio versatur, hæc res non liquet. *Tales formulæ sunt infinitæ, quas sibi in latina lingua exercitatus facilè colligere & ad usum transferre potest.*

Notandum, quod huius orationis qualitati gravitatem addant, sive adverbia, sive Epitheta significationem augentia, quæ connexioni inserta maximam elegantiam addunt: de quibus tamen in Epithetis dictum est.

Ex hac Orationis secundum qualitatem connexione sequitur figurata periodorum connexio, quæ

quæ consideratur quatenus Orator exprimit affectus in animo suo, ex rerum natura & conditione erutos, ut sunt: Amor, Odium, Lœticia, Tristitia, in quibus figuræ superius explicatæ connectendi & proponendi formulas suppeditant, & plerumque modis, seu particulis secundum locos amplificationis propositis, & jàm explicatis instituitur: ut huc vocare operæ precium non sit: istæ saltem figuræ, quibus singularis connexio fit, huc revocandæ, idque quatenus secum excitat Orator affectus, quarum prima est Exclamatio qua per particulas, HEV! EHEV! PROH! O! periodum eleganter connectimus, in maximis affectibus exprimendis; præsertim in Conclusione. 2. In IVREIVRANDO in affirmatione & negatione connexio fit. 3. EXECRATIONE, quarum figurarum usus potissimus motus & connexionis ratione in Peroratione est.

Vel quatenus Orator affectus suos certis figuris cum auditoribus communicat, & ex animo suo Auditorum animos accendit, & tanquam catenam Orationem, cum rerum convenientia nectit. Inter quas figuras omnes ad elegantem connexionem facit. I. INTERROGATIO, qua propositionem, seu Periodum,

quamcunque commodè connectimus superiori, quam minus eleganter alijs particulis connectere potuissemus.

Ejus usus frequens connexionis est, apud autores, in omnibus locis, & tam amplus, ut non possit certis includi præceptis: tum autem certò utimur Interrogatione, cum ex Argumento aliquid elicimus, & concludimus, poniturque pro Ergo, Itaque.

Iudicium itaque adhibendum in Connexione per hanc figuram: ne nimis sit crebra, præsertim sæpè in continuis Periodis repetita: neve statim in principio Orationis ponatur: nisi Oratio vehementiores motus statim in principio exposcat.

Huic, & elegantia, & necessitate connexionis, proxima figura est COMMVNICATIO*, quando præterita communicamus, cum auditoribus, vel præsentia, ita ut inde futura fluat Oratio, ut,* animadvertitis, cognoscitis, videtis, quo mea tendit Oratio, intelligetis magis, cum hoc vel illud audituri sitis. *Huic figuræ sequens periodus additur, etiam per rationis particulas ETENIM.*

De ambabus his figuris notandum.

1. Quod faciant tum ad connexionem terminorum unius argumenti, puta Enthymematis, Syllogismi, Inductionis: vel diversorum, dum hoc modo

modo ferè utimur: *quid nunc tandem dicemus? quibus momentis verborum majorem fidem huic Orationi merebimur? videtis auditores quod ad Orationis caput pervenerimus, id quod jam probabimus.*

Ad has figuras posteriori modo ad cõnexionem consideratas pertinet Transitio, de quâ lib. 4. ad Herennium, quæ fermè eadem est & non nisi figurata illis figuris. Itaq; id notandum quod Transitio elegans sit connexionis figura, quo ab uno argumento transimus ad aliud cuius exemplum est: *cum satis de hoc dictum sit, quæso ad alteram Orationis partem animos convertite.* similes formulæ exercitatis mediocriter, faciliores sunt, quam ut hic addi debeant.)

II. Notandum quod potissimum Interrogatio & Communicatio addantur: ut Connexio per Transitionem fiat elegantior.

Hæc breuiter de necessaria connexione, sequitur non necessaria, quæ quidem elegantiam & motum maximè juuat, Oratio tamen elegans sine hâc constare possit.

Ea fit primò, per PRÆTERITIONEM, *quæ lib. 4. ad Herennium occupatio dicitur quæ elegantissima est, maximeq; retinet auditores, non tamen semper, & ubiq; necessaria: præsertim in iis Orationibus ubi argumentorum copia non subest, huius particulæ sunt,* NON DICO, PRAETEREO, SILENTIO INVOLVO, SICCO PEDE TRANSEO, *illa, vel illa, quæ tamen non dicendo, recenseri possunt.*

Formulæ

Formulæ connectendi conclusionem hujus figuræ incipiuntur Cõjunctionibus adversativis, SED, ATTAMEN adhibetur, præsertim in fine Orationis ante Conclusionem, cui annectimus argumenta eleganter Orationis proposita, eaq; exaggeramus, & sic ad conclusionem transimus.

Secunda figura est Revocatio, cum Orationem præcedentem revocamus, quasi, quæ in digressionibus locum habet, & in illis argumentis, quæ non videntur satis digne proposita, quæ tamen pondus aliquod habent, & notatur verbo plerumq; defectivo, INQVAM: *ut,* inquam hoc est quod ante dixi, & per particulam NIMIRUM, (*scilicet quando intentionem habet, alias in explicatione seu descriptione Rhetorica non est, vel rarò adhibenda*) *ut hoc nimirum est quod dixi. Vel diniq; aliis formulis, quibus Orationem revocamus, ut,* longius quam putavimus excurrit nostra Oratio, hoc agamus quod institutũ est, *quæ figura rarò adhibenda, quia videtur connexionem turbare, & Orationem continuam, ubi nimirum digressio commoda, & jucunda adhibeatur.*

Tertia figura est REIECTIO, ubi quod dicendum erat, vel prorsus, vel in alium locum reijcimus, Vt: dicendum nobis esset de hoc vel

vel illo, ſed jam non poſſumus, ſed differemus in aliud tempus, nunc hoc ſaltem agamus, vel antequam hoc agamus, prius paucula de illo dicemus, Vel hic multa eſſent dicenda ſed tempus non patitur. *Hanc Connexionis figuram alij reijciunt, & tanquam tædioſam improbant quorum ſententiæ facilè ſubſcribo, cum Connexionem maximè turbet, & gratiam nullam mereatur; niſi aliquando in principio Orationis ubi eam partimur, præſertim in Concionibus, quo loco non improbo, ſi cum judicio uſurpetur, & accipiatur.*

Atque hæc quantum fieri potuit de connexione dicta ſunt, Reliqua quæ ob prolixitatem, & varietatem dici non potuerunt, obſerventur in lectione Oratorum, & exercitatione, quæ ingenium & judicium auget, & potiori ratione modos ſibi quiſque fingere queat. quod ut facilius fiat, Grammaticæ egregia cognitio ſuppetias ut ferat, neceſſe eſt. Itaq; ſtudioſi oratoriæ ad prædictum modum ſecundum locos amplificationis, & ſimplicis & figuratæ tam neceſſariæ quam non neceſſariæ connexionis locos communes Rhetoricos (ut jam dicitur) ſibi deſcribant in quos obſervata, reſervare, & conferre poſſit.

Poſt omnem periodorum connexionem vocabulorum connexio ante expoſita ſummo ſtudio notanda

notanda est. Vt etiam vocabulis optimè conjunctis in pronunciatione Euphonia aliqua audiatur, quæ si non adest gratiam artificiosæ periodorum cõnexionis omnem amittere solet, quæ in ornamentis verborum dicta sunt.

CAPUT XI.

De Formulis Generalioribus colligendis, præcepta continet.

POstquam omnia Instrumenta, ad Orationem componendam, formandam, ornandam, connectendam, monstraverimus: reliquum nunc est; ut tandem opifices hic quoq; imitemur. Ut enim illi propositis omnibus instrumentis, usuq; eorum monstrato, una cum materia formulam alicujus operis præponere solent (quam solent Eine Moddel vocare) ad quam & oculos, & ductum instrumentorum dirigant, ut lineam formulæ propositæ seqventes, ad modum artificis facilius opus suum fabricare possint: Ita Orator, postquam instrumenta omnia suis discipulis explicavit, tandem quoq; monstrare & proponere debet formulas artificum; ut ad eorum exemplum facilius instrumenta ad usum applicare, &, ductis quasi lineis, commodius Orationem componere possint.

Et quamvis difficile sit, certas omnium materiarum formulas præceptis includere, & propterea non nisi ab Erasmo in lib. de Verborum & Rerum copia, & Grammaticis, formulæ cum Phrasibus cõfuse propositæ sint: tamen si quis ingenium intendit potest quidam modus colligendarum formularum. partim

partim imitatorius, partim proprius ad præcepta amplificationum, in cap. 7. præscriptarum, astrictus, dari, quod omnes ex præcedentibus regulis & præceptis facilè intelligunt; ut hic opus non sit ordinem ex præcedentibus, partim, partim ex integra componendæ Orationis ratione monstrare.

Hoc agant autem studiosi Oratoriæ, ut in colligendis formulis, summo studio se non tantum occupent: verum eas quoq; sibi, quàm familiares reddant, & memoriæ infigant.

Mirificè enim facit ad Eloquentiam comparandam certos habere modos, & formulas, quas ad materias omnes applicemus, & quando usus postulat, mutatis subinde ex copia Verborum Phrasibus, sine ullo labore exprimere poßimus.

Non autem in eum finem omnium locorum formulæ colliguntur: ut, quando ejusmodi materia occurrit, transcribamus, & quasi infarciamus Orationibus nostris: sed ut formularum ad argumenta, & locos Confirmationis, & Amplificationis collectarum, usum convertamus ad judicium nostrum formandum; ut in materiïs tractandis, modum subinde variandi argumenta, tam quoad tractationem, quam affectus & connexionem cognoscamus, & artificiosè mutare poßimus. Ille enim finis verus est: ut videamus

quo-

quomodo Oratores hunc illumve locum tractave-rint; quomodo diverso loco diversis affectuum figuris usi; quomodo itidem, & quibus particulis, alijs membris connexuerint.

Notandum autem principio non ex omnibus Autoribus formulas sine discrimine, colligendas esse: sed ex optimis inter vetustiores, utpote Cicerone, Livio, Salustio, Cæsare, &c. Neotericorum autem formulæ, ad lapidem Lydium revocandæ, & probandæ, quomodo elegantiam veræ & Oratoriæ latinitatis sustineant. Cum enim Neotericorum Orationes stylum plerumque habeant, vel planè affectatum, vel luxuriantem nimis, vel mixtum cum Poëtarum genere dicendi, probè examinandæ sunt formulæ, ad artificium Ciceronianum.

Deinde inter formulas ratione materiæ delectum esse babendum, ne grande genus, cum mediocri, vel humili, confundamus, neve formulas ex Genere Iudiciali affectatas, deliberativo admisceamus, in quæstionibus finitis, in infinitis quæstiones ad cognitionem, & actionem directis, genere dicendi confundamus; unde stylus fit monstrosus. Nam sibi semper oratio respondere, & vocabulorum significatione, & figurarum affectu debet: quod, ut facilius animadverti posśit, formulæ simplices à figuratis, id est affectuum vehementiorum, quæ grande genus dicendi efficiunt, ut ante dictum est, discernantur.

Tertiò notandum, ad formulas explicandas, & colligendas pertinere, quod in præcedente ca-

ie capite de modo connectendi Orationem diximus: Ibi enim quasi manuductio ad formulas, sibi secundum locos amplificationis colligendas, monstrata est.

His præmissis, formulam nihil aliud dicimus, quam modum exprimendi argumenta confirmantia, amplificantia ornantia, & affectum moventia, in præceptis monstratam & indigitatam. Ex qua descriptione videmus, quomodo in locis communibus Rhetoricis formularum collectio institui debeat: nimirum secundum præcepta Rhetorica. Illæ enim præceptorum usum commonstrant, & ad præceptorum præscriptum accommodandæ sunt.

Dividimus autem formulas in Generales & Speciales: Generales formulæ sunt, quæ ad quamvis quæstionem tam infinitam, id est generalem, quam finitam sive specialem referri possint. Speciales quæ ad finitas quæstiones pertinent, & in tribus causarum Generibus considerantur, quæ sunt aut certæ alicuius partis, aut totius classis in ipsis generibus utpote petitionis, gratiarum actionis &c. quæ formulæ in quotidianis sermonibus occurrunt. De generalioribus itaq; prius in hoc tractatu; de specialioribus posterius in speciali praxi agemus.

Sunt autem formulæ generales, quæ simplicibus vocibus rei, sive argumenti proponendi modum monstrant, quæ fiunt per simplices connectendi

ctendi particulas: aut figuratæ, quæ fiunt per figuras affectuum, vel inhærentium, vel communicantium. Sunt autem figuratæ simplicibus admixtæ, & non nisi figuris additis sic dictæ & distinctæ.

Disponuntur itaque & colliguntur formulæ generales, secundum locos inventionis, quibus tractatur quæstio conjuncta infinita: qui loci sunt aut principales, aut minus principales.

Principales sunt Definitio, Partes, Caussa, Effectus.

Minus principales sunt Comparationes similia, pugnantia, testimonia, Exempla.

Primus itaq; formularum titulus sit in locis communibus. Definitio, sive Rhetorica descriptio: propterea quia fundamentum est naturam rei explicans, Quæ hic non intelligitur Logica, sed quævis prolixa, ex adjunctis & circumstantiis descriptio Rhetorica.

Quæ descriptiones sunt. vel rerum, vel personarum (actionum descriptiones sunt narrationes de quibus in Narratione.)

Rerum sunt aut corporearũ aut Incorporearũ.

Corporearum rerum descriptiones passim occurrunt in deliberationibus, quando de re agenda in loco aliquo orationem instituimus, & in genere Dem.

re Demonstrativo, quando laudamus, vel vituperamus, quarum rerum descriptiones sunt aut Oratoriæ aut Poeticæ, quæ utraq; in Oratorio studio notandæ. Formulæ autem ex re ipsa describendæ nascuntur: cum cognoscimus, qualisnam res sit, si præsertim unum atque alterum descriptionis exemplum in Orationibus observavimus.

Incorporearum rerum, quæ ad Rhetoricam pertinent, secundum virtutes & vitia, secundum diversa genera doctrinarum instituendæ, ut Melchior Iunius in Methodo Eeloquentiæ, & Crusius in sua Rhetorica, & alij talem locorum Communium Methodum proponunt. Cum autem nostrum propositum non sit, rerum modum & ordinem, sed formam verborum monstrare; Itaque descriptiones saltem consideramus hic, quatenus ex una rei alicujus descriptione, de altera judicium capere possimus.

Fiunt autem illæ descriptiones ex definitionibus Logicis rerum, quæ in Orationem veniunt; Si ijs additur periphrasis, & verborum prolixus circuitus per partes rerum, & effectus, deductus ut in hac formula. Si pro justicia, duo eam virtutem, quæ in honorum distributionibus, in præmiorum largitionibus, in negociationibus, omnium contractuum, emti-

onibus, venditionibus, mutuo, commodato, omnium conventionum, omnium promiſsionum quodcunque debetur, non vi, aut coactè; ſed ſua ſponte tribuit, quin etiam ad æquitatis lancem pœnas delictorum, ſine ullo reſpectu concernant, ſocietatem humanam conſervet, in eaque concordiam & amoris ſocialis vinculum foveat. *Sic alia res infinita, in Oratione pro cujuſvis judicio ad hanc faciem ſuis formulis deſcribitur, ut pro infinitis hæc unica formula ſufficiat. Si huic formulæ adduntur figuræ affectuum ſit figurata ut paulò ante dictum eſt.*

Perſonarum deſcriptio fit ſecundum varias circumſtantias adjunctorum alicujus perſonæ, puta generis, conditionis, ingenij, morum, fortunarum, quæ deſcriptio (ut & rerum,) vel ſimplex eſt ad laudationem, vel vituperationem directa, qualis eſt in genere Demonſtrativo, vel ad probationem ſimul relata, puta; in genere Iudiciali (vel etiam Deliberativo quando perſonæ alicuius conſilium probamus, ut eidem fidem & aſſenſum conciliemus;) ut quando Cicero deſcribit Roſcium á ſimplicitate, ab ingenio alieno ab aſtutia, unde convincat Roſcium non interfeciſſe patrem: *quam poſteriorem deſcri-*

descriptionem hinc intelligimus, &c. & ejusdem formas colligendas easdem sumendas esse præcipuas à proprietatibus ad rem potissimum facientibus, ut, quod de persona aliqua affirmamus vel negamus facilius obtinere possimus.

Tales descriptiones in citandis testimoniis & Exemplis locum habent, ut in loco testimoniorum, quædam diximus.

Et ad hunc modum formula simplex colligitur.

Figuratæ descriptiones fiunt potissimum per Interrogationem. Vt: Non hic talis vel talis est? nonne hisce moribus præditus? non hoc ingenio ornatus? non doctrina omnigena instructus erat? *Vel per Exclamationem, ut:* O virum pietate, moribus cultissimum!

Post descriptionis locum sequitur partitio, quæ & divisio & distributio dicitur: quæ est aut principalis aut minus principalis, illa ad docendum: hæc ad amplificandum directa.

Ad docendum fit partitio post propositionem Orationis; ubi illa pluribus constat partibus, cuius formulæ passim in Cicerone occurrunt; ut pro Pub. Quinctio: Ostendam primum causam non fuisse cur à Prætore postulares, ut bona P. Quinctij possideres.

Exempla sunt alia ubiq; in promptu, ut in Orat. pro Roscio in Divinat. in Verrem & alijs fermè omnib.

Notetur autem in hisce formulis, quod non fieri debeat per numeros ordinis, ut in præcedenti capite de Connexione diximus: quod in Cic. non occurrit, neq; in probitatis autoribus legitur.

Deinde quod Orationis partes, raro ultra tres, rarissimè quatuor, vel ultra esse debeant: Itaq; quantum potest Orator partes Orationis contrahat, præsertim Concionator. Tœdium enim adfert partium multitudo, & tale desiderium finis, ut non attendant auditores ad ipsam concionem. Si itaq; Concionator ad formam generis Didascalici concionem disponit, locos tractationis non nominet partes concionis. dicatque se de tot & tot partibus acturum: sed simpliciter se quæstionem tractaturum, hisque annectat formulas pollicitationis brevitatis, se breviter ea dicturum. Ad hunc locum itaq; pollicitationis, promissionis formulæ, quæ in Orationibus occurrunt, pertinent.

Cujus formulæ delineationem alijs corrigendam hanc præbebimus: *Si non meriti meæ Orationis, ab elegantiæ & eloquentiæ splendore erit; ut mihi dicenti aures attentas præbeatis (Vestræ tamen humanitatis & benevolentiæ esse non obscure video; si quid itaque consecutus fuero dicendo, non ingenio meo, sed vestro candori & benevolentiæ adscribam. erit; ut meis quibuscunque officijs in alijs promptus sim, & paratus, &c.*

Partitio-

Partitionis seu distinctionis modus in loco partium ita propositus est; ut quisq; nisi planè rudis intelligat. ubi & quomodo, & quando uti debeat partitionibus, seu, ut Erasmus inquit, distinctis specierum seu modorum enumerationibus.

Formulæ verò sunt tam variæ, & in omnibus fermè amplificationibus omnium Orationum, quæ scriptæ sunt, quæq; scribuntur, tam vulgares, ut face meridiem illustrare videatur, si quis formulas præscribat. In loco effectorum, tamen formula inseritur & in hoc loco 7. Cap. ex Erasmo perspicua est addita. Atq; in hanc faciem sunt simplices formulæ.

Solent tamen & ex hoc loco in Orationem venire formulæ figuratæ, sed tamen rarius, per interrogationem, rarissimè, per Apostrophen, per Exclamationē fermè nunquam, nisi una parte aut altera nominata, adjecta etiam tertia, quando nimirum in Desperatione res versatur, & deploratur omnium rerum status pessimus: utpote, quando calamitates publicas distinctè enarramus, & exaggeramus. Itaque judicium Oratoris esto, quando his formulis uti voluerit: domi habeo causas: cur formulam addere non voluerim.

Tertiò sequitur locus Causarum, in quo

formulæ distinguuntur secundum causas impulsivas, externas, sive internas. Instrumentales, Adjuvantes, secundum quam distinctionem formularum, collectio instituatur, secundum classes simplicis vel figuratæ formæ.

Formulæ horum locorum tam sunt variæ, quam cujusq; ingenium varium est & multiplex, ut vix aliqua formula posit dari: modus autem unus atq; alter, hic sit simplex & figuratus.

Si propositionis alicujus causam efficientem, vel impulsivam proponimus, simplicis quidem cujus rei causam, si quærimus, nulla alia est, quam hoc vel illud, quam si paulo attentius intueamur, digna sanè est quæ nobis rem quam commendatissimam reddat; ut magnifaciamus; cõmoveat ut faciamus. *Item.* Non est hoc aliunde perfectum, nisi ex hac causa. *Item.* Nullius svasu, nullius impulsu alio hoc vel illud fecit. *Item* (*Addita gradatione*) Si hæc vobis satis magna non sint, perpendite quæso hujus rei causam, & originem, & tum demum judicabitis, quam necessaria, quam magna sit.

Figuratio vel per Interrogationẽ, vel per Apostrophẽ vel per Exclamationẽ (quod tamen rarius)

Vt:

Vt: Quis hui9 rei causam nescit? quis ignorat, unde profecta quis non cognovit? Cujus impulsu, cuj9 svasu res facta sit; vel: perpendite, auditores, ad vos enim pertinent, hujus rei causas æstimate suis rem momētis: *sic quoq; de similibus formulis judicandum.*

Quartus locus est Effectorum in Oratione amplificanda elegantissimus, & efficacissimus: proinde formulæ probè notandæ, & diligenter colligendæ. In hoc loco autem effectorum formulæ vel sunt prolixæ, vel stricta. Prolixa sunt, quibus effecta, (puta diversa argumenta constituentia) ordine recensentur, amplificantur, & exaggerantur alijs locis, & figuris amplificationum adhibitis, ut in Exaggeratione modus est monstratus, & in fine capitis 14. dicetur: Vt: Ne putetis Auditores, hanc rem, vel causam nihil utilitatis ad vos allaturam, multa imò plurima sunt, quæ non tantum vobis profutura, sed etiam toti Reipub. emolumento summo sunt futura.

Nam initio non parum adjumenti adfert huic rei: Deinde ad confirmandam pertinet, &c. Adhæc summam addit utilitatem. *Et sic consequenter utilitates, & effectus alicujus rei proponuntur, per particulas connexio-*

nexionum, in præcedenti capite, in loco distributionis, seu partitionis expositas.

Item: quis est vestrum, auditores, qui, si hujus rei cum præstantia summam utilitatem videt, & cognoscit, non admiretur, non ambabus quod dicitur manibus amplectatur & osculetur? Nam profecto nō minimum est quod præstat, &c. Ad hoc accedit, &c. neq; hoc solum, quin majora inde eveniunt.

In quibus singulis formulæ infinitæ sunt varietatis, & in omnibus Orationibus obviæ. Strictæ sunt formulæ, quæ sine amplificatione effectus recēsent (puta, vel in uno Argumento, vel pluribus, quæ tamen ad unum breviter revocantur) per distinctam specierum enumerationē, per particulas, hinc, inde, ex, eo, ut: quis putat discordiam non in maximo damno esse, hinc seditiones; hinc conjurationes; hinc bella, hinc cædes; hinc totius Reipub. interitus.

Similes hujus loci formulæ sæpe occurrunt, quæ tamen, cum animum maximè moveant, frequentes in una Oratione esse non debent, ne nauseam creent.

Notandum hic, quod & contrarii effectus huc pertineant, & eodem modo, iis deniq; formulis ponantur, tum nimirum, quando huic amplificationum

tionum loco à contrario dilatationem subijcimus: ut contrariorum locus docet. Habet hæc amplificatio & formulæ locum in quæstionibus infinitis in argumentis, ab utili ductis, ad quæ potissimum referendus.

Quintus locus colligendarum formularum est Comparatio, in quem omnis generis Comparationis vel proprias, vel collationes similitudines conferimus, ad modum in loco Comparationis explicatum, quæ cum sæpissimè in Orationibus occurrant, ex ijs exempla imitationis haurire, & comparandi modos omnes, ex formulis collectis, intelligere possumus.

Cum autem supra cap. 7. hic locus distinctè & perspicue sit explicatus, additæq; declarationis gratia formulæ, facilè studiosi Oratoriæ, ad illius modum locos distinguere poterunt. Vt primò ponant comparationes veras, secundò quantitatem majoris ad minus, quæ consistunt secundum Logicorum regulam in negatione.

Si id non inest, quod magis inesse videtur, nec illud inerit, quod minus inesse videtur.

Cujus formulæ sumuntur, è quibuscunq; rebus, vel personis, idq; vel simpliciter vel cum conditione, ut supra expositum.

Formulæ sunt: tantã rem, tam arduam, non Imperator, non Rex suscipere & perficere potest,

potest, quid nos suscipiamus? quid perficiamus? *Item:* Si non summus Orator hanc rem dignis laudum encomijs satis prædicare potest; quid nos possimus? *Itē:* Si Deus ter opt: max: ob peccata, contra mandatū suum perpetrata, diluvio totum genus humanum, paucis ex singulari sua misericordia exceptis, delevit, & miserrimè perdidit; quidni & hanc regionē, hunc populum, quem sibi non peculiarem fecit: sed mera misericordia ex alienigenis ascivit, multò magis puniet?

Hæc amplificatio Comparationis locum habet in quæstionibus infinitis in dehortationibus.

1. In loco honesti, ubi argumēta deducimus à mādatis divinis, eadēq; cum humanis cōparamus.

Cujus formula generalis sit: Si nullus in civitate aliqua, vel in imperio, vel quacunq; etiam societate magistratui subjectus, illius leges sine pœnis maximis trāsgredi potest, qui bona & fortunas vitāq; hanc vim & in corpus potestatē habeat? Multo minus DEI Deorum mādata ullus hominū, cujuscūq; conditionis sit, sine pœnis exquisitissimis cōtemnere & negligere potest. Qui non tātam, in hæc nostra bona & fortunas corpusq; vim & potestatē habet, sed

etiam animam perdere & æternis nos pœnis afficere potest. *Sic, si quis ulterius amplificare vult formulas cõparationis bonorum & vitæ hujus cum bonis & vita æterna instituat, quod ex præcedentibus facilimum est.*

II. Vbi in eodem loco ex natura cõmuni, seu brutorum argumentamur, eandemq; cum humana ratione comparamus.

Formula generalis sit: Si hoc vel illud bruta animalia non agunt, solius naturæ ductu avocata, quid homines agant, imo brutis multo sunt deteriores, qui quod ratione à DEO præditi intelligant faciendum non esse, faciunt, quod bruta animalia, solius naturæ ductu, non faciunt.

Habetq; hæc formula in omnibus illis locum, quorum semina in brutis animalibus cernimus.

In quæstionibus finitis habet locum in genere Deliberativo; ubi de facultate agimus vel difficultate quando dissvademus, quo priores formulæ pertinent. Huc revocandum quod in Capite 7. diximus, comparationem esse universalium & particularium: in quæstionibus infinitis horum Comparationibus utimur,

Deinde minoris ad majus, idq; secundum Logicorum axioma, affirmativè si inest, quod minus inesse videtur, multò magis id inest quod magis inesse videtur: Vt: Videmus hoc facere

cere infimæ ſortis homines, quidni & reges hoc faciunt.

Hæc Amplificatio habet locum.

I. In quæſtionibus infinitis in adhortationibus ubi ad aliquid faciendum adhortamur. Sunt itaq; contrario ſenſu addendæ formulæ: *ut*: Si humanis legibus non invitè obedientiam præſtamus; Quis non DEO Deorum obedientiam præſtaret? Si hoc faciunt bruta animalia, quidni homo faceret?

II. In quæſtionibus finitis ad genus Deliberativum, in ſvaſionibus locum habet.

Tertiò addant collationes per ſimilitudines, quarum formulas infinitas habemus in multis libellis, ſimilium, utpote, Drudæi, Lycoſthenis, Lipſij ſecundum materiarum diverſarum diſpoſitionum collocatas, Magis autem inhærent, quas ipſimet legimus, & ex Orationibus depromimus Proinde in lectione Oratorum ad ſimilitudines attendere ſtudioſi Oratoriæ, easq; ad ſedes materiarum colligere debent.

Sextus locus colligendarum formularum eſt ex oppoſitis, qui locus, ex illis, quæ antea dicta ſunt, in loco oppoſitorum, facilis eſt, ſi eundem diſtingvimus, ad modum, unde oppoſita, ſeu objectiones oriantur. ut primo ponamus oppoſita ex re de qua verba facimus. 2. De circumſtantia rei ex quo

ex qua objectio moveri poßit. 3. Ex persona de qua verba fiunt. 4. Ex persona dicentis. Quæ formulæ cum ex rebus ipsis nascantur, & intelligantur ex superioribus, hic breviores sumus, illud saltem addendum, quod hic locus ut plurimi usus sit apud Oratores, in Exordijs proinde Oratoriæ studiosi formulas diligenter notabunt, quæ ad hanc formam in Exordijs occurrunt: ut sunt occultæ apud Ciceronem. Hujus loci formulæ infinitæ fermè sunt varietatis, & observatu faciliores, quam ut hic aliquid addamus. Potest tamen conjectura ex particulis connectendi in præcedenti capite positis de formulis fieri: quin imò in figuris sententiarum, ex hoc loco depromtarum in 8. cap. de ratione variandi formulas sufficientia habentur indicia.

Septimus locus est pugnantium sive Contrariorum, quando rem contrario sive pugnanti illustramus: Contraria enim juxta se posita cum maximè illucescunt, illucescit etiam, & maximè movet Oratio Auditores. Fitque ejus Amplificatio, & Exaggeratio formulis admodum effectorum: Vel enim contraria prolixè amplificando, exaggeramus, vel quod frequentius strictè enarramus.

Si stri-

Si strictè, fit illud; aut per rejectionem boni vel utilis etiam, & honesti positione, probatione, exaggeratione præmissa reijcimus malum: ut: si de pace agimus commendatione præmissâ. Contraria effectorum belli reijcimus, ut: Non hic arma, non hic clangor tubarum; non hic exercitus, non hic cœdes, sed omnia pacata, omnia quieta; *&c; Item:* major est hujus rei præstantia & utilitas; quam ut ullum incommodum; ulla calamitas pervertere possit. *Quæ rejectio elegantem locum habet in genere Demonstrativo; quando laudum non ampla materia subest, cum contraria vitia reijcimus; ut:* non fuit hic avarus; non fuit prodigus: non fuit temulentus: non fuit scortator, *&c. inde tamen non sequitur, quod contrarijs virtutibus maximè fuerit præditus, dummodo non apertè horum vitiorum quæ reijcimus ignominia notatus. Quamvis aliquando varietatis gratia tantum hac formula utamur. Si quis prolixas formulas in hoc loco colligere velit, ex modo tractandi contraria in 7. Cap. proposito indicium capiat; ut in Oratoribus formulas observet. Pertinent autem ad locum honesti, & utilis in quæstionib: infinitis, ut si de alicujus rei præstantia & honestate & utilitate verba facio. Contraria*

quoque argumenta ad evincendam maiorem utilitatem exaggero E. g. Tanta contra huius vel illius rei turpitudo, tanta damna in de sequuntur. *Quæ formulæ iisdem si oppositæ sunt figuris, quo alterum contrariorum proponitur ferme exornantur; nisi Iudicium Oratoris muta & velit.*

Aut contrarij positione aut Exaggeratione ut alterius contrarij quod probamus major vis appareat, ut si de Iustitia verba facimus, si exaggerare ejusdem vitia possumus: Si contraria justitiæ enumeramus, ut, Quantum sit injustitiæ vitium sentit Respub. eadem premitur, sentiunt homines incauti, qui in judicijs, cõtractibus opprimuntur, & honore bonis, imo vita aliquando iniquissimè puniãtur.

Vt deniq. contrariorum comparationem, ut quantum ex hac re commodi, tantum ex illa vel plus incommodi metuendum.

Octavus locus Antecedentium & Consequentium locus est, in quæstionibus infinitis, & non nisi quando specialia exempla cum suis circumstantiis inserimus: ubi res ipsa formulam suppeditabit, & judicium & artificium Oratoris figuras aliaque ornamenta addit. Proinde hunc locum ad specialem praxin remittimus.

Adjunctorum locus videatur in 7. cap. ubi qui formulas fingere & colligere voluerit, modum inveniet, quo ductus, & doctus hanc amplificationem in Orationum lectione facilè observabit.

Nonus locus continet testimoniorum allegandoru formulas, quas habet Erasmus lib. 1. de copia verborum & rerum cap. 66. & nos ratione cōnexionis in praecedenti capite, de quibus hoc loco notandum: quod sint aut formulæ simplices aut figuratæ, utræq; diversissimæ secundum varia testimoniorum genera.

In divinis testimoniis allegandis his formulis utor pro ratione diversi judicij in oratione adhibendi. Sic DEUS ter opt. max. inquit: Audite auditores, vocem DEI omnipotentis. Attendite testimonio divino: Sin vobis hæc oratio dubia est fidem á summa veritate accipite. *In humanis sive occultis sive manifestis iisdem fermè vel aliis formulis utor. In occultis,* Tua cōscientia, quæ mille testis est, hæc tibi dictitat: tuam conscientiam appello: in teipsum quæso descendas & consciētiam tuam consulas, invenies, invenies testem certissimum. Quid ne tu hæc negare audes, quem propriæ conscientiæ testimonium convincit, illudque crebra vultus mutatione prodit.

In mani-

In manifestis: Non ego, non alij fide dignissimi, quorum tu fidem neq; negare, neque ullis argumentis, neque ullo colore vel infringere, vel in dubium reddere potes: sed & omnes testimonium perhibebunt. *Similes formulæ sub titulis in testimoniorum divisione positis ex orationibus colligentur.*

Decimus locus colligendarum formularum sumitur ab exemplis, quorum modus patet ex loco Exemplorum perspicuè explicato, cum ubiq; fermè formulæ additæ sunt.

Qui itaque studiosus Oratoriæ est, & reipsa esse vult ad modum prædictum, & in singulis locis dispositum ex Orationibus Ciceronis præsertim & aliorum formulas sibi colligat. Quamvis enim faciles sint, & videantur exempla formularum, nec quisquam tantæ stupiditatis sit, ut formulam rei exprimendæ fingere non poßit: tamen non minus artificium est, & judicium requiritur: ut in eadem re subinde formulas mutare poßimus, quod non aliunde nisi exemplis Oratorum, crebra lectione observatis, cognoscitur.

Atque hæc de formulis generalibus sub suis locis colligendis dicta sufficiant, cum nimis prolixum foret, & plus laboris, quam artificij & ingenij exposceret, opusque in immensum excresceret

omnibus locis ex Oratoribus formulas transcriptas addere.

Formulæ speciales sunt & dicuntur, quæ in quæstionibus specialibus, id est finitis, ad genera causarum pertinentes locum habent, suntq́ue vel multorum argumentorum, vel partium Orationis, aut unius argumenti. Idq́ue vel totius, vel partis. Multorum argumentorum, sunt totius Oratiunculæ, puta, petitionis, gratiarum actionis: cõmendationis, insinuationis. Idq́ue aut in propositione aut responsione. Quarum formularum copia se instruere solent, ij, qui in aulis principum vel rebus publicis Oratores agunt; & sine præmeditatione Orationes habere coguntur, faciuntq́ue ad facundiam extemporalem, quam ita vocamus, acquirendam. De quibus in praxi speciali, partis tertiæ introductionis agemus. Partium Orationis, sunt formulæ aut exordij; aut propositionis, divisionis, &c. quando in ijs partibus certos & generales modos nobis fingimus, quos omnibus materijs possimus applicare, quarum formularum modus ex præcedentibus partim occurrit, cum ijsdem modis amplificandi utamur partibus; partim in ipsis partibus præscriptæ sunt. Totius argumenti sunt in generibus causarum, ubi argumenta ducuntur ab honesto, aut ab utili,

aut facili, in quibus certas formulas sibi conscribere potest studiosus Oratoriæ, quod ad genera causarum referendum est.

Formulæ partium argumenti sunt quibus in argumentis modum & affectum aliquem exprimemus, ubi sunt, precandi, dubitandi, ornandi, incertitudinis, quas formulas Erasmus in elegantissimo suo de copia rerum & verborum libro à capite 61. usque ad finem libri plus quam prolixè sed confuse explicat. De quibus notandum quod cum Phrasibus confundantur, ejusque copia ex Grammaticis exercitiis, & proprietatibus latinæ linguæ discatur, & cognoscatur: unde Apherdianus phrases suas formulas nominat. Ad hunc modum plurimi extant variorum authorum libelli phrasium: optimus autem est pro pueris Vlnerus, pro adultioribus Manutius, quod Ciceronem potissimum sequatur.

De Phrasibus autem notandum, quod magis conducat, ut ipse sibi librum variarum formularum, diversas res eleganter exprimendi memoriæ infigat, ex qua sine cura copiam verborum depromere possit: præcipuè verò volvendus & assidua lectione revolvendus est Cicero: ut ad illius genus dicendi stylum nostrum conformemus. Vnde fit ut stylus noster uniformis reddatur, ut æquabile genus dicendi habeamus. Sin vero in stylo non firmati simus, alios etiam Authores addere possumus, qui hinc in-

de orationem nostram ornent. De quibus supra locis proprijs egimus, & ad Grammaticam pertinent.

Ideoque ut in praxi Rhetorica prolixi simus opera precium non est, Studiosi Orat: legant & cognoscant ipsum Erasmum; qui in omnium manibus versari debet.

Atque hactenus de ipsis instrumentis amplificantibus, ornantibus, moventibus, & connectentibus orationem: modis generalibus, quibus instrumenta applicare debeamus.

Nunc sequitur qua parte: quo ordine in qua materia instrumenta singula adhibeamus, & quomodo orationem in quæstione generali infinita tam simplici quam conjuncta formemus.



CAPUT XII.

De Exordio.

Tabula summam Capitis XII. de Exordio exhibens.

In Exordio constituendo considerantur

- Quando utendum
  - Ubi auditorum ratio fert.
  - Ubi res ipsa indiget.
- Quo utēdum, quod nō sit
  - vulgare
    - Inventione.
    - Imitatione.
  - Quod habeat
    - Quantitatē quæ respicit
      - Totum: Ne sit nimis prolixum, sed octavæ circiter parti respondeat.
      - Membra: Ut sibi in amplificationis modo respōdeant.
    - Qualitatē, quæ vult ut
      - Stylus sit æquabilis,
      - Non sit affectatus,
      - Non ornatus grandi genere dicendi.
- Quomodo inveniendum nimirum distinctione quæstionum
  - Finitarum
    - Harū invētio exordiorū in Cicerone & Quintiliano exposita, ad praxin specialē reservāda.
      - Simpliciter quando generalē sentētiam applico nostro proposito.
      - Per chriam, cujus tractationem tandem applico.
  - Infinitarū, in quib9 ducturur vel a
    - Thesi, quæ extrinseca vocantur, idq; ratione
      - Rei generalis sententię idq;
      - Circūstantiæ
        - personarū
        - Loci
        - tēporis
          - ubi dicim9 multa alia hoc tēpore dicenda, hoc tamen nos proposuerim9.
    - Hypothesi, quæ intrinseca dicuntur, idq; ratione quoq;
      - Rei, quæ est ipsa Orationis propositio.
      - Circūstātiæ, quæ illam orationem exposcat.
- Quomodo disponātur, dispositio cōsistit in
  - partib9 quæ sunt
    - cōstituentes
      - Propositio
      - Ratio (tio
      - Amplificatio
      - Conceusio.
    - ornātes figuræ potissimū ꝑpositonē
      - ἀπορία, dubitatio.
      - ἀπροσδόκητον, inopi. (natū.
      - εὐχὴ, votū.
      - ἀποστροφὴ, aversio.
  - officio, quod consistit in comparatione
    - Benevolentiæ
    - Attentionis
    - Docilitatis.

VT initio magnam Rhetorices cum Mechanicis artibus convenientiam diximus. Ita quantum per utriusque naturam poterimus, eandem monstrabimus; ut eo melius Oratoriæ studiosi, sub crasso exemplo, intelligere possint, quo ductu Orationem componere debeant.

Postquam itaque opifices omnia instrumenta explicarunt, & discipulis suis usum eorundem monstrarunt, antequam materiam manibus & Instrumentis submiitant, præmonstrant quibus partibus opus constare debeat, quas explicant ordine, donec omnibus monstratis totum opus aggrediantur, & conficiant: Sic nos monstratis omnibus instrumentis & generali applicandi modo, partes Orationis, à certa materia abstractas, explicabimus, quæ sit singularum partium materia, necessitas, Dispositio, Amplificatio, quæ virtutes, quæ vitia monstraturi. Illarum inquam partium quæ ad hanc generalem partem pertinent, & omnibus materijs, ad Rhetoricam spectantibus, communes sunt, ut sint Exordium & Conclusio; reliquas sigillatim explicaturi, in speciali praxi quo pertinent, Narratio scilicet, Confirmatio, & Confutatio, hic autem agemus de illis in 14. cap. quatenus inserviunt in modum diversum, (cognatum tamen) infinitis quæstionibus.

Ut autem opifices operi aliquid vel tanquam vestibulum, vel aliud, ornatus gratia addere solent, quod opus splendidum in frontispicio reddat, & applausores, & emptores, eo facilius, inveniat: Sic Oratores, operi Orationis præmittere solent vestibulum, quod nominant à loco Exordium, à concentu, quem cum Oratione habere debent, Proemium, cujus nos explicationem hoc capite promittimus.

Officium itaq; & causa præmissi Exordij est, ut præparet animos auditorum, & quasi in vestibulo faventes sibi, & benevolos reddat: quo

Oratio

Oratio futura gratior sit, & ad cognoscendum acceptior. Inde videmus quod Exordium ad ingenium & animum auditorum compositum esse debeat usq; adeò: ut Orator in principio totum se & forma, & stylo, & gestibus, auditoribus accomodet; ne in ipso limine impingat: hoc est, obsit potius quam prosit sibi statim in principio.

Proinde in id intentus sit, ut videat quando & quomodo Exordio uti debeat in Oratione.

Non semper Exordio utimur, idq; vel ratione rei, vel ratione personarum.

Non utimur Exordio, quando res vel notissimæ vel commendatissimæ sunt, adeò, ut auditores rem ipsam potius desiderent, quam Exordium, non secus, cui ædes sunt acceptissimæ, odiosum est, ut vel aspiciat, vel penetret vestibulum: quin ipsas involet ædes: ut desiderium explere possit; quamvis rarissimum sit, & ob hanc causam non nisi singulari judicio Exordium omitti possit. Ratione personarum, non utimur quando personæ sunt occupatæ, & alijs negotijs obrutæ, vel diu Orationi nostræ vacare non possunt: vel quando ob alias circumstantias, puta, temporis, excluduntur, quo minus longa proœmia admittant. Quando ejusmodi causæ non subsunt: sed auditores per negotia operam audiendi, nobis largiri possint,

tum rem non usq; adeò notam & commendatam Exordio explicamus, vel commendamus. Et sic obliquo (ut vocatur à Rhetoribus Exordio insinuamus. Hoc tamen observandum quod orationes ita plerumque compositæ sint, ut Exordia utraque rationem admittant. Epistolæ verò sæpissimè eadem respuant, quod tamen judicio scribentis plerumque subjacet. In adhibendo autem Exordio cum ab Auditoribus pendere debeat, facilius judicium à personis audientibus quam re petitur.

Proxima huic cura est, ut videamus quo utendum sit Exordio in quo plurimi laborant, vel diligentiæ, vel ingenij, vel exercitationis vitio, ut præter vulgata, communia, omnibusq; nota Exordia, non inquirant, neque ultra cogitationes, & inventiones aliorum Oratorum, quos imitantur ascendant: verum illi minus laudis, minusve gratiæ in principio Orationis, reportant, quam qui singularia ab ingenio vulgi remota, aliisq; materiis inconvenientia, atque adeò insperata suis orationibus præmittunt Exordia. Vt enim opifices laudem & admirationem merentur, qui, licet domum aliquam, ad communem formam ædificarunt, vestibulum tamen inusitatum, & in singularem elegantiam exstruxerunt, ex quo

ex quo tota ædes splendorem & lucem capiunt : sic qui Exordia singularis inventionis præmittunt, adeo animos auditorum occupant : ut omnis Oratio inde gratiam & favorem participet.

Proinde notandum in Inventione Exordiorum : ne cogitationibus, & speculationibus nostris, vulgata Oratorum Exordia, & his similia persequamur, eorumque imitationi insistamus.

Quamvis elegans & commoda imitatio laudem suam habeat ; præsertim si sit Ciceroniana : tamen in Inventione Exordij gratiam omnem amittit : si nota sint auditoribus Exordia, quæ vel à sua, vel judicis, vel rei persona vel loco, vel re ipsa plerumque præmittit, quæque licet sint elegantissima : imitatione Oratorum tamen adeò vulgaria, ut non nisi in Cicerone laudem habeant, in cæteris, nimis sint trita.

Constat enim quo quid notius, & vulgatum magis, eo esse vilius & minus gratum.

Deinde non minor cura sit Oratorum in quantitate & qualitate Exordiorum. Quantitas respicit vel totum Exordium, vel membra ejusdem. Totum ne sit nimis prolixum, neve caput majus sit suo corpore : sed octava circiter parti Orationis respondeat. Membra, seu partes ut inter se sint æqua-

æquales prolixitate, & brevitate; ne una sit amplificata nimis, altera nimis stricta. Qualitas vult ut stylus sit æqualis, non affectatus, non ornatus grandi genere dicendi, non figuris affectuum acrioribus, quales sint Exclamationes, Apostrophe, Interrogationes, ornatus. Pronunciatio sit modesta, paulatim se attollens, gestus & motus corporis rariores. Omne enim elatum, omne fastuosum, tam in sermone, quam gestibus, bonos & prudentes offendit, quod ut semper ab Oratore alienum; ita in Exordijs alienissimum esse debet.

Tertio demum, quomodo Exordia invenire, quomodo disponere debeat Oratoriæ studiosus cura anxia subit, quæ nostri instituti principalis pars est: Cætera in Rhetorum libellis sunt vulgata.

Principio in inveniendis Exordijs animadvertendum quod Eloquentiæ usus nostro seculo multo sit amplior, quam apud Græcos, vel Romanos. Apud hos enim habebat locum tantum in foro: neque enim scio an Sacerdotes apud Romanos forma concionandi usi sunt. Apud nos verò in Ecclesia & scholis ejus usus est longè amplissimus. Vnde de Inveniendis Exordijs magis curandum ut in tanta materiarum amplitudine major sit Exordiorum copia.

Hoc mo-

Hoc modo autem investigamus Exordia, ut distinguamus quæstiones finitas ab infinitis. De finitis quæstionibus non est: ut operosè laboremus in Inventione Exordiorum: siquidem à Cicerone multis in locis explicata est lib 1. ad Heren. lib. 1. de Inventione. lib. 2. de Oratore. In partitionibus Oratorijs, & omnium optimè à Quint. lib. 4. Orat. Institut. cap 1. *unde varij modi inveniendi Exordia, in quæstionibus finitis peti possunt facilius, quàm ut librum nostrum ijs transscribendis oneremus. De quibus tamen in praxi speciali quædam monebimus. De Infinitis hic quæstionibus nobis sermo: in quibus quomodo Exordia inveniantur, disponantur breviter praxin notabimus.*

Initio itaq; revocandum, quod jam diximus, Exordia non debere esse peregrina, non vulgaria quæ alijs materijs eadem ratione applicari possunt: sed vel propria ex visceribus quæstionis petita, quæ solent à Rhetoribus intrinseca dici, vel ita communia, ut quæstioni nostræ convenientia, vix alijs aptari possint, quæ solent nominari extrinseca. Sunt autem ex his illa Exordia extrinseca, quæ à generalibus ducuntur, & ad speciem nostræ quæstionis applicantur. Intrinseca quæ in specie sive Hypothesi materiæ nobis propositæ consistunt.

Ex quo

Ex quo apparet, quod omne Exordium, cuiuscunque quæstionis ducatur, vel à Thesi vel Hypothesi. Et hoc utrumque vel ratione rei, vel ratione circumstantiarum, quod primo in Thesi, deinde in Hypothesi explicabimus.

In Thesi fit, si generalem aliquam sententiam materiæ Orationis nostræ convenientem præmittimus, & ad Hypothesin Orationis nostræ applicamus.

Id fit dupliciter, vel si simpliciter Thesin ad dictum, sive Propositionem Orationis nostræ applicamus, ut: Quod in hoc vel illo dicto, ab hoc vel illo dicitur: id in hac nostra oratione continetur, quod in concionibus crebrò fieri solet, dum textum sibi propositum habent quem explicent.

Vel quando χρείαν tractamus in Exordio, id est, sententiam illam generalem, explicamus rationemque addimus generalem sententiæ, & deinde commode applicamus, ad speciem, ut: *Non incommodè ille vel ille inquit (hic addendum dictum) quo aureo dicto hoc vel illud denotat (ibi addenda explicatio) etenim necessitas maxima requirit, vel utilitas: ut hoc vel illud agamus, hic breviter ratio addatur, cui hoc modo applicatio subjungatur. Quare hac illave causa motus verba facio.*

Ratione circumstantiarum fit, ubi Exordia ducimus à tempore, loco, personis, &c. ubi generaliter

raliter dicimus, hoc tempore multa alia & majora tractanda, & in cathedram producenda esse, quod tamen nos hanc illamve materiam tractandam sumpserimus. Duciturque hæc Exordij ratio ab Occupatione, exemplum sit de tempore. Quamvis hoc tempore non tantum nos, sed & tota Ecclesia, ad omnem pietatem composita esse debeat: tamen præcipue huic tempori convenit ut hæc vel illa beneficia nobis exhibita consideremus: Etenim infinita DEUS nobis præstitit (hic ratio addatur & applicatio ad specialem propositionem) tamen de hoc tantum beneficio verba sum facturus.

De Generali exordiorum inventione notandum quod ratione rei & circumstantiarum maxime conveniat concionatoribus, quibus incumbit unicè: ut summo studio hac ratione subinde in suis concionibus mutent exordia. In Evangeliis quidem ordinarijs sæpissimè vel à χρείᾳ vel ab historia ipsa exordia ducuntur. In festis verò diebus à circumstantia temporis subinde peti debent, ea tamen ratione ut non eandem exordiorum inventionem retineant, quod statim in principio præsertim doctos auditores offendit, & si plus operæ & studij in conciones suas impendere non velint, ut totas mutent: exordia tamen mutare necesse est, ne desides planè vel rudes habeantur.

Deinde

Deinde locum quoq; habent hæc Exordia in scholis: à χρεία quidem: ubi in quæstionibus infinitis eam tractamus, quæ in cognitione versatur, quale sit, utpote in laude alicujus virtutis. E. G. Si dicimus omnem virtutem laudem maximam mereri, tum hanc potissimam, proinde dignam de qua verba fiunt.

A circumstantiis exordia ducere possumus in quæstionibus infinitis, cujus finis est actio, puta in adhortatoria Oratione, ut cum hoc tempore periculosissimo, ad omnes virtutes colendas compositi esse debemus, tum præcipuè ad pietatem colendam, proinde de ea Orationem instituam.

Tertiò notandum quod hæc Exordia à Thesi ducta obliqua vocentur, à Rhetoribus, eo quod non recta incedamus ad propositum nostrum, sed quasi per obliquum insinuemus nos futuramq; Orationem nostram gratam reddamus auditoribus.

In hypothesi ratione rei ducantur, exordia ab ipsa Orationis propositæ propositione, si dicamus nos de hac illave materia verba facturos esse.

Vbi notandum quod soleat statim propositio rationi includi tum, quando longo exordio opus non est, ut, quod in hanc cathedram conscenderim, de hac illave re verba facturus, multæ sunt causæ (his subjungatur ratio) Etenim non parum me movit. &c.

Ratione

Ratione circumstantiarum ducuntur Exordia vel à tempore quæ hanc illamve orationem exposcant, à loco qui hanc materiam sibi vendicat, vel ab Auditoribus (ubi magnam gratiam addit; si figuratum sit Exordium, sive hypothesis ab aliquo affectu vel læticiæ, vel trisiitiæ.) *Solet etiam Exordium ab Hypothesi peti, ab eventu aliquo insperato, qui causa existere potuit, ut vel diceremus, vel dicendi provinciam abijceremus; vel non ita faceremus: ut:* Si Princeps, si Rex, si aliqua alia illustris persona, interveniat, vel res alia quæcunque insperata intercedat, à qua Exordij initium petamus, & si rebus lætis, de quibus Oratio habenda obveniat, tristissimum aliquod nuncium, quod calamitates nobis indicaret, vel contra quod certè insperatum ut est, ita admiratione dignum.

Et hic est modus inveniendi Exordia, in quo Orator maximè periclitetur ingenium ut arguta & artificiosa loco, tempori, auditoribus & rei cõvenientia Exordia fingat.

Proximum nunc est, ut de dispositione & Amplificatione Exordij sollicitus sit Oratoriæ studiosus.

Id fit, si partes, earumq́ collationem considéramus, & finem perpendimus.

Sunt autem partes Exordij Propositio, Ratio, Amplificatio, & Conclusio. His inclusus est Exordij finis, qui est Comparatio, benevolentiæ attentionis & docilitatis.

De Propositione Exordij jam dictum: sequitur Ratio (illa in hypothesi, jam est eiq́ additur) quæ ducitur à necessitate, à præstantia, dignitate & utilitate, quæ ut sciamus quomodo subjungatur, vel præmittatur, propositioni ad præscriptum cap. 6. superius explicati conficiendus Syllogismus, vel Enthymema ex propositione illa medio termino, ex Oratione jam dicta sumpto: Vt: Quodcunque est necassarium, utilè, &c. quodcunque tempus, locus, &c. flagitat: de hoc verba facienda sunt, sed hoc vel illud necessarium, utile. Ergò (Enthymema hic est frequentius.)

Deinde video quem terminum præmitere debeam an conclusionem, vel minorem, vel majorem, huic addo statim ipsos prosyllogismos, id est, confirmationem rationis: vel unam, vel plures, (rarò autem plures ne excrescat Exordium.)

Post hanc Dispositionem de Amplificatione rationis sollicitus sum.

Amplificatio autem rationis stricta esse & simplex debet.

Stricta quidem, ut propositio sive conclusio istius Syllogismi breviter proponatur: ratio non amplificatur, nisi in explicatione & expolitione verborum elegantiorum. Comprobationes itidem à causa impulsiva, & finali petitæ, non sint prolixæ, sed breves, proinde loci amplificationis à testimonio, ab exemplo, item comparatione, contrariis, partium enumeratione, &c. locum non habet; nisi quando materia aliud à Iudicio Oratoris flagitaverit.

Simplex, ut non sit figurata, & multis figuris affectuum, præsertim vehementiorum, unde grande genus dicendi efficitur, & affectatio apparet: sed elegans, verbis elegantioribus adornata, ut de hac virtute Exordij jam dictum est.

Vt autem sciamus quomodo ex præcedentibus Exordium ornare debeamus:

Primò, considerāda propositio orationis, an lenes, vel vehementiores affectus requirat,

id quod perspicitur in quæstionibus infinitis à causa suscipiendæ Orationis in quæstionibus finitis ex generibus causarum.

Deinde consideret, diligenter Oratoriæ studiosus quomodo ex prædictis locis cap 7. amplicationem sumere debeat, eamq; adhibeat.

Tertio ut Exordium ornet, inspiciat cap. 8. quas figuras ille locus habeat; ut easdem cum judicio adhibeat.

Quartò, materiam deinceps consideret, an affectus læticiæ vel tristitiæ requirat, & an illa affectus leniores vel vehementiores exposcat. tum caput 9 perlegat, ubi figuras ratione materiæ, & ratione formæ affectuum inveniet; ex quibus in 10. Capite formulas connectendi facilè cognoscet.

Cum verò diximus Exordio affectum aliquem junctum esse debere, notandæ sunt figuræ, quas Rhetores Exordio attribuerunt, & plerumque propositioni.

1. *Est* ἀπορία, *Dubitatio, si dubitamus, an verba facere debeamus, quæ vel in principio, vel amplificatione fieri debet: ut*, in Orat. pro Rullo: De me ipso vereor, ne arrogantis sit apud vos dicere.

2. ἀπροσδόκητον, *hoc est, Inopinatum, quando ex abrupto quasi exordimur, quæ figura. si materia commodè applicatur multum habet venustatis, multumq; gratiæ, ut pro Flacco:* Nunquam putas-

putaſſem quenquam fore, &c. *Item*: Nunquam putarem fore, ut hac facie in Cathedram prodirem auditores, cum alius eſſet rerum noſtrarum ſtatus (poteſt etiam aliis affectibus applicari.)

3. Εὐχὴ, *Votum, quæ figura multum habet efficaciæ ad benevolētiam concitandam in Auditorib. locumq́ habet vel in rebus, vel perſonis, de quibus, vel ad quas verba facimus, ut*: O utinam ea eſſem præditus eloquentia, quam huius rei dignitas expoſcit! *Item*: utinam tanta eſſet veſtra in me benevolentia, quanta mei eſt in vos obſervantia!

4. Ἀποστροφὴ, *id eſt, Averſio, quando orationis Exordium, ob rei gravitatem, vel dignitatem, ad Iudices vel auditores convertimus, quæ figura in principio rariſſimè, niſi in contentionibus generis Iudicialis. In fine autem cum attentionem paramus, ſæpiſſimè locum habet, ut*: Cognoſcite Auditores, cognoſcite hanc rem.

Tertium membrum Exordij eſt amplificatio, quæ plerumq́ ſumitur ab Occupatione, quæ unde oriatur & ſumatur, in loco oppoſitorum cap. 7. dictum eſt, nihilq́ hoc loco addendum, niſi quod Occupationis ἀπόδοσις, *ſive redditio, per remotionem fiat, falſæ & poſitionem veræ cauſæ, quæ eſt*

aut necessitas, aut utilitas, aut officium: Vt: non hæc illave causa, puta, ostentationis, &c. motus, sed mandati officijq; ratione adductus, Cathedram hanc ascendi, &c. *ubi notandum.*

I. Quod hic modus amplificandi non sit usitatus Pastoribus, qui sunt in officio constituti. Illi enim si crebro extenuarent ingenium & eloquentiam, in arrogantiæ & stulticiæ suspicionem incurrerent. Post rationem itaque statim addant conclusionem, quod velint, de hac illave materia, quantum adjuti ope Spiritus S. possint, verba facere. cui addunt divisionem concionis & votum.

II. Neq; usitata Oratoribus præclaris, qui non nisi rationem reddunt, (alia tamen ratio est, quando in commitijs verba faciunt, ubi à majestate & amplitudine auditorum amplificationem sumunt) susceptæ provinciæ, & petunt audiri benevole orationem.

Huic tertio membro additur quartum, quæ est ipsa Conclusio, in qua Propositionem orationis repetentes petitione humanitatis, & benevolentiæ, & promissione brevitatis, Exordium finimus: Vt: Exhibete itaque auditores eam benevolentiam & attentionem, quam antea plurimis declarastis: ut, quem proposui, finem, oratio mea vestra humani-

manitate consequi posſit, & ad alia officia vobis præſtanda aſtringar.

Quæ perſpicua & vulgata eſt Exordij diſpoſitio, quam tamen perpetuam eſſe non dico, ſiquidem Orator eam vel occultare, vel mutare poteſt.

Mutare quidem, ut non retineat diſpoſitionem hanc, ſed vel à voto, vel gratulatione, vel affectu aliquo (ſecundum figuras affectuum ex materiæ natura petitas, vel circumſtantia temporis) incipiat, & eandem applicet, ad propoſitionem, & deinde concludat; ut videmus Exemplum in Orat. Cic. ad Quirites poſt reditum, ubi ab effectu lætitiæ incipit, quod precatus à Iove, &c.

Præterea amplificationem dictam omittere poteſt, ille qui ſuperior ad inferiores verba facit, puta, Præceptor ad Diſcipulos. Occultare, ſi quando non expreſſè utitur Oratoris formulis illis petendi, promittendi, vel verbis extenuat ſe, ſuumque ingenium, ſed occultat egregijs ſententijs, prout judicium Oratorum exercitatorum notum eſt.

Studioſi Oratoriæ hac vulgata Diſpoſitione Exordiorum contenti ſint, reliqua ad exercitia & vivam Præceptorum vocem reſervanda.

Exordium sequitur propositio, quæ sæpissimè conclusioni Exordij inseritur, quæ aut simplex est, aut suas habet partes, si partes habet, dividenda est, quæ divisio sive partitio illustrem reddit orationem, ut lib. 1. de Invent. Cic. inquit.

De qua notandum, quod distinguatur ratione quæstionum. In quæstionibus enim infinitis, post propositionem distinguimus per διαίρεσιν, *de quot partibus simus acturi, quam concludimus, vel voto, vel postulatione, ut in Concionibus.*

Interdum etiam si plures sint partes (Concio enim sive oratio, ultra tres partes continere non debet) additur Rejectio, ubi ostendimus nos quædam reÿcere velle, in aliud tempus, id quod Concionatoribus usitatum, si in uno Evangelio plures habeantur materiæ, & quæstiones diversæ. Quod si in Evangelio, vel textu aliquo non subest, rejectione uti non debet, ne Concio videatur imperfecta, vel Concionator in suspicionem negligentiæ incurrat.

Oratoribus autem non est usitatum: quia illi quæstionē unicā sibi proponūt, cāq; si persuadere volunt perfectè & sufficienter tractēt necesse est. De partitione quæstionum finitarum dicit Cicero dicto loco: quod duas habeat partes. Altera

Altera est quæ, quid cum adversarijs conveniat, & quid in cōtroversia relinquatur, ostendit ex qua certum quiddam designatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera, in qua rerum, de quibus sumus dicturi, breviter expositio ponitur distributa, ex qua conficitur; ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat, fore peroratum, & hæc debet habere brevitatem, in qua nisi necessarium nullū admittatur verbum. 2. Absolutionem per quam omnia quæ incidunt in causarum genera, de quibus dicendum est, complectimur. 3. Paucitatem, si genera rerum ponuntur, neq; permista cum partibus implicantur. Nam genus & plures partes complectitur, id est, ut distinctæ partes sint, earumq; distinctiones, ne confusio fiat, sed auditores intelligant, de quibus sigillatim simus dicturi.

Atque hæc posterior partitio, ad quæstiones infinitas quoq; applicari potest.

Et hæc de Exordio breviter dicta sint. Sequitur ipsa quæstionum infinitarum Confirmatio, quæ est ipsa tractatio.

S 5 CAPVT

CAPUT XIII.

De Tractatione Quæstionis simplicis.

Postquam consideravimus præcedenti capite partem Orationis præparantem, seu ornantem orationem, ipsum Exordium ceu caput: Iam corpus formandum aggredimur: Idque ratione materiæ, quam in principio diximus, Simplicis & Conjunctæ. Nunc de Simplicis Quæstionis tractatione breviter ideò dicemus: quia ejus consideratio propriè non est Rhetoris, sed Doctoris in formando & instruendo discipulum; ut secundum methodum simplicis quæstionis in Logicis traditam rem quamvis intelligat.

Notandum autem.

1. Quod simplex quæstio sit, cum de uno vocabulo quæritur, ut: *quid sit justitia? quid fides? quid homo?*

2. Quod sit aut in Substantijs, aut Accidētibus, quæ insunt in Substantijs. Omnis enim res simplex, sive sit Substantia, sive Accidens, hac methodo tractari potest.

3. Quot modis tractetur, vel sit purè Logicus, vel Rhetoricus, vel Mixtus. In quo monstratur usus hujus tractationis.

4. Quod instrumenta tractationis Logicæ, sint quæstiones Methodi, in Logicis traditæ, An sit, Quid sit. Quæ causæ, Quæ partes, Qui effectus, Quæ cognata, Quæ pugnantia. Quæ partes simpliciter: eleganti tamen verborum ornatu, & breviter, rotundè, Logicorum more tractantur in re quacunque simplici.

5. Quod in omni materia hi loci non æquè adhibeantur; sed pro ratione materiæ quæstionis simplicis, aliquomodo omittantur.

6. Quod

6. Quod si Rhetoricè Quæstio simplex tractetur, potissimi loci sunt causarum & effectorum, qui amplificantur, loco à Contrarijs, seu Pugnantibus, & Testimonijs, & Exemplis, cui etiam in amplificatione addi solet Locus Oppositorum, quando nimirum de quæstione simplici disputatur.

7. Præcipuè autem ad Rhetoricam tractationem pertinet modus qui mixtus dicitur: qui fit quando secundum partes methodi, primo res quævis simplex applicatur, deinde ex Quæstionis conjunctæ proprietate sumuntur argumenta, aut laudationis, aut adhortationis quo quæstionem illam, quam explicavimus commendatam reddant auditoribus.

Quæ tractatio oritur ex loco Effectorum, quando nimirum effecta Quæstionis simplicis explicamus: tum adhortationem & laudationem instituere possumus, per Apostrophen, præcedente Interrogatione, Vt: si quis;

I. Fidem explicaverit secundum quæstionem simplicis & enumeraverit omnes partes tractationis; tandem post explicationem Effectorum, quæ sunt, quod impetret gratiam Dei, Iusticiam, & vitam æternam tandem adhortationem instituat Rhetor, ut hanc ob causam quilibet Christianorum id agat; ut veram & vivam fidē habeat, quam adhortationē amplificet.

II. Ex

II. Ex loco partitionis enumeret bona in comparatione, *quæ ex vera & viva fide omnibus proveniat hominibus.*

III. Ex loco contrariorum exaggeret mala, quæ ex incredulitate oriuntur, *quæ in locis theologicis notiora sunt, quam ut hic ea enarremus. Tandem subjungat locum Testimoniorum & Exemplorum.*

Notandum autem quid hæc tractatio planè à Logica tractatione quam Cicero in Oratore exemplo Zenonis monstrat, qui contracta manu, & compressis digitis Dialecticam, diducta, & dilatata Rhetoricam ostendit, & modo proponendi, (*siquidem non nude, sed verborum copia, & luminibus illustrata*) & fine (nam nõ ad veritatis inquisitionem, sed persvasionẽ cõposita) maximè differat.

II. Ex his observandum, maximè, quod explicationem partium, locorum, quæstionis simplicis, non nude & breviter, sed ornatè & prolixè, proponere dabeant studiosi Oratoriæ; ut cum quadam gratia & delectatione auditorum, vel doceant, vel persvadeant.

III. Quod hic docendi, modus Rhetoricus usitatissimus sit Concionibus Ecclesiasticis, ob quam causam futuris Pastoribus commendata sint illa exercitia, locus resolvendi, in ejusmodi quæstionis methodi; non tantum ut ad hanc formam, conciones suas adornent: sed ut rerum sibi methodicam cognitionem comparent, & ejusmodi quæstionis in aliam formam persvadendi convertere, possint,

possint, in hunc finem extat & methodus Simonis Pauli, qui in omnium versatur manibus.

IV. Cum autem principalem tractationem huius quæstionis sibi vendicet Logica, itaque notandum, cur etiam Oratoriæ studiosus his quæstionibus tractandis se occupare debeat.

I. Vt rerum sibi variarum cognitionem comparet, quæ in Eloquentia adeò est necassaria; ut, nisi Orator multarum & variarum rerum cognitione instructus sit; loquens non eloquens dici mereatur. *Eloquens enim est, ut Cic. lib.* 1. *de Orat. inquit, qui omnes omnium rerum, quæ ad dicendum pertinent, fontes animo, & memoria continet: Ex cognitione enim rerum,* ut in eodem lib. inquit, *efflorescat & redundet oportet Oratio, quæ si non subest cognitio, inanem habet quandam elocutionem, & penè puerilem,* ut ibidem fermè à principio rerum cognitionem Oratori operosè admodum commendat.

Ex qua cognitione rerum, hoc commodum provenit; ut verba continuò rebus applicare possit; nec earum penuria laborare cogatur. Verba enim, sine rerum copia, inanis quidam sonus sunt.

II. Vt sedes argumentorum discant, & cognoscant, memoriæque, tractatione crebra simplicium quæstionum tenacissimè infigatur. Quæ enim in tractatione simplicis quæstionis explicationis; eadem sunt in quæstione conjuncta, probationis & amplificationis instrumenta & argumenta.

III. Vt videant, quo modo, quo ordine, rem quamvis explicare, & proponere debeant.

IV. Vt tractatione hac rerum veritatem, in qua persvadere volunt, cognoscant.

CAPVT

CAPUT XIV.

De Tractatione Quæstionis Conjunctæ.

QVoniam, ut ante dixi, hoc nostro seculo usus Rhetoricæ amplissimus est, & maximè occupatur in quæstionibus infinitis tractandis: ideoq; paulò attentiores erimus in praxi hac Rhetorices; quo tractationem quæstionis conjunctæ quilibet intelligat, & instrumentorum, quæ hactenus explicata sunt, usum & applicationem cognoscat: idq; ad modum opificum, qui, postquam simplicem materiam cognoverunt, eamq; elaborarunt; tandem componunt, compositāq; formant: ut opus inde splendidū proveniat: sic postquam Orator simplicem quæstionem sat diu tractavit, eamq; cum omnibus suis locis cognovit, componit eandem, & opus Rhetoricum format.

Exempli gratia: Cum Orator cognovit, quid Iusticia, quid amicitia, quid Respub. quot habeat partes, quas species, quæ effecta, tandem cōponit, an justicia multū cōferat utilitatis Reipub.: an amicitia sit colenda, an conducat Rempub. gubernare. Et inde opus ferè Rhetoricum sibi componit, id est Orationem persvasoriam.

Quod ut eò melius & commodius præstemus, sequemur ipsum dicendi principem Ciceronem, qui in partitionibus Oratorijs, naturam infinitæ quæstionis omnium optimè explicat, quam ut præmittamus, docendi ratio postulat.

Principio autem cum verba Ciceronis, dicto loco dignißima sint, quæ huc referantur, aßcribenda viden-

videntur; ut mente eorum intellecta quæstionum infinitarum naturam, & differentiam meliùs cognoscere, & in praxi oratoria monstrare, & instrumenta applicare possimus.

Duo sunt, ut initio dixi, quæstionum genera: quorum alterum finitum, temporibus & personis; causam appello: alterũ infinitum nullis neque personis, neque temporibus notandum, quod propositum voco. Sed est consultatio, quasi pars causæ quædam & controversiæ.

Inest enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia. Quamobrem prius de Proposito dicamus, cujus genera sunt duo: cognitionis alterum; ejus scientia est finis, ut veri ne sint sensus: alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid, ut si quæratur, quibus officijs amicitia colenda sit. Rursus superioris genera sunt tria, sit, nec ne; quid sit, quale sit. Sit, nec ne: ut jus in natura sit, an in more. Quid autem sit, sitne jus, id, quod majori parti sit utile. Quale autem sit, justè vivere sit, nec ne utile. Actionis autem duo sunt genera. Unum ad persequendum aliquid, aut declinandum, ut qui-

ut quibus rebus adipisci gloriam possis, aut quomodo invidia vitetur. Alterum q̃d ad aliquod commodum, usumq; refertur, ut: quemadmodum sit Respublica administranda, aut quemadmodum in paupertate videndũ. Rursus autẽ ex cognitionis confutatione, ubi, sit necne sit, aut fuerit, futurumve sit, quæritur, unum genus est quæstionis, possitne aliquid effici, ut, cum quæritur, ecquisnam perfectè sapiens esse possit. Alterum quemadmodum quidq; fiat, ut quonam pacto virtus paretur, natura ne, an ratione an usu. Cujus generis sunt omnes, in quibus ut in obscuris naturalibusq; quæstionibus, causæ, rationesq; rerum explicantur. Illius autem generis in quo quid sit id, de quo agitur, quæritur duo sunt genera, quorum in altero disputandum est, aliud, an idem sit, ut pertinacia, perseverantia: In altero autem descriptio generis alicuius, & quasi imago exprimenda est, ut, qualis sit avarus, aut quid sit Superbia. Tertia autem in genere, in quo quale, sit, quæritur aut de honestate, aut de utilitate, aut de æquitate dicendum est. De honestate sic: ut, Honestati

nestum ne sit pro amico periculum, aut invidiam subire. De utilitate autem sic, ut: Sitne utile in Repub. administrãda versari. De æquitate verò sic, ut: sitne æquum, amicos cognatis anteferre. Atq; in hoc eodem genere, in quo, quale sit, quæritur, oritur aliud quoddam disputãdi genvs, Non enim simpliciter solum quæritur, quid honestum sit, quid utile, quid æquum, sed etiam ex comparatione, quid honestius, quid utilius, quid æquius? atq; etiam quid honestissimum, quid utilissimum, quid æquissimum: cujus generis ea sunt, quæ præstantissima sit dignitas vitæ. Atq; ea quidem quæ dixi, cognitionis sunt omnia. Restant actionis: cujus alterum est præcipiendi genus, quod ad rationem officij pertinet: ut, quemadmodum colendi sunt parentes: Alterum autem ad sedandos animos, & oratione sanandos, ut in cõsolandis mœroribus, ut, in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrarium est disputandi genus, ad eosdem illos animi motus, quod in amplificanda

oratione sæpè faciendum est, vel gignendos vel concitandos.

Quam Ciceronis quæstionum infinitarum distinctionem, non abs re est, ut perspicuitatis gratia in hanc resolvamus tabulam, ex qua uno intuitu naturam & differentiam quæstionis conjunctæ, Oratoriæ studiosus intelligat.

NB. TABULA

Atque hæc ad prædictam formam in Topicis repetit; nisi quod ibi, post quæstionum divisionem, argumenta propè finem quasi per transennam indigitet, & alijs cogitanda relinquat, quem locum studiosis Oratoriæ etiam atque etiam commendo. Ipsum itaque in his etiam, quantum ingenio assequi potuerimus, persequemur: si quæstionum in tabula propositarum, naturam cognoverimus.

Cum de quæstione proposita dicimus, ea probè cognoscenda: nihil enim juvat dicturum, quam respicere ad id, de quo dicturus sis: sæpè itaque diximus, quæstionem esse vel simplicem, quæ unum quærit de uno, ut: sitne mundus æternus; & composita, quæ plura de pluribus; ut, sitne Iusticia virtus omnibus anteponenda; simplex quæstio in prædicto loco Ciceronis est, an sit, quid sit, quale sit, & eam ad cognitionem pertinere dicit, quæ

Tabula quæstionum infinitarum tàm simplicium quàm conjunctarum distinctionem exhibens.

Duo sunt Quæstionũ genera quorum alterum finitum tẽporibus & personis, quod causam appello. Alterũ infinitũ, neq; temporibus neq; personis notatum quod propositum voco, cujus generis duo sunt. Alterum

- Cognitionis, cujus scientia est finis, quod triplex est.
  - Sit necne: ut jus sit an in natura, an in more, ex quo genere cõsultationis duo sunt genera.
    - Unum. Possitne aliquid effici? ut cum quæritur aum perfectè Sapiens esse poss.
    - Alterũ. Quo pacto aliquid fiat, ut, quomodo virtus paretur, naturane an usu, cujus generis sunt omnes in quibus vel obscuris, naturalibusq; , rationes veri explicantur.
  - Quid sit: ut sitne jus quod majori parti est utile, hujus duo genera
    - Alterum disputandum est, aliud an idem sit, appertinacia & perseverantia.
    - In altero descriptio generis alicujus, & quasi imago reprimenda est, ut, quid sit avarus, quid sit superbia.
  - Quale sit, ut juste vivere sit necne utile, in quo genere quæritur aut de
    - Honestate: ut honestum sit pro amico periculum aut invidiam subire,
    - Utilitate: ut sitne utile in Repub. administranda versari.
    - Æquitate: ut, sit, necne æquum amicum cognatis anteferre.
    - hoc fit vel
      - Simpliciter sine collatione.
      - Comparatè utrum aliquid honestius, utilius, æquius.
- Actionis, quæ refertur ad efficiẽdũ aliquid ut: si quæratur, quibus officijs amicitia colenda sit, cuj9 duo sunt genera
  - Unum prosequẽdi, ut in quib9 rebus ad ipsam gloriã pervenire possim9, & declinãdi, ut, quo modo invidia declinetur.
  - Alterum, quod ad aliquod cõmodũ, usumq; refertur: ut; Quẽadmodũ respub. sit administrãda, aut quẽadmodum in paupertate vivendum.
- Horum alterum gen9 est
  - Præcipiendi quod ad rationem officij pertinet, ut, quomodo colendi parentes.
  - Alterum ad sedãdos animos oratione; ut, in consolandis mœrorib9, in iracundia comparanda.
  - Cui quidem generi contrarium est disputandi genus ad eosdem animi motus, quod in amplificãda oratione sæpè faciendũ, & ciendos & cõcitandos.

est de re (sive substantia sit, sive accidens) aut de facto. Si de re dicturi sumus, est illa Quæstio, an res sit in rerum natura, quid sit illa res, qualis sit, cujusmodi sit, aut propter quid sit. Et hæc secundum Rudolphum Agricolam lib. 2. de Invent. c. 7. *non ad Rhetoricam, sed ad scientias, & in Logica ad Methodum pertinet. Quia simplex: licet verò pluribus vocabulis exprimatur, ad unam rem tamen tendit; imò unius rei scientia quiescit; quamvis composita illa sit; quia nudam spectat cognitionem: Quomodo autem ad Rhetoricam tractationem accedat, praecedenti capite dictum est. Est etiam hoc modo considerandа quæstio conjuncta, ut, sitne Iustitia virtus omnium virtutum mater, & Reipub. utilissima, ut jam sequitur.*

Sin de facto. An sit factum: quid sit factum: & quale sit factum. Illud aut de præterito, aut de futuro dicitur.

De præterito quæstio, ad genus Iudiciale, aut ad genus Demonstrativum, & proinde ad Rhetoricam pertinet: quando enim jam aliquid factum, jam determinatum, & tempore, modo, alijsq; circumstantijs finitum est (quo etiam præsens referri potest, si quando ocurrit) Proinde in locis finitarum quæstionum tractandum.

De

De præterito quæstio, ad genus Iudiciale, aut ad genus Demonstrativum, & proinde ad Rhetoricam perinet: quando enim jam aliquid factum, tum determinatum, & tempore, modo, alijsque circumstantijs finitum est (quo etiam præsens referri potest, si quando occurrit.) Proinde in locis finitarum quæstionum tractandum.

De futuro, an sit, quid sit, & quale sit factum, seu quod fieri debeat: illud est vel indefinitum, ut: sitne ducenda uxor. Vel definitum, ut: sitne Catoni ducẽda uxor; hoc ad genus Deliberativum pertinet: illud ad tractationem quæstionis infinitæ. Estque ea duplex, aut qualis sit, ut cognoscamus, aut qualis sit, ut agamus, Vt: Sitne honestum, utile expetendum, & illa, quæ honesta sint facienda. Et ad hanc tractationẽ pertinẽt quæstiones activæ.

Qui plura de quæstionum divisionibus cognoscere voluerint, legant Rudolphum Agricolam lib. 7. de Inventione, à 6. ad 9. c. *quæ hic ascribere nimis foret prolixum. Hic itaque de quæstionibus infinitis dicemus, tractaturi in tertia parte praxios nostræ, de quæstionibus finitis in generibus causarum.*

Hoc modo cum propositionem discerno, propositum video. An ad cognitionem, an ad actionem, dirigere debeam. Deinde considero, an eam explicare

plicare, an confirmare seu probare velim. Illud fit in quæstionibus, quæ in cognitione quiescũt, & eius tractatio ex Logicis & ex præcedenti cap. nota est. Hoc fit in quæstionibus conjunctis in quibus argumentamur, & illis argumentationibus finem nostri propositi intendimus.

Tractationis autem modus & probationis forma, qua in componenda oratione utimur, & ex qua modum, instrumenta in septimo capite proposita in certis materiis applicandi, & usum omnem eorundem cognoscimus, hic est.

Quæstionem propositam sive in Exordio sive in Confirmatione (distinctè utpote partes) considero, quam tractare volo, & video, quo argumento & quomodo confirmem. Quod hoc modo fit, si ex propositione nobis proposita Syllogismum facimus, quem ita formamus: ut propositionem resolvamus in suas partes, subiectum nimirum & prædicatum, Ex quibus necesse est propositiones Syllogismi constare: Deinde alteram partem ex qua argumenta firmiora educi possunt, per locos Inventionis superius in cap. 7. explicatos, tanquam proprias sedes, duco, in iisq́ue, ratione materiæ, seu quæstionis propositæ (ea est, ut vel ad cognitionem vel actionem spectet) eligo argumenta, & delectum adhibeo, quisnam primus, quis secun-

dius locus esse debeat, & ex illo loco tanquam sede medius terminus oritur, in quem si subiectum ducitur, additurque prædicato propositionis, fit major terminus. Deinde medium terminum jungo cum subjecto propositionis, tanquam prædicatum, & exurgit minor Propositio, quam ultro sequitur, cõclusio. Quod ut melius intelligatur exemplo patet huius Propositionis: Ebrietas nocet hominibus. *Hanc Propositionem (si oratoriè tractare volo) resolvo in subiectum.* Ebrietas, *& Prædicatum* nocet hominibus. *Deinde subjectum duco in locum Effectorum, & invenio quod* Ebrietas disſipet ſenſus, conſundat intellectum, *& hunc medium terminum addo Prædicato Propositionis, hoc modo:* Quicquid diſsipat ſenſus, & confundit intellectum nocet hominibus. *Tertio eundem medium terminum subjecto Propositionis tanquam Prædicato addo hoc modo:* Ebrietas diſsipat ſenſus, & confundit Intellectum. *Inde quarto sequitur Conclusio:* Ergò, Ebrietas nocet hominibus.

Syllogiſmo confecto, Proſyllogiſmos adhiberi neceſſe eſt, quæ Syllogiſmum confirment ubi diligenter notandum, quod ante etiam monuimus in quinto Capite, Propoſitionem (ſic & Syllogiſmum) aliam eſſe principalem, id eſt,

totius orationis, quæ Conclusio omnium reliquorum Prosyllogismorum. Aliam minus principalem, Confirmantem vel Confutantem. Aliam denique amplificantem in eum enim finem locos etiam distinximus, ut sciret studiosus, quod ex principalibus confimentur argumenta, ex minus principalibus amplificentur.

Postquam itaque Syllogismum ad prædictum modum formavimus, ejus propositiones considerandæ sunt, quænam Confirmatione egeat sive major, sive minor. Dehinc confirmandam propositionem duco in locos Inventionis principales, & ex his ad eundem modum Syllogismum formo, ut: in dicto exemplo. Major certa est, Minor confirmanda: Ebrîetas sensus dissipat, & confundit intellectum: *Vbi subjectum:* Ebrietas *duco in locum definitionis, & causæ efficientis quod* Ebrietas sit nimia vini injurgitatio Unde vapores in cerebrum, ascendentes, animæ functiones impediant, totumq; corpus nimijs humoribus impleant, *& inde demum Conclusio. Medium terminum prædicato propositionis prosyllogismi addendo.* Ergò Ebrietas dissipat sensus, *sic etiam per locum effectorum pluribus argumentis prosyllogismi fieri possunt, quæ tamen ad eundem scopum colliment.* Ebrietatem nocere hominibus, propterea fugiendam.

Tertiò

Tertiò si scire cupio, quomodo Prosyllogismos illos amplificare debeo: ingredior locos minus principales, & invenio primò locum Enumerationis specierum seu partium, qui mirificè inservit omnibus propositionibus, cujuscunq; Prosyllogsmi, ubi vocabula, TOTUM, OMNE, & similia inveniuntur. Deinde si augere vel minuere Syllogismos volo, (nimirum rem ipsam Syllogismo inclusam) ingredior Locum Comparatorum. Si illustrare Syllogismos volo, & obstacula removere, oppositorum inspicio locum, si exaggerare contrariorum, & alios, ut in exaggeratione constat, addo locos, si Syllogismorum accidentia & circumstantias addere volo, Antecedentium & Consequentium perlustro locos. His omnibus locis inservit mirificè locus similium, & præsertim effectorum: Robur autem addunt testimonia & Exempla.

Si ad eundem modum locos consideravimus, & scimus (quod certe scire debemus) in Rhetoricis omnia prolixè cum verborum copia; non breviter & logicè tractanda esse, nec dum quomodo intelligere tractationem horum locorum possimus, cognoscamus: progrediendum ad caput 8. & videndum quæ figuræ. cuique locorum conveniunt: Quibus cognitis 10. caput inspiciendum, & secundum eosdem locos connexionis, particu-

læ inquirendæ. Ex quibus facilè mediocriter versatus in latina lingva formulam tractandi intelligere potest.

Si autem plenè non intelligat, per eosdem locos, ex quibus Syllogismos formavit, inspiciat 11. cap. & inveniet singulorum Locorum formulas. Quia verò necessarium est, ut affectus moveat auditoribus, consideret materiam vicissim: ubi cogitet (si affectus materia admittat, id est, si ad actionem, vel ad laudem directa sit) an læti, an tristes, esse debeant, vel secundum formam, ubi perpendat, an per Interrogationem, an per Apostrophen, an mediatè, an immediatè proponere velit. Quæ omnia in 9. cap. inveniet: ut nihil desiderare ratione instituti nostri (absolutum enim ut scriberemus, conditio meorum laborum, non permittit, neq; propositi erat mei) vel pauca admodum possit.

Quæ tamen ut melius intelligamus, secundum distinctionem quæstionis, actionis, & cognitionis modum & exempla videamus. Illud enim necessarium est; ut compositurus orationem ita distingvat quæstiones in cognitionis & actionis, ut sciat ex quibus locis argumenta depromere, (vel quod idem Syllogismos facere) possit.

Itaq;

Itaque de quæstionibus cognitionis primum, deinde actionis agemus.

Si quæstio ad cognitionem pertinet; probandi medium sumo primo ex loco Definitionis, vel ex loco generis, vel ex loco specierum. Secundo ex loco partium. Tertio ex loco Efficientis (qui locus in Rhetoricis non nisi ad cognitionem pertinet.) Quarto ex loco Effectorum. Ex his inquam locis quæstionem conjunctam cognitionis sumo hinc & Syllogismos facio tanquam principalioribus. Eosdem vero amplifico, si disputo de veritate, ex loco oppositorum, si illustrare volo, ex loco contrariorum; si effecta & alios locos principales corroborare cupio, ex loco Testimoniorum. Quos locos Rhetoricè tracto figuris & ornamentis, ad delectationem facientibus, & simplicibus connexionum particulis.

Exempli gratia, si propositio sit, An Iusticia sit virtus omnium optima, *resolvo eandem propositionem in Subjectum, quod est* Iusticia. *Prædicatum* Virtus. *2. Prædicatum duco ad locũ Definitionis, ubi invenio,* habitum esse voluntatis consistentem in mediocritate, *quod medium est probationis, & si prædicato virtuti additur fit major terminus,* Quicquid est habitus voluntatis consistens in mediocritate est virtus.

Deinde

Deinde idem medium addo subjecto propositionis, & sit propositio minor, hoc modo, Iusticia est habitus. *Inde conclusio provenit,* Ergo, Iustitia est virtus.

Postquam ita Syllogismum feci, locum de Definitione generis, & speciei inspicio, & quomodo locos illos tractare debeam, invenio.

Tertio considero, quomodo quamlibet propositionem vicissim amplificare debeam; nimirum Majorem causa Efficiente. Minorem ex loco partium enumerando multas partes & species & cujusque officia. Conclusionem ex loco Effectorum si integrum Syllogismum adhibere volumus, si non; Majorem omittimus, vel Minorem pro ut Quæstio, & materia requirit; In qua explicare cogor, qualis sit res, ut hoc loco, qualis sit virtus Iusticia; ibi ex loco effectorum amplificationes sumo, ex loco Comparationis cum reliquis virtutibus; quod reliquæ virtutes privatis inserviant potissimum commodis, hæc verò in singulorem societatis publicæ utilitatem suas elocet operas. Deinde ex loco contrariorum explicando vitia, & quæcunque sunt contraria, quantum nimirum commodi adferat virtus, tanta incommoda adferant vitia, justitiæ contraria, hic per partium & Specierum enumerationem vitia

propo-

proponi possunt) quæ ad modum virtutis amplificata, amplificari debeat: ut infrà patebit.

Postquam in genere effectus seu utilitates amplificavi; in specie è numero & singulis testimoniis, & exemplis probo; si ad modum vel generaliter præscriptum, singula argumenta effectorum ritè dispono, & video, quæ propositio, & quomodo probatione & amplificatione indigeat.

Et sic quæstionis uniuscujusq; dispositio & tractatio instituenda, diligenterque nervis ingenij intendendum; ut illa tantum inseramus argumentis, quæ ex illis proveniunt, & in illis nata sunt. Id quod tum fit; si incipientes dispositionibus, à Præceptoribus propositis insistunt, earundemque ductum sequuntur, nec quicquam omittant, ne quid transponant, ne quid alienum afferant. Exercitati autem locorum præscriptum, qui cuique materiæ convenientes sunt, sequuntur, neque quicquam inserunt orationi, quod non ad aliquem prædictorum locorum in resolutione referri possit. Eo ordine si collocamus argumenta, & scimus, ex quibus locis amplificationem sumere debeamus, jam progredimur ad figuras, primo verborum, deinde sententiarum, illas nimirum figuras, quæ pertinent ad ornamentum amplificationis, ut delectationem pariant.

Affe-

Affectuum figuræ in explicatione locum non habent; quia ad persuasionem pertinent.

Sic quoque simplex connexio in tractatione hujus Quæstionis locum habet rarò figurata: quæ inservit affectibus movendis.

Atque ita breviter de Quæstionibus, quorum cognitio finis est; quia rarior est oratio hujusmodi in Rhetoricis, sed ad Doctores in Scholis spectat, de reliquis exactius acturi.

Sequuntur Quæstiones, quæ versantur in quale sit, quarum tractatio in triplici consistit fundamento, Honesto, Utili & æquo. De quibus ante modum tractandi notandum.

Principio, quod in una tractatione sæpè concurrant, &, si non expressè, tractantur, tamen implicitè: Quicquid enim honestum, illud & æquum, Quicquid æquum, illud & utile, (si verò non utile vulgi opinione, at sapientum.) Distinguendum autem aliquando tractatione: ut si de honesto non dubitatur, sed de utili: tum omisso illo, argumentis, utile demonstraturi, ut: *In Exemplo Ciceronis: Utile ne sit Rempublicam administrare.* Præcipuè autem Orator utilia ea monstrat, & docet, quæ videntur prodesse in rebus externis. Orator enim à Philosophis in hoc differt etiam, ut maximè externis, in sensus, imò in oculos hominum incurrentibus argumentis persvadeat, Non enim simpliciter, quid verum, quidve ratione recta utile disputat, quo persuadere non

potest

potest: sed potius, quid aperte opinione hominum utile sit.

Itaq; quæstionem vel tractat secundum honestatem vel utilitatem vel secundum utramque.

Præterea notandum, quod rem secundum qualitatem tractando non cognoscamus; nisi quatenus ad laudem vel vituperium pertineat; vel ad appetendum vel fugiendum faciat.

Adhæc probè observandum, quod ad tractationem quæstionis, qualis sit, persuadentia argumenta adhibeantur, usque adeò ut etiam ad hunc finem tractatio dirigenda sit in oratione: Vnde Rodolphus Agricola Ciceronem reprehendit, quod quæstionem quale sit, ad cognitionis referat. Ex verbis enim, quæ in Topicis habet, colligimus, argumenta omnia ad actionem dirigenda; ut quod honestum, quod turpe ex cognitione expetamus, vel fugiamns, ita enim inquit: *Illud autem genus est, in quo defugiendo expetendoque quæritur, adhibentur ea, quæ sunt, aut corporis, aut animi aut externa, commoda, aut incommoda, itemque cum de honesto & turpi quæritur, vel ad animi bona, vel mala omnis dirigenda oratio. Cum autem de æquo & iniquo quæritur, æquitatis loci colliguntur. Hi cernuntur bipartitè, & natura, & instituto: Natura habet partes duas: tuitionem sui, & ulciscendi jus, Institutio æquitatis tripartita est, una pars legitima: altera conveniens: tertia moris vetustate confirmata: Atque rursus æquitas tripartita dicitur esse: una ad superos DEOS: altera ad Manes: tertia ad homines pertinere. Prima dicitur pietas, secunda Sanctitas, tertia Iustitia seu Æquitas nominatur.*

Ex his

Ex his enim verbis, quibus in Quæstione Quale sit, sedem argumentorum monstrat, videmus quod ad actionem directa sit; imò sint argumenta impellentia ad agendum. Cum enim assero rem honestam, rem utilem, simul expetendam suadeo. Ea tamen differentia, quod vel principaliter ad laudem vel vituperium tendat. Et sic formulis adhortantibus, & figuris commoventibus affectus non utor. Vel principaliter ad actionem, & sic istis argumentis utor, adhibitis formulis compellentibus, adhortantibus, quibus argumentis plærumq; concludimus. Sunt itaq; quæstiones in quale sit, fundamenta argumentorum probantium, Honestum & utile, cui accedit, si hanc tractationem ad actionem apertè dirigimus, æquum quod nos, cum honesto sic conjungimus: quia rarum est, ut Oratione qualitatem rei, vel laudemus, vel vituperemus: ut non ad agendum simul impellamus adhortatione. Honestum dicit Cicero esse, quod ad bona vel mala animi pertineat.

Sunt autem bona animi, quæ cum recta ratione conveniunt, quæque ejus dictamini probantur. Contra inhonestum, seu malum, quod contra est rationem.

Nos autem in Schola Christiana, qui Oratores esse volumus, Honestatis fontes ponimus.

I. Mandatum DEI, quod rem, seu factum aliquod honestum esse, & laudabile sive inhonestum testetur.

II. Quod ratio recta praestans, & laudabile indicat. Contrarium turpe est: imò turpissimum.

III. Huic addimus, si simul apertè adhortationem instituimus, cum ad actionem dirigimus orationem, aequum hisce argumentis:

Primò, si mandatum DEI ad aliquid faciendum, vel omittendum impellere dicimus.

Secundò si naturam rectam aliquid svadentem adferimus, puta, ut nostras deffendamus, ut rebus honestis studeamus.

Tertiò, si leges scriptas & consvetudines allegamus, & necessitatem, aequitatemq; faciendi demonstramus.

Quartò, si ex hominum quoq; conditione, & causa aliqua justa, convincimus. Et haec sunt fundamenta prioris partis tractationis.

Secunda pars, est utile. Quod duplex statuitur, publicum & privatum. Publicum triplex est: ECCLESIASTICUM, POLITICUM, OECONOMICUM. Privatum quoq; triplex statuitur, FORTUNAE, CORPORIS,

V

PORIS, ANIMI. Hoc posterius duplex est: aut est animi bonum proprium, quod eundem excolit, ornat, aut animæ bonum quod animam nostrã consoletur, erigat, & æternam salutem largiatur. Quod posterius bonum, bonorum omnium optimum est. Hoc propterea ad privata bona refero: quia, quamvis ad omnes pertineat, singulorum tamen, quasi proprium esse debet, quod etiam singulis offertur, singulis adimitur. Et quamvis alio modo distingui bona potuerint, mihi tamen hic placuit, nec refert dummodo intelligas, quomodo ex his argumenta tractandi actionem sumere debeas.

Et hæc sunt cujuslibet Quæstionis confirmandæ & tractandæ argumenta, quæ si hoc modo cognoscis proximum est; ut argumentorum, ex his fundamentis erutorum, & dispositionem considerem.

Vbi quædam observatu digna præmittenda.

I. In omni quæstione non omnia argumenta adhibenda: sed delectum habendum: tam in argumentis honesti: quam utilis: ut illa sumamus, quæ circumstantijs præsentibus commoda sunt.

II. Omnium argumentorum, non perpetuo easdem esse amplificationes, neque semper omnes adhibendæ: sed ex locis judicium sumendum.

III. Hanc

III. Hanc tractationem ex doctrina formularum plenius intelligi, quo etiam, postquam hunc modum tractationis Oratoriæ studiosus cognovit, eundem remitto.

IV. In argumentis tractandis, quod sæpe antè monitum est, artis vocabula ne interamus, neque locos ipsos, ex quibus sumta argumenta, ut: honesti, utilis, &c.

V. Quod hæc fundamenta & hinc deducta argumenta omnibus quæstionibus activis applicari possunt; eandemque fermè admittant tractationem.

His præmissis in tractatione I. perpendo (Quod sæpe dictum sæpius dicendum, ut studiosi adolescentes probè observent.) quæ argumenta quæstio admittat, vel quomodo eam tractare pro ratione temporis & loci auditorum, velint.

2. Ex hisce fundamentis argumenta in formam Syllogismi redigo, ut: Quicquid est honestum, utile, illud laudandum, illud faciendum. Sed hoc vel illud tale est: E.

3. Hujus Syllogismi Propositio probanda & ducenda in locos Inventionis ad formam paulò ante dictam: & ex loco quolibet, quodcunque adhibere judicio visum est, Syllogismus faciendus.

4. In Syllogismis quibuslibet amplificationes addendæ, quæ Prosyllogismi dicuntur.

Quod ut clarius pateat, utriusq; fundamenti tractationem videbimus.

Honesti itaque argumentum primum est mandatum DEI.

Hujus Amplificatio prima ex testimonijs divinis, quorum enumeratio ad requisita & præcepta in loco testimoniorum, observatione 4. 5. & 6. de generalibus testimonijs posita, instituenda.

Secunda Amplificatio, ex loco Definitionis Rhetoricæ, ubi personam mandantis, id est DEUM, consideramus, & describimus, ab omnipotentia, à voluntate gratiæ & iræ, ut in cap. 11. de descriptione dictum est, ubi Exaggeratio, in movendis affectibus, si quæstio præsertim ad adhortationem dirigitur, à distincta enumeratione gratiæ & iræ, ab ejus effectibus, ut in ipsa Exaggeratione c. 8. dictum est.

Tertia amplificatio ex loco Comparationis, à minori ad majus, ab hominibus ad DEUM, ut in formulis patet. Potest & alia comparatio à Dijs Ethnicis & Oraculis sumi: si Ethnici suis Oraculis, quæ Dæmonia fuerunt, fidem adhibuerint: quidni & nos DEO Deorum credamus. Potest utrinque addi ratio, ad præceptum prolixæ Comparationis in loco c. 7. propositæ nimirum exaggeratio addi debet.

Quarta

Quarta Amplificatio ex loco generis & speciei, ubi ex proposita quæstione, ad genus digredimur, & similibus factis, vel rebus, DEVM favere & irasci disserimus: ad modum, in loco generis & speciei, ad digressionem propositum.

Quinta Amplificatio, fit per Exempla confirmantia & principale argumentum, & ejusdem effecta, præmia nimirum & pœnas. Fit autem amplificatio illa, vel breviter, vel prolixè; ut in loco exemplorum propositum est.

Sexta Amplificatio à testimonijs sanctorum Patrum, itidem fiat ad præscriptum loci testimoniorum.

Septima Amplificatio addi potest etiam ex loco subjectorum, & adjunctorum, quinam subjecti sint illis pœnis; omnes homines sine discrimine ætatis, conditionis, fortunarum; ubi Exaggeratio addatur à specierum enumeratione, à comparatione contraria, quod in hoc mundo sic comparatum sit, ut homines pauperes, pro levissimis etiam culpis pœnas solvant, divites verò impunè omnia faciant, respectusq; habeatur personarum. Non sic DEVS, qui omnes homines sine discrimine puniat in malis, in bonis verò illis faveat.

Octava Amplificatio ex loco contrariorum sumitur. Si præsertim rem quandam exagge-

rare volumus, quæ amplificatio loco effectorum additur, sicut modus in septimo capite propositus est.

Et hæc est perspicua tractatio primi Argumenti ab Honesto, quæ transitione vel adhortatione, vel aliis modis in decimo capite propositis connectitur sequentibus argumentis.

Secundum argumentum Honesti est dictamen rectæ rationis.

Illud enim quod recta ratio dictitat maximè honestum & contrarium turpe est. Huius argumenti tractatio sumitur.

I. *A Causa efficente rectæ rationis DEO, qui est hominis creator, eumq; ad imaginem suam condidit in sapientia & prudentia, Vbi duæ sunt potissimum amplificationes. Prima ab occupatione quod quamvis imaginem illam homo amiserit, tamen scintilla Sapientiæ, & Prudentiæ reliqua sit quæ honestum dictitet. Posterior à simili, quod sicut reliquæ creaturæ omnes post lapsum corruptæ adhuc reliquas proprietates habeant, ut Sol luceat & calefaciat, Luna frigefaciat, &c. Sic etiam homo rationis proprietates habeat, ut intelligat & discernere possit, quæ honesta, quæ turpia sint.*

II. *His applicetur secundum argumentum ab adjun-*

adjunctis rationis, quod illa semper sit provida, sagax, cauta, sapiens, in avertendo omne quod turpe est, & approbando quod honestum.

III. *Argumentum ab effectu rectæ rationis; quod hinc omnes hanc vel illam rem (de qua nobis sermo futurus est) magni fecerint, coluerint, nulla alia causa nisi rectæ rationis impulsu.*

IV. *Annectantur testimonia, videlicet, dicta Sapientum, Philosophorum, Oratorum, Poëtarum.*

V. *Exempla quoq; illorum, qui hanc vel illam rem magnifecerint, laudarint, prout scopus orationis.*

VI. *Potest etiam addi Argumentum à contrario: ut si rem honestam exaggeramus, contrariam turpem esse demonstremus.*

Sin ad actionem quæstionem dirigimus, & adhortationem instituimus; tū hanc sedem argumentorum tractamus, ut primo dictamen rectæ rationis suadere dicamus: ut hoc vel illud agamus, id probemus, amplectemur.

Primo enumeratione specierum, seu modorum, quo modo agere cum omnibus circumstantijs debeamus, secundum formulas in loco divisionis, id est, partitionis propositas

Secundò ex loco comparationis cum brutis animalibus, à minore ad majus. Si bruta hoc vel illud faciunt, Ergò multo magis

 hoc nos

hoc nos facere debeamus, ut in formulis loci Comparationis.

Tertio, ex loco contrariorum, turpi nimirum, si ea intermittimus, quæ ratio honesta, suadet & natura dictitat, & animalia bruta testantur. Hic Exaggeratio addi solet, per comparationem distinctam secundum partes, in quibus brutorum conditio deterior: in loco tamen: si quod bruta faciunt homines negligunt, melior demonstratur.

Quartò, solent etiam addi exempla brutorum, una cum testimoniis (quod tamen argumentum Exaggerationi adjungitur.

Quintò, interdum etiam, ratione materiæ, comparatio institui potest (secundum Quantitatem & Qualitatem, pro unius cujusque judicio) inter homines diversæ conditionis, puta Ethnicos, & Christianos, Reges & Principes, Subditos, &c. Si hoc Ethnici DEI cognitionis expertes ex lumine naturæ faciunt, quidni & Christiani, &c. Si hoc Magnates facere tenentur, qdni & infimę cōditionis homines:

Hic habent locum figuræ omnes, quæ ad affectus mouendos pertinent: sed tamen requiritur, ut parcè & cum judicio adhibeantur, prout in 8. c. singulis figuris modus & locus subjectus est.

Tertium argumentum Honesti est, quod ex legibus scriptis sumitur, & ex consuetudine, seu

more

more & vetustate, quæ aliquid honestum, & præstans asserit, seu faciendum hortatur, quod indefinitum est.

Hujus tractatio & amplificatio sumitur, primo à legis explicatione Rhetorica & eleganti descriptione à circumstantijs petita.

II. A causa Efficiente legis, & impulsiva, quod à viris prudentibus introducta, ad conservandam in civili vita honestatem, huc usq; servata sit.

III. Ab effectis legum, necessitate nimirum parendi, propter DEI ordinationem, magistratus autoritatem, propter pœnas, propter præmia (quãvis hæc ad finitam quæstionem pertineant & rariora sint in Quæstionibus infinitis, tamen aliquando suum usum habent.)

IV. Hæc, & præsertim argumenta ab Effectis amplificentur, testimonijs & exemplis, item similibus, ut sunt: forma Reip. Magistratus, subditorũ, & obedientiæ eorundem semina in brutis animalibus apparent, ut apes suum habent regem, quem observãt, quem sequantur, cui alimenta subministrant; Sic multô magis in hominibus forma debet esse, ut quicquid magistratus cupit, & in legibus efflagitat, summa reverentia subditi & cives faciant, &c.

Proposito & explicato in oratione Honesto, qualitatem Quæstionis, & in utili proponimus, & oratione amplificamus, quod maximè allicit homines; ut ad actionem & cupiditatem impellantur; unde Cic. 2. de Orat. inquit. Nemo est quin putet expetendã maximè dignitatẽ, sed vincit utilitas plerũq; : itaq; ad actionẽ quoq; dirigenda potissimum oratio; *quia rarum, imò rarissimum in scholis & in Ecclesijs, ut rem aliquam laudemus, & qualitatem ejusdem describamus; ut nõ simul ad amorẽ vel odium, vel alium affectũ, & sic ad agendũ vel fugiendũ impellamus.*

SVMVNTVR autem VTILITATIS ARGVMENTA ex loco EFFECTORVM Amplificationem illorum argumentorum, quæ ex effectibus enumerantur, depromimus.

I. Ex distincta partium enumeratione ex loco partitionis in 7. c. explicato.

II. Quia mens humana proximè movetur magnis utilitatibus. Itaq; argumenta utilitatis amplificantur præcipuè ex loco comparationis, quæ instituitur cum alijs rebus, itidem utilibus, quod aliqui rem hanc vel illam ob exiguam utilitatem magnifaciant, quidni & nos ob majorem utilitatem, &c.

Sumitur autem major utilitas, vel à quantitate

tate, vel à qualitate; illa: ut majora, diuturniora præferenda sunt minoribus, hæc vel bonitate, vel efficacia; ut meliora sunt præferenda deterioribus, quod res ipsa & judicium Oratoris suppeditabit.

Deinde utilia inter se comparantur: ut publica privatis sunt potiora, Ecclesiastica, politicis, hæc, Oeconomicis. Itidem privata inter se comparantur: ut Fortunæ bona sunt deteriora corporis, Hæc animæ bonis; quarum comparationum formulæ videantur, c. 11. in loco comparationis.

Est autem hæc Comparatio stricta seu brevis: similitudo argumentorum utilium copiam præcludit: prolixa, quando eorum non est tanta copia, vel præcipua quædam utilitas amplificationem, per suas partes deductam exposcit. Vbi utilitatis illius distincta enumeratione, omnes articuli excutiuntur, & additur plærumq; Exaggeratio, quæ ex loco partium, & figuris affectuum, Interrogationibus vel Apostrophe fit.

Tertia amplificatio in utilium tractatione, sumitur ex loco Testimoniorum, quibus probamus hanc vel illam rem utilem esse. Præcipuè verò efficaciam habet; si ab experientia argumenta deduci possint.

Huic annectitur locus Exemplorum: ubi Exemplis particularibus generalem nostram sententiam probamus.

Quarta petitur ex loco similium? qui ex re ipsa nascitur; ut in loco similiũ perspicuè dictũ est.

Quinta, non rarò ex loco contrariorum utilia illustro & exaggero; quando ad utile, contrarium inutile propono, & demonstro, quantum incommodi afferat contrarium.

Et hæc dispositio tractationis, cui omne utile sive publicum sive privatum includitur. Eandem enim recipiunt tractationem: sed simul judicium Oratoris singulare exposcunt.

DE TOTA ITAQVE TRACTATIONE DISPOSITIONIS NOTANDUM.

I. *Quod singulis argumentis, vel præcipuis honesti & utilis subjiciatur finis, ad quem tractationem vel orationem nostram dirigimus: ut si ad explicationem Qualitatis laudationem subjicimus:* quis non laudaret, quis non præstantiam admiraretur? *vel similes formulas subinde in connexione præcipuorum argumentorum adhibeo.*

II. *Quod loci amplificationum sibi mutuo subserviant instrictis amplificationibus, ut ex diversis*

versis locis unum argumentum amplificetur, & figuretur.

Vnde dicitur in dispositione amplificatio, hoc vel illo modo figurata, si adduntur ex aliis locis amplificationes, figurarum naturam inducunt; quas præterea secundum locos amplificationis strictè distinguimus. Exempli gratia. Si amplificationem sumo ex loco effectorum, eandem comparatione cum aliis exorno, & simul locum distinctionis addo; ut omnia distinctè enarro, & tũ vocatur hæc amplificatio ex illo loco διαίρεσις, si cõtrariũ adjũgo vocatur παραδιαστολή &c. Cui si addantur figuræ affectuum Interrogatio, &c. Exaggeratio nominatur, & materiam affectuum induit, ut: *Si de amore & misericordia DEI verba faciam, eamq; cum hominibus confero hominum eam esse mentem, ut vel sanguine, vel alia necessitate junctis serviant, & omnib. in sive vitæ discrimine, sive periculis, sive quibusvis angustiis succurrant, Deum autem cum habere amorem, ut non filiis suis, id est, piis hominibus succurrat, eos foveat & sustentet. Sed & super inimicos suos impios homines, qui neq; Deum, neq; homines timent. Solem exoriri, terram fructus proferre, maria pisces subministrare, concedat. Eaq; omnia largiatur quæ vitæ huius usura exposcat; quis inde ineffabilem Dei misericordiam non agnoscat? & plus quam paternum animum videat? qui non, ut parentes filios immorigeros, abiicit, sed fovet & longanimitate ad se allicere cupit?* In his paucis verbis videamus, quod locus effectorum partitionis, & comparationis, contrariorum, similium coniunctus sit: una cum Exaggeratione per Interrogationem. Intelligimus facilè quoque quomodo similem modum amplificandi imitari possimus, & debeamus. *III. Quod*

III. Quod locus oppositorum subserviat reliquis omnibus ubi judicio Oratoris, & prudentia videtur, aliquid obÿci posse, quod sententiæ nostræ officia, id quod in infinitis quæstionibus breviter fieri necesse est: nisi tractatio aliud exposcat.

IV. Probè notandum (id quod breviter tantum noto cum reliqua tractatio cum priori conveniat) quod duplex sit tractatio quæstionum Infinitarum secūdū Ciceronē; Alia simplex, alia cum collatione, quæ sūt honestiora, quæ utiliora, Alia disputatoria.

Si simplex, vel etiam cum collatione, tum argumenta ex loco oppositorum breviter solvit Orator.

Si in disputatione versatur: tum veritatem quæstionis primo: deinde persuasionem intendeat, necesse est: ut prolixè argumenta contraria excutiat, & refutet. Fitq; aut in una oratione, ubi argumenta adversariorum refutamus, idque dupliciter; si singulis nostræ orationis argumentis refutatio subÿcitur, vel ad finem reseruatur, aut in diversis orationibus, ubi in priori quæstionem aliquam confirmamus: In secunda contrarium refutamus & nostram stabilimus. Cui tertia additur aliquando quæ fert de omnibus judicium, profertq; veram sententiam, cum adhortatione ut eandem amplexemur. Quæ ratio in collegiis oratoriis observari potest, immò debet ut diversis orationibus, quæstionem aliquam excutiant adolescentes

V. Ex

V. Ex his notandum quod contrariæ sententiæ sumantur ex iisdem locis confirmationis, & amplificationis, contrario tantum sensu, ut si rem utilem ex effectis demonstravi, ex iisdem contrariis minimè utilem esse. Qui itaq; unius tractationem ex prædictis præceptis novit, alteram facilè nosci potest, ut non sit opus plura & alia addere: nec enim Inventio est alia, nec dispositio, nec amplificatio, omnia deniq; ornamenta sub manu nascuntur illi qui novit simpliciter Quæstionem tractare.

Ex hac causa singularem rationem tractationis non adiicio, cum alia, ad exercitia reservanda sunt & committenda iudicio præceptorum.

Hoc saltem coronidis loco subiiciendum: quod argumentorum refutatio non Logica esse debeat, quæ fallacias indicet, & directè ad propositiones respōdeat, sed eo modo, ut facta est ad formā prædictā in 6. c. Syllogismi, propositio & responsio fieri debet, ne sentiāt auditores nos argumētari per Syllogismum.

Itaque per Enthymema potissimum refutatio constituitur, Figurata est autem potissimum Interrogationibus Apostrophe.

Et sic de tractatione Quæstionū conjunctæ ea dicta sunt, ex quibus putavi quemlibet intelligere posse rationem disponendi, & tractandi quæstionē quamvis, qui mediocriter in præceptis Rhetoricis instructus & latinæ linguæ cognitione præditus est.

CAPVT

CAPUT XV.

De Conclusione seu Peroratione.

TABULA. D

OPifices imitati sumus in opere oratorio construendo: cum quibus necesse est, ut ultimam eidem imponamus manum, & perorationem formemus, quam Cicero lib. ad Herenn. artificiosum terminum orationis vocat. Ad quem, mea opinione, duorum consideratio requiritur, Rerum & Verborum.

In rebus aut materiam, aut finem, ad quem directa sit oratio, aut modum proponendi considero.

Materia est vel infinita, vel finita: illa in cujus tractatione studia nostra hactenus periclitati sumus. Simplex vel conjuncta: hæc, quæ tribus causarum generibus, Deliberativo, Demonstrativo, Iudiciali, continetur. In quibus quæstionibus omnibus tractandis, conclusione accommodata materiæ, & proposito utimur.

Finis Orationis in conscribenda Oratione constituendus: ut facilius sciamus, quomodo conclusionem formare debeamus, ad modum præscriptum. Qui ad Ciceronis mentem l. 1. de Inventione (ubi tamen cum enumeratione, partes conclusionis eas nominat) sunt Indignatio, quæ iram, invidiam, odium. adjuncta habet: & Conquestio, quæ misericordiam, amorem, & quemvis gratum affectum

Tabula summam capitis 15. de Peroratione exhibens.

- *In conclusione considerantur duo*
  - Res, in qua attendo ad
    - Materiam, quæ est
      - Infinita
        - Simplex.
        - Conjuncta.
      - Finita in tribus causarum generibus
        - Deliberativo.
        - Demonstrativo.
        - Iudiciali.
    - Finem, in quo considero
      - Quid intendam
        - Indignationem
        - Conquestionem
        - Ea applicata esse debent in amplificatione omnia.
      - Apud quos intendam
        - Benè / Malè affectos, ubi utor peroratione
          - leniori & breviori.
          - vehementiori & longiori.
    - Modum proponendi, qui est
      - Enumeratione, in qua cõsidero
        - Quomodo fiat
          - Breviter principalia repetendo.
          - cum pondere aliquo.
        - In quibus quæstionibus
          - Infinitis.
          - Finitis.
      - Amplificatione, cujus partes sunt
        - Primariæ
          - Petitio
          - Adhortatio.
          - Jussio,
          - Pollicitatio.
        - secundariæ quæ distinguuntur ratione affectuum
          - Bonorum / Malorum
            - quos ratione materiæ & finis intendimus.
  - Verba quæ considero quatenus
    - Conjunctim sententiam respiciũt, idque ratione
      - Materiæ, ut sunt
        - Descriptiones
          - Periphrases,
          - Partium enumerationes,
          - Metaphoricæ locutiones.
        - Exaggerationes
          - Comparationes,
          - Contrariorum conflictiones,
          - Causarum effectus, inculcationes.
        - Provocationes ad
          - Deum
          - Homines,
          - Bruta
          - Inanimata,
          - Absentes.
      - Formę quatenus ornata
        - Interrogatione
        - Exclamatione
        - Apostrophe
        - Quæ figuræ peculiariter ad conclusionem pertinent.
    - Sigillatim, quatenus inserviunt
      - enumerationi, quæ varianda est synonymis.
      - Gravitati, ut
        - Gravia.
        - Sonantia.
        - Juncta Epithetis.

ctum continet: ad quæ dico & enumerationem & amplificationem dirigamus necesse est. Deinde in fine perorationis ad modum conclusioni faciendum, animadvertendum, an nobis vel causæ nostræ habeamus benevolos & faventes Iudices vel auditores, an secus. Si scimus nobis & causæ nostræ favere, conclusiones adhibendæ lenes, breves, ad elegantiam, & delectationem potius, quam figuras affectuum acriores compositæ, sine omni vel unius alteriusve argumenti enumeratione. Sin minus tota vis persuadendi, cum accurata (at elegantissima) repetitione argumentorum, & figuris affectuum, omnibusq; ornamentis in conclusione cum maxima verborum copia, conquirenda & adhibenda est.

MODVS proponendi seu tractandi, in materia quavis conclusionem, consistit in ENVMERATIONE, & AMPLIFICATIONE.

ENVMERATIO fit; quando argumenta orationis cursu proposita & amplificata repetimus, & quasi in unum congerimus, unde Quintil. lib. 6. cap. 1. Orat. Instit. ἀνακεφαλαίωσιν eam nominat.

In qua considerantur duo; quomodo fiat & in quibus fiat.

In primo observentur.

I. Vt argumẽta brevissimè repetãtur, quo proposita sunt ordine, & quasi per capita. Nam si immorabimur, *inquit Quintilianus dicto loco, non est enumeratio, sed altera quasi oratio.* Et si prolixè argumenta cum omnibus ornamẽtis repetimus, tædium excitat in auditoribus, estq; indicium ostẽtationis memoriæ.

II. Vt nõ omnia, neq; minima, sed principalia, eaq; in quib9 maxima vis psvadendi inest, repetamus.

III. Vt cum singulari elegãtia, gravitate, varietate, repetantur argumenta. Alias odiosa est repetitio.

IV. Vt in enumeratione argumentorum auditores consideremus, ut videamus, an illi, & quomodo repetitione egeant.

In secundo observandum, quod locum habeat repetitio argumentorũ in cõclusione quæstionum infinitarũ. In simplici quæstione quidẽ, ubi simpliciter docemus. Siquidem illa tractatio, ut ad Rhetoricã non ptinet, ita neq; Rhetorica amplificatio requiritur. Si tamẽ est mixta tractatio, & cum adhortatione cõjuncta: tum in cõclusione effecta repetere, & adhortatione concludere possumus.

In conjuncta quæstione, ubi quid sit disputamus. enumeratione non semper opus est, sed solũmodo adhortatione: ut rem hanc vel illam auditores observent, (si docti præsertim sint auditores, secus si indocti) In quæstione ubi qualitatem & præstantiam rei describimus, enumeratio vix locum habet. Qua memoriæ ita auditorum diffidere non debemus: ut, descriptionis & laudationis argumenta iteremus, & rem unam bis laudemus, & prædicemus, quod etiam tædiosum; quin & odiosum est planè; nisi rei faveant; secus quãdo ad-

do adhortationem, vel dehortationē adjungimus, ubi argumenta laudatoria, hisce adhortationibus repetita, breviter involvimus. Vbi verò ad actionem verba dirigimus, in quæstione infinita, tum repetimus argumenta impellentia, sed tamen breviter, per verba infra posita.

Observandum tamē maximopere, quod in quæstionibus infinitis, in quibus occupati sunt Cōcionatores, potissimum, vel unicè opus sit elegāti enumeratione & repetitione, in concionibus maximè, ubi rudi populo breviter capita concionis, & argumēta inculcāda sunt. Proinde Cōcionatores in hac parte diligentes esse debent, ut quanam elegantia conciones suas habuerint, eadem etiam claudant.

In quæstionibus, in laudationibus & vituperationibus generis demonstrativi, locum non habet enumeratio, & repetitio: quia loci tractationis in laudationibus, descriptionibus personarum, rerum, factorum, faciles sunt observatu, quos si Orator in conclusione repeteret, apertè diffidere videretur memoriæ auditorū, & prolixū, cum tædio maximo cōjunctū esset, cum multi sint loci. Proinde in hisce, cōclusiones constāt amplificatione, & affectus motione, sive misericordiā, sive amorē, sive cōtrarium movere velimus, & quod intēdimus ꝑsuadeamus.

In gratiarū actionibus autem, & gratulationibus (quæ materiæ ad genus demonstrativum quoque pertinent) repetitio argumentorum locum habet,

ſed brevis: unde RENOVATIO meritò dicitur: quæ brevibus renovare in animis auditorum videtur quæ ante dicta ſunt prolixè (quæ tamen aliquando etiam & ſæpè omittitur) cui annectitur Amplificatio ſive petitione, ſive quacunque alia figura affectum, quem intendimus, movente.

Tales Perorationes exempli loco videantur in Ciceronis orationibus ad Quirites poſt reditum: duabus poſt reditum. Pro Marco Marcello. Philip. 2. & aliis, *in quibus partim breuiſſimas repetitiones, gratiarum actiones partim petitiones, Studioſi oratoriæ inſtituere poterint, de ſimilibus concluſionibus conſcribendis.*

II. In ſuaſionibus generis deliberativi, perorationes prolixæ non requiruntur: ideoq; enumeratione opus vix erit. Quia in illis ab utili argumenta ſumpta, grata & accepta auditoribus: facilè inhærent, neque tanta argumentorum utilium copia eſt, quæ memoriam auditorum obtundere poſſit: ut ea viciſſim inculcemus. Exemplo ſit nobis peroratio pro C. Manilio, ubi ita concludit. Quæ cum ita ſint (omnia argumenta ſuaſionis intelligemus.) Dehinc laudat C. Manilij legem. Hortatur præterea, ut

in sententia permaneat. Tandem pollicetur sua studia: inde removet suspicionem; se non rogatu cujusquam facere, &c. *Sin verò enumeratio requiritur, brevissima illa sit, quod judicio Oratoris committendum puto.*

In consolationibus, commendationibus verò, & petitionibus (quæ materiæ quoque ad hoc genus pertinent) repetitio argumentorum & enumeratio locum non habent: sed petitiones adhortationes, & aliæ amplificationes, quæ affectum, quem volumus, in gratiam persuasionis movent.

III. In accusationibus generis judicialis, & defensionibus, præcipuum locum habet diligens enumeratio & repetitio argumentorum. Quia enim in accusationibus aut defensionibus causæ solent esse prolixæ (ut aliquot horas perorasse Oratores Romæ scribit Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 4. cap. 11.) & intricatæ & judices facilè possint obtundi, & implicari, multitudine & prolixitate argumentorum: itaque repetitiones & enumerationes hic dominantur, cujus repetitionis exemplum pro P. Quinctio extat: ubi argumenta repetit his vocabulis : Ostendi, docui, demonstravi, quæsivi, &c. ut & libro 3. in Verrem & alijs, *quæ lectioni & diligentiæ Studiosorum committo.*

Ad hanc enumerationem requiritur amplificatio, & affectuum motus, ut odium, indignationẽ, invidiam, amorem, misericordiam ex argumentorum circumstantijs, quantum possumus, eruamus. Quorum tamen exempla non addo: quia rariora sunt, & in Ciceronis lectione occurrunt, adq; specialem praxin referenda sunt.

In AMPLIFICATIONE *(quam ita nominamus: quia enumerationem plerumq; concludit, & auget, & affectum illi & ornatum addit: aliquãdo tamen & sæpißimè pe se epilogum, seu conclusionem constituit, quæ tamen eodem nomine veniet, quia non nova proferre, sed dicta augere cupimus) enumerationi motum addimus, &, quod in oratione probavimus & voluimus, inq; enumeratione renovavimus, ab auditoribus petimus, eosq; adhortamur vel jubemus, & vicißim pollicemur.*

Quatuor itaq; primariæ sunt amplificationis partes, PETITIO, ADHORTATIO, JUSSIO, *in ijs quæstionibus, ubi officij ratione orationem instituimus, quod amplificatione fit, quibus impetratis sequitur* POLLICITATIO. *His illud quod volumus ab auditoribus impetramus. Secundariæ seu adjuvantes sunt, quasi causa nostræ petitionis, vel adhortationis, quæ distribuuntur ratione affectus, quibus motis, facilius nos impe-*

traturos

naturos speramus. quod petimus, adhortamur, jubemus, ut alij sunt læti, tristes, boni, mali, ad quos accommodamus figuras affectuum in capite 9. expositas, quas hic revocare operæprecium non ducimus. Hæc concludimus effectu quasi pollicitatione, quæ est vel publicæ rei, vel privatæ, nobis vel alijs, q si hoc vel illud fecerint, maximũ emolumẽtũ non nobis saltem, sed & toti Reipub. oriturũ sit: ubi adhibemus gradationẽ, ad bona non tãtum hæc, verum etiam ad futura bona, in vita æterna nobis sunt adjumẽta futura, &c. q cõcionatorib. usitatũ solet esse.

Quæ omnia cum secundum materiæ rationem consideravit oratoriæ studiosus, non minor cura incumbit, in consideratione verborum, quæ sunt quasi rerum anima, ad quæ una cum rebus pronunciatio & gestus composita esse debent.

In verbis itaq; attendo: Principia, quatenus vel conjuncta in sententia gravitatem habent, & animos auditorum afficiunt, aculeumq; relinquũt: Et huc faciunt:

1. Oratoriæ descriptiones, & quasi conglobatæ, ut quod uno vocabulo exprimere possumus, plurimis exprimamus, & describamus, ut exempla sunt passim apud Ciceronem: ut, cum potuisset breviter dicere: Vidimus incendi curiam: ut rem augeret, & magis commoveret auditores, dixit: Vidimus templum sanctitatis, amplitudinis,

mentis, consilij publici, caput urbis, animam sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam, uni ordini inflammari, excindi, funestari. *2. Si quod totum seu universum dici potuisset, illud in suas partes deducitur. 3. Metaphoricæ locutiones.*

II. Exaggeratio, quæ potissimam vim & efficaciam habet in Conclusionibus. Proinde diligenter præcepta de Exaggeratione hic notanda: præsertim quæ fit per comparationem contrariorum, & effectorum, eorundem inculcationem (quibus descriptiones omnium addendæ, ne nudè & uno vocabulo exprimantur.

III. Maximam quoque vim & efficaciam, ut & elegantiam habet PROVOCATIO, quæ in figuris affectuum προσωποποιΐα *dicitur, quando argumentis nostris probatis, & (quando locus & necessitas est) iteratis, provocamus ad DEum, homines bruta, & animata, absentia, præsentia, quæcunque sunt: ut sunt vel testes hujus rei, vel animadvertant in hoc tantum scelus, vel ut misereantur, & ut:* Nisi hoc feceritis, te DEus qui omnia cernis, qui hæc tanta facinora vides, in vindictam imploro, invoco, tu, tu, penes quem summa potestas, non sines

hoc in-

hoc inultum, certè scio. *Ad bruta vel alia provocamus per* προσωποποιΐαν, *ubi inanimatis affectum quendam vel sermonem affingimus: vel simpliciter, ut:* Hi parietes, hæc ædificia, ipse mundus vestra scelera deplorabit, vos accusabit: *vel cum comparatione vel collatione:* At vos homines, tam sicci estis tam duri; ut non commoveamini ullis adhortationibus: en cœlum ipsum vestra peccata deplorat: Si hi parietes (vel alia res quævis, ad quam ob circumstantias cognatas loci, temporis, provocare possumus) possent, vestra hæc scelera non tantum culparent, sed & lachrymis & singultibus futuras pœnas, quæ jam vestigia vestra premunt, & tanquam umbra sequuntur plorarent. *Sic de aliis affectibus simile judicium esto. Has figuras conclusioni convenientes, movent, animamque quasi addunt, ut efficaciores sint, & magis penetrent animos auditorum.*

I. Interrogatio.

II. Exclamatio.

III. Apostrophe si nimirum omnes simul adhibentur, in conclusionibus vehementioribus. Et conjunguntur interrogatio cum Apostrophe, addita aliquando exclamatione, ut: Quibus oculis

 ô despe-

ô desperatæ salutis homines, vos vos cõpello, Deum vestra hæc peccata aspicere putatis, quo animo ferre existimatis? *Præsertim in indignatione, ira, odio, invidia excitandis. Si sigillatim adhibentur, solent leniorem efficere conclusionem, nec tantam habent efficaciam, (quamvis etiam in indignatione ratione auditorum, quod ad modum jam monstratum considerari debent,) & præsertim in misericordia movenda locum habent. Ad quem finem elegans est conclusio, in elegantissima, & omnibus oratoriæ flosculis ornata oratione, pro Milone, quam exẽpli loco huc vocandam svadeo oratoriæ Studiosis. In illis figuris adhibendis, quilibet sibi modum ab accurato suo judicio præscribat, quomodo, quoties, quibus affectibus exprimendis movere voluerit, omnibus enim ex æquo inserviunt.*

Vel sigillatim, quatenus nimirum vel inserviunt enumerationi, seu repetitioni argumentorum.

De quibus notandum:

I. Ne fiant per numeros ordinis, primum, secundum, tertium: id enim minus oratorium esse, jam antea dictum est; præsertim in conclusione, ubi cum gravitate omnia proferri debent.

II. Quod vocabula nõ debeant esse eadem, quib⁹ repetuntur argumenta, sed conquirenda synonyma, quibus rem & repetere & concludere possumus,

mus, ut: *audivistis, cognovistis, percepistis, auribus vestris hausistis.* Item alijs vocabulis: *Ostendi, demonstravi, docui, alia adhibui: ut in Oratione pro L. Quinctio ejusmodi connexionis exemplum est.*

III. Notandum, quod adhibeantur aliquando figuræ jam dictæ, illis enumerationibus. Sed tamen rarius. Aut gravitati rerum, quæ maximè, si in ulla parte, in conclusione requiritur. De qua quamvis antea in capite octavo, in requisitis verborum rebus convenientium, dictum sit: tamen huc vicissim revocanda, ut sciat Studiosus oratoriæ:

I. Vocabula gravissima esse debere, quæ non modo rei gravitatem adæquent; sed etiam superent, habeantque *justam* & quantitatem & qualitatem cum rebus; ideoque verba composita, significationem augentia, nomina superlativa, comparativa sæpè, aliquando pro positivis etiam usurpanda.

II. Sonantia, Vocalibus sonum pleniorem formantibus a & o constantia.

III. Sæpè iterata & repetita vocabula per ἐπίζευξιν in lenioribus, vel ἐπιμονὴν in acrioribus affectibus, ut in capite 8. dictum.

IV. Potissimum dispiciendum Oratori, ut crebra, propria, augentia, gravia Epitheta addat nominibus, verba quoque Metonymica, Metaphorica adhibeat.

V. Si plura (quod requiritur) verba conjungimus, gradationem manifestam habeant.

Atque hæc omnia, quæ de formanda conclusione diximus, maximum requirunt judicium Oratoris.

ris. Oratio enim si apta, concinna, efficaci constat peroratione, quæ Oratoris apta pronunciatione & gestibus convenientibus ornatà sit, gratiam meretur, & si maximè in decursu illius, quicquam peccatum sit in auditorum spem, de oratione conceptam: tamen illa omnia vicissim eluit, finemque quem voluit Orator consequitur. Proinde præcepta hæc judicio Oratoris vero subijcienda videntur, qui, quantum videtur. mutet demat, *ad auditorum affectum compositus. Satis, â nobis illa proposuisse in praxi nostra.*

CAPUT XVI.

De Oratione habenda, seu memoria.

ABsolutis omnibus, quantum instituti nostri ratio flagitavit, quæ ad orationis partes omnes constituendas & formandas facere visa sunt, necesse est ut tandem monstremus, quomodo ea de cathedra in hominum aures & animos producantur. Nam non minus est necessarium: ut præcepta conscribantur, quomodo habenda sit, quam quomodo conscribenda & formanda. Licet enim optima in chartam conscripta oratio esset, malè tamen in publicum proferretur, gratiam omnem & elegantiam amitteret.

Postquam itaque ad prædicta præcepta orationem conscripsit oratoriæ studiosus, proximè sollicitus esse debet, quomodo eandem instituat, & Auditoribus, cum dignitate communicet.

Duobus

Duobus autem intermediis id fieri potest, pronunciatione, gestibus, & memoria: quorum illa 9. capite consilio bono tractavimus: hanc hoc capite tractaturi.

Etsi autem hic mos omnes scholas, omnesq; Academias ferè pervagatus sit; seu morbus infecit potius, ut pleriq; memoriam planissimè negligentes, cõscriptas orationes ex charta illicò legant: Idque non studiosi tantum (quibus tamen minimè concedendum) sed etiam majoris conditionis homines: ut de memoria multa præcipere operæ precium non existiment: illi, qui ejusdem lectam & recitatam orationem æstimant, tamen, cum à veteri consvetudine, & judicio veterum Oratorum imò ab ipsa eloquentia hoc vitium procul remotum sit; neque probare: neque quin aliquid de memoria tractem avocari possum.

Etenim, cum secundum Ciceronem lib. 1. de Oratore. Memoria sit thesaurus rerum omnium, sine quo etiam præclarissima in Oratore peritura sint, *& secundum Quintilianum Inst. Orat. lib. 11. cap. 2.* memoria thesaurus sit eloquentiæ; *&* illi soli sciant, qui memoria vigent, quid & quatenus & quomodo dicturi sunt, *ut idem Cicero scribit. Quomodo, quæso, Orator est, vel eloquens, qui memoria*

memoria destitutus, suas ex charta legat orationes. Hac enim si caret, I. Non potest, chartæ oculis infixus, auditores cõtueri; quos tamen ille cõpellare sæpissimè, imò quibus orationẽ suam offerre debet. II. Non potest pronunciationis ornamenta adhibere, cum magis cogitationibus chartæ, & lectioni inhærere, ne erret, cogatur, quam ut liber moderationi vocis intentus sit.

III. Gestibus quoque ornare, & auditoribus quasi ingerere orationem, non potest ille, quem & manus, & oculi, caputque, corpusque totum chartæ affixa sollicitum habent; ut magis, quomodo lineas numerare, folia vertere; interrupta subinde verba colligere, obscurè scripta eruere possit, quam ut verba gestibus convenientibus adjuvẽtur, cogitat.

IV. Nec minus affectus movere potest, qui ex animo, non ex charta profecti, auditores afficiũt & cõmovent. Impossibile enim est eum ex animo verba fundere posse, qui eadem mente non tenet; sed quasi ex alieno loquitur.

V. Quia denique parum gratiæ habet apud auditores, tam doctos, quam indoctos, lecta Oratio: ideoque finem neque internum benedicere, neque externũ persuadere, cujus gratia orationem habuit, consequitur.

Cum itaque sola memoria hæc suppeditet, quæ lectio

ctio adimit. Quis non summè necessariam esse Oratori memoriam statuat? Quare probare nullus debet morem studiosorum, qui se in Eloquentiæ studio exercentes orationes suas ex charta legunt: neq; illos, qui publicas, easq; solennes orationes, in honorem magnorum virorum, instituunt, vel alios in Academijs docent, ut suo exemplo studiosos ab hac memoriæ cultura, & eloquētiæ maximo adminiculo avocēt. Sin verò, vel multis occupationibus obruti, vel angustia temporis exclusi, ut neq; otium, neq; meditandi spacium concedatur, vel deniq; vis illa & vigor ingenij ætatis morbo deferbuit, & defloruit; non invitè veniam mereri possunt, si ex charta orationes suas legant. Quia verò non omnibus hoc beneficium memoriæ naturâ datum, ut prolixas orationes capiant, easq; reddere poßint: ideoq; breviculas orationes conscribāt, easq; memoriæ mandent. Non enim seculum nostrum tam prolixas approbavit orationes, nec in foro agendis causis: ut apud Romanos, eloquentia inservit. Sed in publicis comitijs, alijsq; conventibus gaudet laconismo, quæ rerum capita breviter, & nervosè proponenda constringat, & tribus, quod dicitur, auditorium absolvat:

Aula breves vestes & breve carmen amat.

Cum itaq; tam necessarium sit memoria, in

Oratore

Oratore requisitum, tantum ornamento; de eo hoc loco considerabimus.

I. Quomodo memoria comparetur.

II. Quomodo omnem orationem compendiosè memoriæ mandemus, & vicissim ex eadem depromamus.

Principio memoriam duplicem statuit Cicero lib. 3. ad Herenn. lib. 2. de Oratore & alibi. Quintilianus lib. 11. cap. 2. Vnam naturalem alteram artificialem. Quarum illa est vis naturâ insita, sensibus externis apprehensa, & cognita, intellectu retinendi, & quoties opus erit reddendi: *Seu, ut Cicero dicto loco inquit: Quæ animis nostris insita, & simul cum cogitatione nata.* Artificiosa est, quæ arte naturam internè conformante, vel externè adjuvante, ascita: *Seu ut Cicero inquit, quam confirmat inductio quædam vel ratio præceptionis. Hæc memoria est duplex, quatenus, aut medicamentis naturam juvantibus, vel corrigentibus præparatur, vel quatenus fit externis impressionibus. De hac agit dicto loco, Cicero & Quintilianus, monstratque, quod per loca & imagines, in ædes & loca alia, imaginatione collocatas comparetur; ut rem quam discere cupimus, sive etiam vocabula innumera formemus ad imaginem, alicuius*

cuius animalis vel cuiuscunq; rei, quæ similitudinem cum eo quod discere volumus habet, & collotemus in locum aliquem: in infinitum multas res alias, ut finita loca sint, ut: Si illa vocabula nuda recitatione arripere vellet, Homo, brachium, manus, flagellum, sus, tonna, aqua, arena, vermes. *Fingat sibi hominem extenso bracchio, manu tenentem flagellum, percutientem suem, quæ tonnam impletam aqua, arena admixta invertat, in cujus fundo vermes essent. Sic facilè illa vocabula, & sic alia, ad alias imagines possint retineri imò res quævis, vel integra volumina; omnium autem facilimè sibi quisq; imagines orationum laudatoriarum, in genere Demonstrativo fingere, ad earumq; impressiones recitare potest: Quæ ars multos semper habuit, sectatores, qui eius beneficio multum præstitisse dicuntur. Modum comparandi perspicuè præscribit Spangenbergius in libello quodam de artificiosa memoria. Ast plurimi magni nominis viri, non magni æstimant hoc exercitium & artificium. Imò ipse Quintilianus quanti æstimet, patet ex dicto capite dum inquit:* plus quam firma debet esse memoria, quæ alteram adjuvet, *Non obscurè innuens parum posse artificialem memoriam; nisi adjuvetur à memoria naturali.*

Si me quæris, quanti ego artificialem memoriam æstimem, quam invitè ſententiam meam extorques: tamen, cum tanta res non ſit; ut ſi erravero, de capite agatur meo comitia: neq; pro hoc peccato centum ducam uxores: dico: me quidem, dum admodum eſſem adoleſcens, incidiſſe in libellum Spangenbergij de memoria artificioſa, qui, cum artificium hoc mihi eſſet commendatum, primum arriſit, ob perſpicuitatem & facilitatem, quæ videtur hic libellus polliceri; ut inde aliquid operæ poſuerim in hæc phantaſmata, & ad multorum vocabulorum memoriam artifitium hoc perduxerim. Verum perſvaſus ab aliis, cognita difficultate præſertim deſiderata ſumma, quæ id ætatis in me non erat, ingenij ſagacitate fingendi, ejuſmodi rebus convenientes imagines, pauiatim ardor illius artificij deferbuit; donec tandem illud abijcerem exercitium. Neque facti me pænitet. Siquidem cum conſideramus difficultatem rei, tam in locorum diſpoſitione, collocatione, & mutatione; quam imaginũ fictione: in oratione, quæ non tantum ſimplices aliquas res, & ſubſtantias, ſed varia accidentia, varios affectus, quæ ſub imaginem vel prorſus non, vel ſub re, difficilimè cadunt, continet, qui periculum facit, facilè intelligit in

rerum

rerum imaginationibus majores esse molestias, labores subeundos, quam utilitatem ferat.

Nam, licet exantlatis laboribus, plurima sub imaginibus comprehendimus, & memoria tenemus; tamen in habitum, quæ hoc medio, & compendio didicimus, ut ea difficulter dediscere non possumus, non abeunt. Siquidem, si imagines illas non recolimus, singulis mensibus, acceditque rerum peregrinarum cura, aliæque sollicitudines, facilimè evanescant imagines, & ita res ipsa, quæ sub his imaginibus latuit, quamvis perfectissima antea cognita erat, elabitur. Multitudine namque obruitur, ut dum infinitis alijs vicissim intenta est imaginibus memoria, infinitæ aliæ pereant; nisi rara naturalis memoriæ tenacitas, suppetias eat, &, quæ percepta erant, sustentet. Quantus verò labor est omnia tàm sæpè repetere.

Accedit & hoc, quod, si maximis laboribus, & multis speculationibus, & fictionibus imaginũ aliquid præstet, memoria multitudine rerum obruta, ad deliria tandem redigatur: dum in perpetuis semper versatur speculationibus, & contemplationibus imaginum, maximo locorum intervallo dissitarum, quas si non aspicit, de novo quasi fingere cogitur; ubi sæpissimè ad intermedia loca avocatur: ut in ipsa imaginum reminiscentia quod-

dam delirium sit; si præsertim est diuturnum, & multitudo imaginum suppetit; ut artem obliviscendi cum Themistocle sibi à Simonide, qui huius artis inventor scribitur, à Quintiliano, Polydoro Virgilio, lib. 2. de Invent. Rerum cap 9. vel alio docto homine, ut Cic. 2. de Orat. & aliis, offerri optaret.

Tandem etiam multarum, & infinitarum rerum memoriam artificialem, comitatur judicij inopia: nisi natura valuerit homo. Non enim ille, qui infinitas res memoria tenet, & suis tantum fidit imaginibus, de infinitis rebus judicare potest: nisi judicij sibi quoque imagines fingat. Quod, est ne ferendi laboris & molestiæ?

Postremo, cum finis nostrorum studiorum non in infinitam rerum omnium cognitionem & memoriam recitationemque inanem: sed in usum Scholarū, & Ecclesiæ Dei, vel Reipub. directus sit: Quis non potius propositarum artium cognitionem memoriæ naturali exercitatione excultæ traderet, ex illaq́ue in finem sibi propositum sæpissimè promeret.

Quantum autem colligere possumus, ex Rhetorum proposito, nullam aliam ob causam illi de hoc artificio præcipiunt, quam eloquentiæ studio promovendo. Cum enim Romæ in judiciis prolixas

admodum actiones instituerant Oratores, quæ sine alio adminiculo difficulter potuerint memoriter recitari. Itaq; hoc compendio utendum esse voluerunt Rhetores: ut actiones, & causas in certos locos, in curia collocarent, & imaginib. includerent. Quod factu facilè erat. Si quidem & personas præsentes, plerumq; habuerunt, de quibus perorarunt, tanquam reales imagines. Et in hac parte, sicut etiam in orationibus laudatoriis admittendam esse quis negaret.

Si, inquam, quæris, quid de memoria hac artificiali sentiam: ignoscas mihi, si publice tibi non dixero, mutavi dum hæc tecum fabulatus sum, sententiam. Sin vis, domi tecum agam, & in aurem dicam. Sunt enim qui beneficio huius artificij aliquid præstiterunt, in uno præsertim, & altero libro, quos ne offendam cautio mihi est, quia non meruerunt: quia non superstitiosè hac utuntur arte.

Cui tamen huius arificij pertinax est studium, ut majorem speret inde utilitatem se percepturum; quam devovet molestias: non invideo; si præter veteres legat Spangenbergium, Hieronymum Marafrotum, Ioh. Sp: Herd. qui per quæstiones perspicuè hanc artem docere videtur. Iohannem Austriacum, Hieronymum Megiserũ, & alios, de quibus hic nihil judicabo. Y 3 Lullis

Lullisticas artes, memoriamque cum suis literis, circulis, & characteribus superstitioni suæ relinquo, cum multi magni viri eadem reÿciant, retineantq; sibi Trithemÿ, Cornelÿ, Scalichÿ cum suo Lullo.

Est præterea memoria artificialis, quæ medicamentis præparatur: de qua multi medici scribunt: præter Gvilhelmum Grataroluim tamen nullum penitus legi: ubi vel debilitatam restituimus, vel vigentem confirmamus medicamentis. Quomodo illud, & qua ratione fiat, medicis relinquo.

Non alienum autem duxi, quædam huc transscribere ex prædicto medico: cum medicorum libri rarò versentur in studiosorum manibus, propter eos adolescentes, qui nullius rei curam minorem, quam cerebri & memoriæ gerunt; ut sciant quid cavere debeant: ne memoriam debilitantes, medicorum opem implorare cogantur.

Debilitatur autem memoria nimia humiditate & frigiditate: sic etiam nimia siccitate & caliditate, & præcipuè juvenum memoria, oriturque uno vocabulo debilitas, ex Intemperantia cibi, potus, & Veneris, & ab externa frigiditate.

Quare secundum medicum ante dictum:

I. *Cavere oportet in universum cruditates tanquam*

quam rationi insensißimas, & toti corpori (Fugienda ergo illa quæ producunt cruditates, quæ sint vel nimia, vel inconvenientia naturæ.)

II. Plurima vini, præsertim potentis (puta malv[illegible]ici & ejus generis) potio pessima est. Vehementer enim humectat caput, ac ferè nihil æquè oblivionem inducit, quam superflua humiditas.

III. Exterior excedens frigiditas lædit memoriam, præcipuè nocturna: propter coperturam capitis. Ire per lutum temporibus frigidis, ac nudis pedibus præ cæteris cerebrum lædit, & infrigidat, oculosq; debilitat.

IV. Caliditas intensa valdè, quandoq; perturbat rationem, & memoriam lædit.

V. Ciborum fumosorum commestio, & potus, & alliorum, porcorum, caprarum: item casei & leguminum, omniaque nimis humida, fugienda; præsertim vesperi, omnis etiam mala masticatio prava est.

VI. Potus post commestionem, dum cibi fit concoctio eam interrumpens, præsertim à cœna, memoriæ cerebroque valde nocet.

VII. Quies superflua calorem debilitat, superfluitates retinet, & aggravat, ideoque lædit memoriam.

 VIII. Se-

VIII. Somnus cibo propinquus, antequam scilicet descenderit cibus ad ventriculi fundum, infensissimus. Sit igitur post duas horas: ac capite elevato & cooperto fiat: non tamen superflue.

Quia nimia coopertura, vel caput debilitat resolvendo, vel replet attrahendo.

IX. Nocet frequens usus Veneris. Quare omnino Adolescentibus fugienda, tanquam præsentissima studiorum pestis, & impedimentum.

X. Dormire calceatis pedibus memoriam impedit, ob vaporum reflexum: visum debilitat, & corpus æstuare facit.

XI. Crudæ herbæ comestæ, multum nocent memoriæ.

XII. Videre & audire non placentia animo, id est, curæ, ægritudines, & hujuscemodi animi symptomata.

XIII. Metus premit memoriam, vel tristitia perseverans nocet, & cura rei familiaris sollicita:

XIV. Somnus immoderatus, & vomitus laboriosus.

Addo, quod natura dictitat, temperanter vivere, & res non naturales cum moderatione servare. Sed illa ad medicinam pertinent.

In praxi Rhetorica & exercitio Oratorio, ex illis

illis quæ secundum opinionem prædicti medici dicta sunt, quilibet intelligere potest, quomodo memoriam conservare possit.

Dicto itaq; modo conservato memoriæ thesauro, & relictis reliquis memoriæ subsidijs, illam quæ natura nobis concessa est; quantulacunq; illa sit, in precio habeamus, excolamus, & confirmemus, ut, quodcunq; legit, audit, apprehendere celeriter, & retinere tenaciter possit.

Hoc, quomodo fieri possit. lib. 1. de Oratore docet dicendi magister & artifex, dum inquit: Exercenda est memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis, & nostris scriptis & alienis. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione, & umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atq; arcem forensem, subeundus usus omnium, & periclitandæ vires ingenij, & illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est.

Ex quibus Ciceronis verbis colligimus primo; exercendam esse memoriam, discendo creberrimè, imò quotidie ea, quæ vel ipsi composuimus, vel ex alijs legimus & selegimus.

Secundò, ut non in perpetuum nobis delitescamus, & discamus domi: sed etiam in publicum

prodeamus, & aliorum judicio nos subijciamis. In primo hoc Præceptoris munus est, ut antea in principio dictum, hic tamen vicissim dicendum, ut eo adigat discipulos, quo omnia lectionibus proposita, repetitionibus crebris inculcata, fidelissimè perfectissimèq; discant.

Proinde improbanda est illa consuetudo, illiq; Præceptores, qui pueros multis dictatis onerant: ut si totos in scribendo noctesque diesque occupantes, nihil memoriæ mandent, sed omnia chartæ credant; unde memoria non excolitur, sed paulatim stupescit.

Singulis itaq; (meum est, & omnium sapientum Rhetorum consilium) diebus, studiosus adolescens, aliquid memoriæ mandet, initio quidem, quæ facilora & breviora sunt, utpote certis numeris alligata carmina, quæ primò intuitu memoriæ arrident. & inhærent facilimè, (si nimirum numerorum rationem antea cognovit, alias difficiliora sint, quam soluta.) Valdè probatur mihi ille mos & consvetudo: ubi pueri in recitandis versibus secundum ordinem Alphabeti, vel in quamcunq; literam desinat versus: ut ab eadem alius incipiat, alium versum, quæ mutua recitatio mirificè excolit memoriam.

Deinde

Deinde paulatim ea, quæ largiora & difficiliora sunt, ut est soluta oratio, præsertim quæ non nota est, quæque Periodos prolixas, & circumlocutiones habet; ut hac ratione memoria nostra longis periodis, assuefacta, in oratione prolixas periodos claudere discat. Præsertim verò in græcis discendis multum operæ ponat, & diligentiæ, quæ memoriam nostram confirmant & augent maximè.

His demum adjungendæ sunt nostræ compositiones: sive carmina, sive orationes, quæ nobiscum ruminemus & subinde iteremus. Illa autem sive aliena sive nostra fuerunt non semel atque iterum aspicienda & discenda sunt, sed tantisper repetenda: ut in habitum abeant. Quæ enim perfunctoriè discuntur, & cum hæsitatione recitantur, illa eò negligentiùs recitantur, ut linguæ balbutiei vitium addant, & memoriam hebetem reddant.

Postquam se intra privatos parietes exercuit & excoluit memoriam, ad præceptum Ciceronis in publicum prodeat, & primo inter paucos, ingenij memoriaq; suæ vires, sub aliorum censura periclitetur: ut & audacior reddatur contra metum, qui ex conspectu hominum oriens, memoriam adimere cum omni oratione solet, & quod sibi desit ex alio audiat & corrigat.

Cum

Cum enim sibi quisq; maximè placeat, vitia in sermonibus, & gestibus animadvertere nemo potest, & nisi subeat tempestivè aliorum judicium & cēsuram: linguæ & gestibus vitio addito, & cōsvetudine confirmato, nunquam desvescere potest, vel admodum difficulter. Vnde videmus multos pastores, gemitibus inconvenientibus, & perpetuis gesticulationibus, & aliis vitiis assvefactos, planè aures auditorum offendere, & concionem etiam elegantissimam deformare.

Sequitur jam quomodo Orationem nostram compendiosè memoriæ mandemus, & recitemus, si nimirum ad sequētes observationes attendimus.

I. Vt habiturus memoriter orationem lingva expeditus, & verborum copia instructus sit, ut, si quando tam tenacis & præsentis memoriæ non sit: ut eadem verba, quibus orationem inclusit, retinere possit; in promptu habeat similia, quibus rem eandem exprimat: ne vel in verbis hæsitet, vel prorsus obmutescat, & verborum inopia, & rerum memoriam præcludat.

II. Vt materiæ vim totam cognoscat, non tantum quæ in orationem relata, sed etiam quæ possint referri, ut, si quando ejus argumentum nos fugit, memoria aliud in promptu habeat: Et huc facit illud Poëtæ.

Verbaq; provisam rem non invita sequuntur.
Præsertim in concionibus habendis, ubi non datur spa-

tur spatium singularis meditationis ad quævis verba notanda.

III. Vt dispositionis omnes articulos sciamus, idque non tantum generalis, sed etiam specialis, & specialissimæ: Quo ordine quomodo simus dicturi. Vt illi memoria nostra, quasi clavo infixa sit; ut sciat quomodo res ex re, argumentum ex argumento fluat, sitque quasi filum Ariadnæ, quo in ambiguo verborũ & exornationis atrio, ad portum ducamur. Nisi enim memoria nostra ad generalem quasi rei, & continuum catenatumque nexum alligata sit; ut probè noscat, quo ordine se invicem partes, deinde partium argumenta sequantur, facilè labi potest, ut nesciat, quo se expedire in orationis cursu possit, sed quasi tricis injectis hæreat prorsus, vel quasi per saltum orationem ad finem perducat. Quod illis solet evenire (nisi memoriæ præstantia valeant) qui orationes, aut conciones aliunde transcriptas, vel integras memoriæ mandent, vel argumenta hinc inde collecta orationi, vel concioni suæ infarciant. Quare hinc videmus, quam necessarium sit Oratori, vel Concionatori, artis præcepta ad ungvem cognita habere, quæ maximè memoriam juvant: Suntque instar basis & fulcri, cui possit illa inniti, & lapsa se vicissim erigere.

IV. Vt hoc fundamento memoriæ nostræ posito, amplificationis locos memoriæ teneamus, non tantum ex quibus oratio nostra crevit: Verumetiam ornata sit, & motum accepit (sunt enim ex eodem fundamento) quæ ut facilius capiamus, & memoriæ nostræ adminiculum habeat, omnium

locorum

locorum, certæ & generales formulæ infigendæ sunt memoriæ, quæ quasi adstantes Oratorem in cursu retinent. Faciunt enim hæ generales formulæ, non tantum ad hanc orationem habendam; verum etiam ad alias: propterea subinde repetendæ sunt, donec in omnium locorum formulis expeditissimi simus.

V. Si tamen memoriæ nostræ diffidimus, & metuimus, omnium argumentorum sub recitatione, omniumque, periodorum recordationem: Ponamus memoriæ nostræ quasi breves terminos & diverticula; unde ab uno ad alium locum tendere, & sic ad finem pervenire possit: Hoc est: signemus certas & notabiliores periodos; ubi quasi diversa oratio, vel argumentum aliquod, in quo maxima vis inest, incipiat. Illarumque principia nobis infigamus memoriæ: ut principia illa periodorum ad ungvem recitare possimus. Sic non facilè, nisi labilis admodum memoria sit, vel alijs cogitationibus distrahatur, errare & hallucinari vel prorsus obmutescere potest. Habet enim orationem integram ceu in certis figuris, & brevibus notis imaginem ad quam si semel aut iterum transcurrit, perfectum illius acquirit habitum. Memoria enim nostra, ut & ingenium, ita comparata est: ut ad nova singularia signataque attenta sit. Vnde etiam, quæ cito arripere, & retinere voluimus hoc signum NB. asscribimus, quod signū si aspicimus facilè illorum, quæ hoc signo notavimus recordamur.

VI. Cavebimus (quantum quidem orationis

copia

copia & flumen permittit) ne nimis prolixas faciamus periodos: ut verbum, quod periodum claudere debeat, longè separetur ab altero constructionis membro, multis circuitionibus, & anfractibus interpositis, item parenthesibus longis insertis. Quia ut sunt obscura, suspensosque vel intricatos reddunt auditorum animos: ita memoriam turbant, & implicant: ut vel quomodo concludere debeant, nesciant, vel inconvenienter claudant: quod in periodis maximum vitium est, cum instar circuli esse debeant. Si enim quasi ad pronum verborum certum sensum non referentium circumagitur memoria cursum, illis occupata, termini qui semper in omnibus periodi partibus spectandus est, obliviscitur: vel saltem hallucinatur, quod omnem auditorum gratiam adimit.

Est præterea ostentationis signum nimijs uti circumlocutionibus & verborum luxuria. si vel maxima ingenij bonitas, memoriæ tenacitas talem comprehenderet copiam.

VII. Vitanda etiam nimia commotio animi nimijque clamores, & nimij motus, indignatio, quibus memoria turbatur, & cogitationes dissipantur, quasi, ut quomodo orationem continuare debeamus, vel prorsus ignoremus, vel hallucinemur.

VIII. Cum habenda est oratio caveamus, ne pridie obruamus nos, & inebriemur vino vel cerevisia: quia postero die, licet aliquantulum edormivimus, & exhalavimus crapulam: tamen cerebrum vaporibus reliquis turbatum, & cogitatationes, memoriæ admi-

micula,

nicula, dissipatæ sunt (si maximè ad vomitum laboriosum, & difficilẽ quis potavit) lingvaq; ut plurimũ fit balbutiens, & plerũq; post ingurgitationes ejusmodi multum sputi influens in os, & pituitæ copia, ex cerebro descendens, ejicienda, interrumpunt crebro orationem, & non tædium sed nauseam creant auditoribus. Et quamvis multi exebrij egregia valent memoria; ut vino repleti ad summum, splendidas possint habere orationes, ut illis post pocula fluat sermo: tamẽ non sunt laudãdi, quod naturæ præstantiam corrumpant, & rem seriam cum summa attẽtione & reverentia præstandam (præcipuè conciones) tam ludibrio exponant. Et quantum tales Oratores efficiant res ipsa docet.

IX. Habiturus orationem omnibus se exsolvat curis, & sollicitudinibus alijs; ne cogitationes & meditationes privatim distrahantur, & publicè à proposita oratione avocentur: titubet lingva, quo minus cœptam orationis telam texere & absolvere possit. Non enim magis impedit memoriam, & corrumpit, quam curæ, & cogitationes peregrinæ, si præsertim cum anxietate, tristitia, & mœrore conjuncta sunt, & ex re domestica oriuntur.

Atq; hæc sunt, quæ de habenda oratione & memoria in praxi hac Rhetorices communicare volui. Quæ enim mihi aliquando adjumento fuerunt, quod sint alijs futura omnino spero, sin minus, quid mihi conducat, indicasse tamen gratum lectori benevolo erit.

CAPVT

CAPUT XVII.

De oratione sine præmeditatione habenda.

NIhil magis eloquentiæ proprium est; quam ut maturo judicio, rerum omnium momenta: verborum omnium apices ponderemus: orationem ingenio erudito meditemur; industria elaboremus; nihilque magis repugnat eidem; quam temeraria, & non cogitatione parata, verborum profusio & loquacitas. Ideoque qui oratoriæ operam navare vult; & animum ad eloquentiam applicavit, hoc agere ante omnia debet: ut maturo judicio, meditatione assidua, omnia componat, antequam in cathedram promat, &, uti magna res est, & ardua eloquentia; ita magno studio, summo ardore, ad eam adspiret, summum discrimen æstimans, inter inanem & temerariam loquacitatem & veram eloquentiam. Ut proinde non videatur ex re & usu eloquentiæ, suadere ut quisquam orationes suas non diligentissime præmeditetur antequam in in publicum prodeat, multo minus eloquentiæ conveniens esse, ut præcepta præscribat; quomodo quis sine præmeditatione orationem habere debeat.

Et sanè si in hanc sententiam ab aliquo præcepta præscriberentur, de extemporali, ut vulgò vocant facundia, temerarius ipse esset, & futilis, qui artem tam præstantem, tam arduam, tam difficilem, hominibus natura loquaculis, præstitueret, & viam tam facilem ad eloquentiam nobilissimam, stultè admodum affectandam, à quoquam, monstrare conaretur, qua nullus unquam vel umbram Eloquentiæ attinget: verum in aliam sententiam hæc vergunt: In alium usum sunt convertenda præcepta.

Si, inquam, aliquando quod, sæpissimè fit, aliquis, cui officium, vel muneris ratio personam Oratoris imponit, vel temporis angustiâ, vel negotiorum multitudine, vel ægritudine, vel imbecillitate valetudinis, vel mille modis humanæ fortunæ à meditationis sufficientis spacio exclusus, suggestum vel cathedram ascendere, & orationem, vel aliam quamcunq; parænesin fundere cogatur: huic compendiosa monstratur via,

qua ad debita muneri suo solvenda, pervenire possit. Absque hoc, temerarius est, & propè dissolutus, qui non assiduo studio orationes & conciones suas præmeditatur; Sed loquacitati suę fidens, eas effundit, & effutit, quasi verba rebus vacua, & inanem saltem sonum, & crepitacula linguæ spirantia, ut Germani nostri Proverbio habent: Wenn einer eine Predigt auß dem Ermel schüttet. Quæ vox in nullius ore audiri deberet, ut res tam sacrosancta ludibrio exponeretur.

Quem itaq; officij ratio, & multitudo laborum, adhoc componendum adigit: ante omnia id agere debet, ut primo generalia hæc attendat.

1. Promptam reddat linguã, exercitatione multa, ne illa titubet; neve sermonem interrumpat. Illud enim dedecori est: Oratori, & orationem interturbat. Hoc ut quis consequatur assvescat tardæ in omnibus sermonib. & colloquijs pronunciationi, & quamvis arrogans & superbum aliis videatur: maximè tamen promptitudinem linguæ juvat.

2. Vt memoriam habeat excultam; ingenium excitatum, id enim, ut in omni docto requiritur; ita præcipuè in Oratore, & illo, qui sine præmeditatione orationem habiturus est.

3. In illa lingua, qua orationem habiturus est, excultus sit: ut res omnes exprimere non tantum: verum etiam phrasium mutatione (sive in germanica sive in Latina illud fuerit,) orationem ornare possit. Si quis enim sine præmeditatione orationem instituit; nescit quas res, & quomodo ingeniũ, & rerũ memoria suppeditatura sint. Si itaq; se

illarum rerum nomina, vel exprimendi formulas ignorat; illicò vel hæret prorsus, vel ad ineptas periphrases dilabitur, vel in ambivio consistens nescit, quomodo orationem mutare, & ceu Labyrinthum effugere possit.

4. Quia extemporalis in orationibus cursus, meditationi intentus est: ut non tantum rerũ conuenientiam, & numerum argumentorum, præmeditetur perorando: sed in cogitationib. in lingua, res & verba præsentia anticipet. Itaq; seruire huic debet pronũciationis tarditas; quæ ita cõfirmata sit: ut æquabilitate sibi semper respondeat; neq; interrupta sit, spaciumq́; naturæ conuenientem respirationem excedens inijciatur: vel vocabulum & sententia bis repetatur (quod maximum est vitiũ,) si præsertim iterũ iterũq́; fit, vel in cõcionib9.) vel geminat9 vel screatus crebri cõtinuãdo sermoni in subsidiũ veniũt: sed tardo, cõtinuo tamẽ nexu & ductu procedat per omnes orationis partes, quas Orator instituit: ita tamẽ ut pronũciatio rebus, ad modum sæpius dictum, sit accomodata, alias nullam habet gratiã; ut scilicet reb. lætis, vox læta, exultans, & quasi gestiẽs; tristib. demissa, gemebunda, gravis, dura, contẽtiosa iræ: lenis & svavis amori accommodetur, quæq; ornata sit suis & accommodatis gestibus: qui tamen in ejusmodi orationibus ex animo fluitantibus ultrò veniunt, sine ulla artis meditatione, vel

cura: ita ut potius cohibendi sint gestus secundum modum in 9. cap. præscriptum.

5. *Quod præcedente capite de memoriæ subsidio monuimus id omne huc revocandum quæq; de præceptis artis Rhetoricæ ibidem præcepimus. Singularem enim in modum huic arti subservit perfecta præceptorum Rhetoricorum cognitio: quæ sint tanquam canones, & perpetua Cynosura ad quam verba dirigi & argumenta possint.*

6. *Ad hæc præcepta applicare discat materiam quamvis expeditissime, de qua verba facturus est. Exempli gratia An ex causis, effectis argumenta sumere illius materiæ velit, ad eos locos argumenta materiæ applicare sine labore teneat, tantum enim spacium meditandi (nisi planè divinum ingenium sit, cui res sub lingva & verba nascantur) requiritur: ut numerum argumentorum expendat, id quod momēto uno, atq; altero fieri potest.*

7. *Quo facto amplificationum modos in promptu habeant ut periodorum terminos observet in illisq; ita expeditus sit, ut unâ quasi cogitationis summa sciat: unde amplificationes petere debeat. In hac arte autem, potissimum inserviunt comparationis locus, partium, contrariorum, antecedentium, & consequentium, item adjunctorum. Testimoniorum verò & exemplorum Loci, non nisi, qui tenacissimæ sunt memoriæ. Nam licet dictorum, & testi-*

& testimoniorum ante veterem memoriam habeamus: tamen, cum ex diuturnitate temporis, confusa inhæreat memoria: ita promptè omnia verba dictorum & historiarum non occurrũt, ut vel falso recitet, vel hallucinetur, quod utrumq; in oratione non laudatur; nisi ex benevolentia auditorum veniam mercatur, præsertim apud auditores doctos, si itaq; testimonium unum, aut ad summum alterum, vel etiam historia alleganda sint, brevib. illa verbis, & sine circumstantijs, cum exaggeratione in loco testimoniorum, & exemplorum ad modum dictum. In periodorum terminis hoc unicè spectet; ne eos longè à membro constructionis separet, & hac ratione prolixam circumferentiam periodi circulo ponat, quod ut facilè omnem Oratorem: ita facilimè eum, qui sine præmeditatione orationem habet, impedit & interturbat: quo minus orationem continuare, & periodum cõmodè & eleganter claudere poßit. Quare brevibus utatur periodis rotundis & elegantibus, vitãdo circumlocutiones prolixas, Rhetorum descriptiones periphrases (si tamen illis utendum, breuiter fiat.) Hoc, ut cum elegantia fiat periodi distinguẽdæ sunt per figuras, pro ratione materiæ, affectuum, Interrogationes, &c. vel si explicat per distinctionis particulas initio, deinde, cũ, tũ, ut ex capite de connexione, facilè iudicari potest. Si autem

ſuadet, per figuras pro ratione materiæ facilè cõtrahere periodi terminos orator vel extẽdere poteſt. 8. In univerſum ſtatum in promptu habet verbum quo claudere periodum debet. Si vero opus eſt prolixa periodo, nec uno & communi verbo concludere poteſt, in promptu habeat Synonyma verba, quibus ſingula periodi membra concludat. Id quod in hujuſmodi orationibus uſitatiſſimum eſt. Ille autẽ qui ſine charta aliquid in chartam dictitare cogitur, hanc obſervationem probe noſſe debet.

His ita generaliter præmiſſis, conſiderandum cujus ſit conditionis, & ſtatus Orator, qui ſibi hanc comparare vult artem (alius enim alium modum aliaque præcepta ſpecialia expoſcit.

Sunt autem Oratores, vel in ſchola, vel in foro, vel in Eccleſia.

Quod ad ſcholaſticum Oratorem attinet, extẽporali ſi ſtudet facundiæ in lectionibus, & orationibus uſurpandæ, vel arrogantiæ vel negligentiæ ſignum eſſe videtur. (niſi cautatur in promptitudinem muneris ſui expediundi, & meditatione cõcepta exprimendi) quod dum vivat in ocio ſcholaſtico expers aliarum curarum (vel certe vivere debet) ingenij vires meditationib. non expediens, quicquid in buccam venit effutiat, & verbis tantum rebus vacuis, certet. Illa enim neceſſitatis ſubſidium cum ſit, in ſcholam admitti nõ debet, in qua

cuique

cuiq; lectionum, orationum, aliorumq; exercitioꝝ certa sint spacia, certi termini positi, quæ meditandi tempus suppeditant. Improbanda itaq; eorum temeritas vel jactantia, qui in cathedram prodeuntes, lectiones suas propositiuri nihil cõsignãt in chartã: sed, siue interpretantur, siue explicent autorem aliquem, siue artẽ aliquam doceant in lingua nata auditoribus suis communicant. His itaq; & propter materiæ varietatem, quæ huic alterive occurrit, præcepta singularia præscribi nõ possunt nec debẽt.

Huic succedit Orator, qui operas suas in foro navat: hic opus aliquando hoc subsidio habet, vel maximè. Nescit enim, quæ & qualia, & quando sæpissimè sibi sint exponenda, ut spatium meditandi sibi sumere posit.

Considerandum itaq; homini politico in quo vivat officio; ubi in omnes muneris partes intentus quænã occurrere oratione fortuita expedienda possint cogitet, nemo enim sui muneris tam ignarus est; quin posit conjectura intelligere, quænam vel fortuitus casus, vel legatio, vel alia similis causa possit offerre.

Sunt autem illæ orationes in duplici differentia aut in propositione, aut in responsione, quorũ illud facilius: quoniam spatium alquod intercedere potest meditandi, hoc verò difficilius: Cum, quid alter propositurus sit, ignoret, nisi orationis summam

sibi cõmunicaverint, quod inter amicos cõmodè forsitan fieri potest: minus tamen obtinet Orator gratiæ & admirationis eloquẽtiæ, si in vulgus promanat. secus si aliter Oratorum est peregrinus, & ignotus: ubi dedecori est Oratorem scitari causam, antequam principi vel publicè innotuerit.

Primo itaq;, ut dixi, consideret aliquis officium suum, an proprio nomine, an alterius propositurus sit. cujuscunq; sit muneris Orator, sive Consul, sive Syndicus sive (his enim plerumq; officium, summi Oratoris personã imponit) Cãcellarius Comitis, Principis, Regis, Imperatoris, Regni, vel alius Legatus.

Deinde, ad quos habiturus sit orationem, inferiores, æquales, superiores.

Tertiò, qualis sit materia, mandatum suasio, petitio, expostulatio, juris sui postulatio.

Quartò, scribat sibi, & familiarissimas reddat formulas, illasq; primo generales vel cõpellãdi (puta subditos salutãdi de fortuna prospera gratulãdi officia sua promittẽdi. Deinde qua potest cura in illis quæ putat sæpè occurrere posse, formulas speciales sibi fingat, præsertim in variorum titulorũ formulis: ut expeditum se reddat, quorum copia hoc seculo, vel ipsum Ciceronẽ, si ab inferis rediret, intricatum reddere posset. In quibus si quis peccat, & latum ungvem errat, quam omnem gratiam amittit Orator, vel irrisionem, vel gratiam malam suæ orationis

rationi cōciliat. Formulas autem illas hic præscribere nimis esset otiosum; si non odiosum, cum, qui in hac officij dignitate sunt cōstituti melius in eloquētiæ studio & exactius versati sunt; quam ut ab homine de schola, imò de pulvere Grāmatico præscribi vel formulæ, vel etiam præcepta possint. De quibus tamen alium in finem tractabimus in praxi nostra forēsi. Qui itaq; diligens est in officio suo, illudq; cum singulari laude & Eloquentia præstare cupit, necesse est, ut multifarias ad jam præmissam materiarū distinctionē, sibi & fingat & notas reddat formulas, quas omnibus rebus, mutatis mutādis, applicare possit: Illud autem maximopere notādum, ne, quācunq; orationem habiturus est, prolixitati studeat, & materiam prolixo orationis & verborū flumini, immergat, quo intelligi & capita orationis retineri possint. Ostētatio enim illa ingenij, & memoriæ jactantiæ speciem habens, minimā in aulis præsertim gratiam habet. Reliqua in hanc scientiam, ut dixi ad forensem praxin spectant.

Quod ad responsionem extemporalem attinet, difficilior est, & duplex incumbit provincia, duplexq; animi intentio: ut ab ore sermone alterius descendens, propriæ orationis meditationi operam det, varijq; homines varios perorādi modos, pro loco & tempore, materiæq; conditione habeant, quæ non, nisi multis observationibus teneri possint.

Ideoq; observandum primò, ut formulas sibi familiares reddat, quibus plerumq; Oratores legati suas soleant ordiri orationes quibus probare, quibus concludere consueverunt (modus enim solet esse ferè idem vel parum ab altero discrepans)

Deinde diligentissime attendat, ad propositionem ejusq; partes & argumenta (id enim caput est rei, quod rarum & ignotum esse solet, plerumq; ne formulas in subsidium adhibere possimus.)

Non autem singula verba, & circumstantias omnes attentione diligenti persequatur, quæ non nisi divinum ingenium capit. (quid tamen artificium localitatis, & imaginum possit, nescio) Sed summã capiat, eamq; tribus includat memoriæ, reliquis quasi auribus surdis præteritis; ne alijs intentus; & cõtinuò omnium verborum cursu abducatur (non enim Cæsares omnes sumus q; simul scribere & legere, dictare & audire possimus) ut capita propositionis prætereat, vel multitudine obrutus nõ capiat.

Solẽt autẽ magni nominis Oratores, etiam in illustrissimo loco cõstituti, ad alicujus orationẽ respõsuri, adhibere palimpsestum, eiq; inscribere capita propositæ orationis. Sed nescio an sublevãdæ memoriæ causa id fiat, an potius ut Domino suo ex scriptis quæ certiora sunt auditis, proposita referre, vel repetere majori fide possint: in quem finem puto adhiberi Secretarios, qui celeri calamo omnia notãt.

Vtiq;

Vtiq; si multa & varia sunt proposita, utriq;, cum præsertim in consvetudinē abierit, cōmode servire potest: ita tamen, ut non omnia continuò legantur, ex palimpsesto, vel alia quacūq; tabula, respōsionis capita: id enim nescio quam suspicionē haberet: sed ut ex obliquo inspiciatur, lectoq; capite propositionis, responsio fiat memoriter: Qui tamen sine hoc memoriæ adminiculo repetere audita potest, majorem laudē apud auditores videtur obtinere, quod memoriæ exercitatæ & excultæ multo labore, potius est, quam artis.

Tertiò, duplex sciat esse respondentis officium, prius ut repetat capita orationis, Exordij (quod commune est, & ex formulis notum) propositionis, quod præcipuum est & difficilimū, & conclusionis (quod itidē notum) posterius: ut ad singula capita respondeat, quæ vel ex rebus seu oratione ipsa nascitur vel ex communicato: quod fieri solet consilio oritur: Estq; ex commodo, & utili dirigenda in parte principali, nimirum propositione, minus principalioribus, mutuum plerumq; reponimus, gratulationi gratulationem, promissioni promissionem, ubi quæritur, responsuro, vel causa & negotium, de quo oratio instituta notum sit, vel probè percipiat, quod ipsi demandatur, ne in utramq; partē peccet. Et ut in summam priorem præcepta finiantur, in responsione brevis sit, & Laconismo potius studeat, quam

Asiaticum

Asiaticum imitetur. Id enim in foro gratum & ratum est.

Tandem aliquando necessaria est hæc facundia doctoribus in Ecclesia, id est, ipsis concionatoribus, qui multitudine laborum detenti, meditationibus sufficientibus vacare non possunt; quia aliis curis, & molestiis officij cogitationes occupant (puta in civitatibus præsertim majoribus, & emporiis diaconi, & in aliis locis Pastores, quamvis rarò his usu venire solet.

Illi autem nunquam, nunquam dico, sine exquisita meditatione præmissâ suggestũ ascẽdere debent, ut non exactè conciones suas formatas memoriæ mendarint. Pars enim maxima fidelitatis, & vigilantiæ est, summam curam impendere concionibus elegantibus usq; adeò: ut fraudulenter factum officium sit, temerario ingenij & linguæ motu potius profundere; quam matura meditatione & consilio suas habere conciones. In illum namq; finem literũ & artibus, vel maximè excultus & instructus esse debet, ut non saltem veram & sinceram religionem profiteri & defendere, verum etiã, ut artificiosè & efficaciter cum summa utilitate populo proponere posit. Quod nulla ratione fieri potest, nisi doctis & summo ingenio formatis concionibus. Quantum enim proficiant Pastores extemporalibus concionib9 si in doctos, & præsertim scopticorũ aures incidũt.

experia

experiontia docet; ubi ludibrio meritò, an immeritò exponitur, & in fabulam inq; materiam risus convertitur ejusmodi concio. Sed prius dictâ causâ huic compendio operam det, illoq; cũ venia utātur.

In quo comparando præter generalia, paulò ante præmissa præcepta.

Primo consideret concionator conciones suas, quas officij ratio imponit.

Illæ sunt vel ordinariæ, vel extraordinariæ.

Ordinariæ conciones vix merentur veniam, si non elaboratæ sint singulari studio, & industria (nisi morbus vel aliud impedimentũ intercesserit. Illis enim certa sunt tempora posita, quæ ceu Mathematicus ex certo astrorum motu, longè prævidere, & se præparare potest. Idq; uno tempore non unam, alteramve, sed multas, si ratione textuum propositorũ certas sibi constituit dispositiones (de quibus in tractatu de formanda concione ex professo dicemus,) si certos habeat amplificandi modos.

Extraordinariæ itaq; conciones, quas fortuitus casus aliquis concionatori imponit, (puta si concio funebris est habenda,) non inuitæ admittendæ, tractandæque sunt.

Deinde habituro sine præmeditatione concionẽ opus est, ut in certis materiis textuũ variorum sibi copiã cõparet, sive illi simplices, siue compositi, illorum summam cognoscat, & tenacissimè memoriæ

infigat.

insigat. Quod ut sine alio impendio, & cura fieri possit, ordinariis, data occasione, quod sæpè fit, concionibus illos immisceat, & cum exaggeratione (de qua suo loco) tractat in movendo aliquo affectu. *E. g.* Si in ordinarijs concionibus locum communem de mortalitate, de calamitate generis humani, de vita æterna, cum textu aliquo testimonij loco citato tracto; illam facilimè amplificare in integram concionem, quando necessitas flagitat, possim.

Tertiò certum, & perpetuum disponendi modum habeat, siue interpretandi textum, (cuius modum suo loco videbimus) & deinde subijciendus locus communis: siue singulis partibus vel vocabulis, ad locum communem unâ operâ directis, quod facilius esse videtur.

Quartò conciones illas non ad docendum, & instituendũ (nisi memoria sit tenacissima) sed ad affectum aliquem movendũ præcipuè dirigat. Si enim docet, quamuis facilè videatur illi, qui rerum cognitione exacta pollet: tamen cum sine dictorum & testimoniorum copia & probatione singulorum parum, docta doctis præsertim sit; non est admodum facilis: ut non in allegandis dictis, vel erret vel in recitandis hallucinetur, vel vocabula mutet, & in sensum impingat cõcionator, si præsertim ad disputationes & refutationes hæreticorum fortuitò ser-

mone, qui in ejusmodi concionibus se offert linguæ, non sufficiat. Ideoq; ad ordinarias ille concionũ scopus reseruandus. In affectuum motu; quia illos artis præceptis, quæ perpetua sunt mouere possumus, facilior ratio est; cum sint memoriæ adminicula. Et plerumq; immò semper conciones funebres requirunt affectus tristitiæ, desiderij, amoris & similes.

Quintò, facilè dijudicatu est, quem affectum materia cõcionis sit suppeditatura. Ex quo modum amplificandi firmissime sibi figere, tanquam perpetuam omnium concionum Cynosuram, quem pro ratione variarum circumstantiarum & materiarum mutare, & omnibus rebus applicare possint; usque adeò ut ijdẽ loci omnib. concionib. cõmodè seruiant.

Vt autẽ omnes loci amplificationis, tam quo ad augendam, quàm ornandam concionem concionib. bus ministrant tamen præcipuè locus descriptionis, quãdo res omnes nõ nudè ponimus, sed sẽper elegãter describim9. Locus causarũ, locus effectorũ opem suã singularẽ offerunt. Huic accedit proximè exaggeratio, quæ fit per figuras affectuũ præsertim προσωποποιΐας, apostrophẽ, sermocinationes, & eiusmodi figuras, quæ in Rhetoricis & in praxi nostra habẽtur. His accedunt testimoniorũ & exẽplorũ loci, qui quomodo inseruiãt hisce cõncionib, antea est dictũ.

Sextò juuat hic quoque, si concionator habet, sibi certos locos cõmunes variarũ, nõ tantum materiarum, sed

riarum, ſed etiam formularum, ex quib. tanquam ex promptuario depromere, quantumq; libet poteſt quod ratione temporis & aliarum circumſtantiarum præſenti concioni utile ſit.

Plura de hac materia ſcribere non libet: cum videam & intelligam facundiam extemporalem vix eſſe, niſi continua exercitatio accedat, quæ hominem promptum & expeditum in omnibus reddat. Quilibet itaque quantum poteſt diligentiſſime muneris ſui partes in hoc ſubeat, ut laudem promereatur & commodo ſit, & emolumento muneri ſuo.

Atq; ſic tantum, quantum inter tot Scholæ moleſtias, & labores infinitos potui, in hoc ſcripti genere præſtiti, & bono publico communicavi, cum plura & meliora Deus. & per otium, ingeniũ & induſtria ſuppeditaverit, ſi intellexero non ſine utilitate hæc exigua fuiſſe, nõ inuitè cõmunicabo. Deo Triuni acceptum referamus, qui & quanti ſumus, quantum exiguis noſtris laboribus præſtamus, id unicus & ſolus ſua miſericordia largitus eſt. Huic ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.



Finis Primæ Partis.



DELINEATIO PARTIS SECUNDÆ PRAXEOS RHETORICÆ ECCLESIASTICÆ,

De formandis concionibus:


In gratiam

Studiosorum Theologiæ, ad sacras conciones animum applicantium.

scripta & edita

à

M. Andrea Crebs Schiffenburgensi Borusso.



DANTISCI
Typis Martini Rhodi,

Anno cIɔ Iɔc XI.




PLAUTUS:

Isthic est thesaurus, stultis in linguâ situs: ut quæstui habeant malè loqui melioribus.







AD

AMPLISSIMOS ORDINES

BORUSSIAE,

CONSILIARIOS PROVINCIALES,

LIBEROS BARONES,

EQUESTREM ORDINEM.

Viros Illustres, Generosos, Magnificos, Nobilissimos,

CIVIUM RESPUBLICAS

Florentissimas, Splendidissimas,

PATRONOS, MOECENATES ET PROMOTORES,

Colendos, honorandos.



D Vos, ad vos, inquam, Ordines Patriæ Amplissimi, hanc operis mei literarij secundam partem, mitto. Ad quos enim in patria, nisi patriæ proceres, fructũ hunc studiorum in patrio agro collectum, deferre debui? qui & ipsi hãc terram suo labore, sua industriâ excoluerunt, & fructum inde amplissimum reportarunt, qui hunc agrum scholasticum fovent, & suos in eo subinde plantant surculos, qui, ut patriæ fructus quoque portarent, excrescerent. A quibus ego non rarò excitatus in hos labores oratorios, imò subinde incitatus: ut ejusmodi aliquid molirer. Si in spem aliam scribendi, & dedicandi consilia iniissem, viros præstantissimos, literarum patronos, & promotores, quibus hoc meum studium gratissimum fuisset, quiq; hunc meum laborem remunerati essent, invenissem. Mihi verò jampridem propositum est, studiis

diis meis patriæ inservire; alia itaq; consilij ratio non suggerebat; nisi, secundum Electorem nostrum, cui primas gratitudo mea debebat, patriæ proceribus eosdem meos labores publico monumento commissos offerrem. Et, quî potui alitèr facere, quàm iis quoque offerre scripti mei partem, qui, ut scriberem, calcar addiderunt? Scio, quod impulsores apertis mihi non fueritis monitis: non obscuris tamen argumentis autores. Cujus enim gratia vestros liberos tàm ardenti studio, tàm magno sumtu artibus liberalibus traditis instituendos? cur nostræ disciplinæ submittitis? scilicet, ut iis disciplinis instituerentur, quæ patriæ per illos incrementum, & Reipub. singulare ornamentum adferrent. Nostræ fidei fidem habetis: ut filios vestros nobis committatis, quam ut præstemus, & privatis & publicis studiis, omnem diligentiam unicè vos expetere nullum est dubium. Vestræ itaque voluntati, minimus quamvis satisfacturus, priuatæ institutionis

publicum monumentum, & futurorum studiorum adjumentum, edere volui, imò debui.

Ab aliquot annis, cum & generis antiqua nobilitate, & ingenuitate adolescentes subinde ad Academiam hanc Electoralem confugerint & specimina singularis indolis ediderint: nescio, quid non patriæ, & studiis nostris felicitatis ex tot nobilium alioruma doctorum erudita corona polliceor.

Si enim illam demum felicem Rempub. cum Platone omnes sapientes statuunt: ubi aut philosophi regunt, aut qui regunt philosophentur. Felicem illam dico, ubi tot docti, ab omnium artium scientia ad humanitatem, mansuetudinem, & prudentiam formati, principis lateri adhærentes, & civitates gubernantes, consilia rebus gerendis prudentißimè subministrant. Si illũ literarum statũ felicem putant, ubi qui præsunt literis vel præsidio adsidẽt literati omnem literatorũ conditionem norunt. Felicißimã nostram Academiã dicam, si in schola nostra instituti

ad gu-

ad gubernacula ſederint: qui, per quos in hanc lucem dignitatis collocati ſunt, eoſdem ut in obſcuro maneant, non permittent. Noviſtis ſcilicet Ordines ampliſsimi, antiquum generis ſplendorem, & nobilitatem, literis & armis illuſtrari & decorari, yſdemq; novam parari. Sed & noviſtis: quod in armis vires & robur, hoc in pace prudentiam & eruditionem ad Reipub. munimentum pari facere neceſsitate, ſi non poſterius utriuſq; temporis Regimini plus adfert ſubſidy & adminiculi. Itaq; utriſq; fortunæ caſibus conſulturi, qui ab heroica innata virtute, fundamentum belli nati & ornamentum pacis, artium liberalium cultura facti eſtis, ab eodem lumine veſtros quoq; liberos ad ſimilem ſplendorem illuſtrari unicè cupitis. Immò & nos novimus, qui videmus ex omni nobilitate, & aliis familiis ingenuis, honeſtos adoleſcentes, egregias ſpirare virtutes & veſtris votis, veſtris ſumtibus, ſummo in ſtudiis ardore reſpondere, antiquam generis nobilita-

 tem pro-

tem proprio ſplendore illuſtraturi, & nova dignitate veſtigia parentum preſſuri. A multis itaq; annis unicè anxius ſum: ut ſtudiis illorum, & ardori, quem artibus liberalibus minitantur, mea quali quali opella fomitem adderem, &, cum apud multos non ſine aliquo fructu privatim præſtiti; publicũ ederem ſpecimen, & vobis offerrem, Id quod pridem in animo & ſtudiis habui, jam exequor.

Parvum quidem, & non ex dignitate & numero accipientium, dantis tamen viribus & fortunis tantum, quantum in favore & patrocinio veſtro jã periclitari potui: Quod ſi hic labor, cum reliquis meis ſtudiis, liberale favoris & benevolentiæ patrocinium invenerit: tutius & alacrius ad majora edenda me accingam: ut, quantum mihi adſpiraverit favoris aura, tantum ego laboris defecato animo, non ſine ſingulari fructu in ſtudioſam juventutem conferam, feliceműq; me prædicabo, ſi tot Magnatum, atq;

adeò

adeò totius Reipub. patrocinio adjutus & ad maiora incitatus fuero.

Recipite itaq; me, meumq; hunc librum in patrocinium vestrum & studia mea fovete, promovete: ut vos summus ille Deus, quem pro incolumitate vestra, & totius patriæ supplex veneror, adoro. Regiomonti 22. Martij, Anno 1611.

Amplit. Vest.

Observantiss.
Studiosiss.

M. Andreas Crebs,
Professor.



BENEVOLO LECTORI, S. P. D.


Alcem in messem Theologicam me misisse, benevole Lector, multos scio dicturos, qui quo fine scripsi, vel videre nolunt; vel, quod fieri solet, de ignotis primo intuitu judicant. Prava multornm adolescentum sententia à vero & bono aliena, me adduxit: ut studijs & à laboribus meis scholasticis, ad Theologica declinarem, idque eò magis, quod alumnorum studijs quoque Theologicis præfectus sum, quibus consulere me officij ratio voluit: In animum n. induxerunt, ad concionis artificium studio eloquentiæ opus non esse: id cum ore affirmare nimis esset stultum, facto ipso satis testantur: dum studia hæc non negligunt, sed despiciunt: quem errorem animis eorum eximere hac Delineatione & concionis forma Rhetorica volui. Itaque præter præcepta, ex Theologicis

gicis nihil addidi: ne cavillandi quis ansam arripiat. Hoc ſtatuas, benevole lector, ut multa paucis dicam, me animo candido & bono omnia ſcripſiſſe: ut diſcipulos meos ad ſtudium Eloquentiæ excolendum excitarem. Et quamvis multi planè & plenè in hoc argumento ſcripſerint, operamque ſufficientem præſtiterint: tamen ut ut non plane diverſa, non per omnia eadem & iisdem meis diſcipulis ſine ullius præjudicio uſui futuro non minimo dedi. Expreſsi unam cauſam, domi plures habeo, cur id laboris in me ſuſceperim: quas tamen candor literatorum facilè putabit, ſi bonorum & literatorum officium probè æſtimaverit. Lege, & candidè, benevole Lector, judica. Si quid erratum, quod puto capitale non eſſe, id homo, humanitati, cui nihil magis proprium, quam errare adſcribe, & ut corrigam audacter mone, ad quod ego multò ſum, quam tu futurus promptior. Vale, & ſtudiis noſtris; ſi non æqvus; attamen iniquus non ſis.

Clariſſi-



CLARISSIMO VIRO, Dn. M. ANDREÆ CREBSIO, PROFESSORI ACAdemico, Alumnorum Inspectori solertissimo, fautori & amico-Collegæ honorando, Rhetoricam edenti Ecclesiasticam.

CEcropiæ ut gentis domitor testudine rupes,
Et durum vocis molliit arte nemus:
Sic tu commissam curæ mulcere juventam,
Eloquii satagis dexteritate tui.
Ille velut strepitus cantu populique susurrum,
Amovet, & curas tollere mente monet:
Sic opere hosce domas (inter strepere anser olores.
Ut Creperus nequeat) quos tua cura regit,
Nec septennalis, mirum, dum cura paratum
Plenè, Mercurio judice, promit opus,
Quantum alii sparsim Suadâ scripsêre benignâ:
Tantum nunc uno scribis ovans calamo,
Non dubium est, messis quin hancce sequatur opima
Sementem juvenes si modó lemna notent,
Lemna sagax Hermū studium quod monstrat utrumque,
Sive quod in templis, seu gerit ipse foro.
Perge, decus Charitum, scriptis clarescere, claros
Ingenii fœtus edere perge sacri
Posteritas clavo figet per secla trabali
Hanc operam, unde tibi fama vigebit anus.
Bascaniæ interea præit hæc ευεργια *sævæ*
Pondere Bascaniam nam labor hic superat.

M. Petrus Cunrathus Aus. Holsatus, in illustri Pædag. quod ibidem ad Acad. est, Græcas literas docens.

ALIVD:


Vod studium augustus sacri probat ordo Senatus: (pliceat?
Quod placet innumeris: qui mihi dis-
Rūpantur, Legū qui nil nisi lēmata iactāt.
Alter ubi Astræa est, & mihi visa crepat.
Theologis alia est mens addita: singula laudant,
Si modo, qua spondent, parte iuvare iuvēt.
Hinc Genij monumenta tui doctissima, CREBSI
Suspicit, oraclis dedita turba sacris.
Nilq; magis vovet ex animo, me interprete, quam
Scriptorum praxin pulpita sacra sonent. (si
Da specimen: moveant Te tot pia vota priorum:
Quam benè sic rentur te fore retrogradum.

l. mq. acclamab,

M. Fridericus Heilsberg.

ET ceu Vere novo fragrantem spargit odorem
Flos, & odore suo nos recreare potest:
Sic patriis virtus tua non consistit in oris
Tantum: ea sed florens extera regna beat.
Seu quis enim satagat sacri mysteria verbi
Pandere, seu malit rostra movere fori,
Eloquio fervens, ne incertâ sede vagetur,
Ordine sed valeat, dicere cuncta suo,
Tu methodum monstras, duro quæsita labore
Quæ tibi sunt, alios vis ea scire viros.
His certè, CREBSI tibi gloria quæritur ausis,
Musa mea in laudes officiosa tuas.
Pergito in his cœptis, cœptum placet omnibus illud,
Et prodesse aliis unica meta siet.
Nil natura tibi, tibi nil doctrina negavit:
His quicunque valent: his mea Musa favet.

Amico & Collegæ honorando facieb.
Eberhardus Huberinus Verdensis Saxo,
Alumnorum Subinspector.

EIDEM.

SIC non Cecropij mulgebunt ubera solū
Palladis, ornatus dicendi indagine clari:
Sic ne Romulidæ iactantes Cymbia Tullii
Nectarei solum clarebunt laude liquoris
Vt tua conspiciet lucem, loculosque virorum
Viderit, orandi scitê ratio bona doctûm
Lemni scata tuæ Prussorum palmula genti,
A Latio & Graijs debebitur auspice Phœbo:
Nam qua Mercurius devinctos arte tenebat
Divorum Proceres præstans quaque arte Pericles
Militis effrænis mentem cohibere solebat:
Id tu perspicuâ methodo complecteris omne
Dignus ob id cuius cingantur tempora Lauro.

Honoris ergô in ipso procinctu itineris reliquit

Adamus Rassius, Pol.

EIDEM.

BLandus adulantum mos hinc ad nigra facessat
Tartara, sed verum dicere cogit amor!
Te, CREBSI, quoties æquâ considero mente,
Ingenii nervos intueorque tui.
Protinus in genesin jurasse tuam omnia juro,
Numina, certatim contribuisse bona.
Sæpius obstupui, miratus flumina linguæ,
Posceret eloquium res ubi magna tuum.
Obstupuitque simul mecum, conspexit ut artes
Indiga non sensu turba Novena, *tuas.*
Rhetoricæ Praxis sat comprobat hocce, benigno
Auspicio in lucem, quam sinit ire modo.
Vive diu felix, dignissime perpete vita
Ars tua grata solo, quin quoque grata polo.

Nec di-

Nec desiste bonis scriptis prodesse juventæ,
Sic poteris magnum promeruisse decus.
Ardens te studium plebeis eximet umbris,
Post cineres etiam Fama superstes erit.
Ast heus, pauca volo: ne longos differ in annos,
Quæ tibi iuridico sunt meditata stylo.


Honoris ergò hospiti observando F.
Gerhardus Coërdes Stadthagius
Saxo.

EIDEM.

LVcida magnorum reddis monumenta Sophorum
Nec pateris SVADAE secula cana mori:
Dum, quod Aristoteles magnus Cicero'que disertus
AEternum claris composuêre libris:
Victuris Suadæ, Graiæ Latiæ'que peritus
Curis, maiori fulgere luce paras.
Sic priscæ seruatur honos, te vindice, SVADAE
Itur & ad Suadam sic breviori viâ.
Sic nova dum condis, revocas CREBS magne priora:
Debentur quæ sunt, quæque fuère tibi.

Gregorius Zolok Polonus.

CAPITA



CAPITA SECUNDÆ PARTIS.





CAPUT I.

De requisitis futuro Pastori necessarijs.

QVÆ sint ex usu necessario futuro Pastori, qui gratiam in concionibus habere cupit, ea Apostolus Paulus indicavit, dum requirit Pastorem ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Quo innuitur, um disserendi & disputandi arte fundamentum exactæ cognitionis doctrinæ cœlestis: ut ab incunabulis tùm ætatis, tùm præsertim Theologici studij, sacra Biblia volvat, revolvat; ut, quo poßit compendio, textum Biblicum sibi redaat familiarißimum, & addat & conferat scripturam scripturæ, ut perpetua collatione vim, & sensum, seu ὑποτύπωσιν sacrorum verborum intelligat. Hoc enim ad materiæ copiam, (ut alios usus ad Theologicas disputationes, & ad veritatis defensionem, remittam) vel unicè facit: qua nisi abundet concio, sine gratia & sine fructu inanem edit concionator sonum. Hoc fundamentum muniat artium Philosophicarum adminiculis, non ut hisce innitatur, & veritatem inde capiat, sed ut

sed ut contra Hæreticorum Sophismata ensis Alexandri nodum Gorgoneum omnium fallaciarum & disceptationum dissecet, & exoluat. Non mihi autem hîc sermone longo opus, de reliquarum artium necessitate, ab instituto meo aliena: sed ad Rhetoricam nostram venio, quæ non minus est ὀρθοτομοῦσα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

Illius enim beneficio (ut elegantiam eius in proponendis disputationibus necessariam & utilem transeam) si cum ratione, & gratia concionem habiturus est futurus concionator, sermonem suum instituat necesse est.

Quæ omnem dicendi formam, & modum, ex natura rei depromptum, ratione artificiosa præscribit: ut, quem ratio dictitat, quem lingua suppeditat sermonis modum, ars Rhetorica adjuvet, & magis concinnum reddat. Et ille est verè secundum Apostolum διδακτικός, qui hanc docendi formam Rhetoricam novit.

Sed pauci sunt, qui proprio artificio ad Præcepta Rhetorum, non dico studia sua præparent, & proprio Marte orationem componere discant: sed ne concionem quidem meditentur: quin alienis se ut plurimum ornent plumis, concionibus ex Postillis transscriptis.

Adhæc in concionatore futuro requiritur, ut vario-

variorum textuum habeat notitiam. Id enim ad quamvis tractationem, & præsertim amplificationem, siue strictam, sive prolixam, de qua in praxi dictum est argumentorum utilissimum est, facitq; concionem materiæ copia instructam. Proinde futuri Cōcionatores, ad varias conciones copiam textuum seu testimoniorum in promptu habeant. Præter hanc doctrinæ omnigenæ cognitionem requiritur in Concionatoribus futuris, ingenij sagacitas, lingvæ promtitudo, quæ quomodo acquiri poßint in praxi nostræ capit. 2. dictum est, quæ huc vocari meritò debent, quam moderabitur debita & commoda pronunciatio, de qua postea dicetur. Itaque, qui Theologiæ studia sua destinavit, id unicè agere debet toto studiorum suorum tempore, ut promptam sibi reddat lingvam, ne nimia, vel celeritate, vel tarditate, vel interrupta hæsitatione, vel quovis alio vitio assvescat, quibus concio gratiam omnem amittit. De quibus in Praxi ad pronunciationem plura dicta sunt.

Præter hæc, quamvis omnis doctrinæ & artificij Rhetorici copia Pastorem ornet, nisi tamen vitæ integritas, modestiæ, sobrietatis, pietatis, aliarumq; virtutum facem luceat: si vel Ciceronis haberet vim eloquij; non tamen quicquam suis præstaret concionibus, sed quantum orationis ornatu

fidei & pietatis animis auditorum ingereret, tantum vitæ deformitate, eradicaret, ut omnem persuasionis vim, in aures ingestam, unica in concionatore vitij recordatio excutiat.

Quare in ipso limine omnes studiosi seriò admonendi sunt; ut, quo possint studio, adjuti ope Spiritus Sancti, virtutibus omnibus, politicum virum ornantibus, assuescant; atque ita affectibus humanis, & vitiis se abdicent; quò, si prorsus naturam humanam mutare non possint (quod fieri non potest, cum sint homines) intra suos se contineant terminos, à multorum familiaritate & necessitudine sibi parcāt, nec quod potissimum est, conviviis, rusticorum præsertim, crebrò, se immisceant: ne auditoribus ingenia Pastorum innotescant, multò minus vitia percrebrescant, E. g. Si quis contra avaritiam verba facit concionator, ipse omnium testimonio sordidus, risu exceptus, incitaret magis auditores, quam ut deterreret. Sic, si ad sobrietatem temulentus adhortaretur, hinc vulgò soleat dici à scopticis: Wenns Sünde were/ würdens die Pfarren selbs nicht thun. *Verum itaq; est, quod dicitur: si persuadere volumus, tales simus quales alios esse volumus. Sed hæc alibi prolixè futuris concionatoribus dicuntur, jam propositum persequemur.*

CAPVT

CAPUT II.

De observationibus in propositi textus consideratione.

AB omnium artium & linguarum non vulgari cognitione instructus Pastor futurus, primam in concionibus formandis curam intendere debet: ut habeat materiarum seu propositionum, de quibus conscribere orationem vult cognitionem.

Hanc materiam distribuo in Generalem, quam thesin vocant Rhetores, & Specialem, quam Hypothesin.

Generalem dico eam materiam, qua concionator sibi thema aliquod, ad fidei nostræ articulos pertinens, illudq; vel sibi simpliciter ad voluntatem, & judicium proprium proponit; *quod rarò vel nunquam est in usu Ecclesiastico: vel ex textu aliquo prælecto excerpit, remotoq; textus ductu, se de hac illave quæstione seu propositione dicturum affirmat.*

Id quod tum faciendum statuet, cum auditores concione de articulo fidei necessario erudiendos esse putabit, fitque præcipuè in concionibus Catecheticis, & ubi judicio Pastoris visum est.

Est aut simplex: ubi vel uno vocabulo dicitur: *ut cum quæritur, quid sit fides, quid justitia, quid bona opera, quid Sacramenta: prout*

illa tractatio in Genere Didascalico habetur, ut ex Praxi nostra in capite 12. notum est.

Vel de integra propostione: *An fides justificet: An bona opera sint necessaria ad salutem.*

Prior illa tractatio in concionibus per omnes simplices quæstiones rarior esse solet: Posterior verò crebrior, ut infra in tractatione materiarum patebit.

Et composita, ubi multæ & variæ propositiones in uno textu concurrunt, *puta in Evangeliis & Epistolis, ubi quæstiones practicæ variæ aliquando continentur.*

In his notandum: *ut non omnes tractemus, ne multitudine propositionum auditores obruantur, sed præcipuas seligamus, neq; ultra tres concione explicemus. Plures enim ut proponamus, & amplificando inculcemus auditoribus, concionis forma nisi nimia prolixitate odiosi auditoribus esse cupiamus, non permittit. Reliquæ per præteritionis figuram, in fine annectendæ & indigitandæ, vel prorsus ad aliud tempus reÿciendæ.*

Specialis est vel propria vel impropria.

Propria vel est vera, ut sunt historię in sacris literis comprehensæ, vel parabolica, similitudine aliquid designans, ut sint

in sacra-

in sacrarum literarum explicatione multa facta, plurimæ historiæ, non raro parabolæ, quæ non raro concione tractandæ sunt.

In illis notandum, ut historiam omnem prolixè per circumstantias explicemus. Deinde locum communem seu thesin depromamus, eamq́; concione ad Praxeos tractationem, de qua infra, applicemus.

Historiæ enim omnes vel ad æmulationem, vel ad fugam pertinent, proinde in historiæ tractatione speculativas quæstiones ad cogitationem pertinentes proponere inconveniens est, & fermè stultum.

Sunt verò in historia multi loci communes, qui vel singulis historiæ circumstantiis subijciendi, vel ad finem reservandi; prout judicio concionatoris visum est.

Si parabola explicanda est, ut multa in Evangeliis à Salvatore nostro proponuntur, tùm, præmissa brevi repetitione, sine circumstantiis (quæ non possunt nisi affingi, quod stolidum est) sola parabolæ causa prolata, cur hanc vel illam parabolam proposuerit discipulis, populo, &c. quid designet una propositione indigitandum.

Deinde ejus explicatio subijcienda, quæ aut est manifesta, puta in similitudinibus: aut occulta puta in allegorica. Illa ex re ipsa nascitur, & explicatio plerunque subijcitur, hæc ex analogia fidei &

dei & sacris literis sumenda: prout omnes eiusmodi textus in vaticiniis variis explicati sunt à Theologis: ut exemplum addere operæ precium non sit.

In parabolarum itaq; concionibus notandum: quod ex illis variæ elici possint propositiones, ad explicationem seu cognitionem primo dirigendæ, omnes in similitudinis explicatione & ratione applicandæ ad propositum, puta, quando Christus de quadruplici semine, nuptiis, regnum cælorum denotantibus agit, explicandæ primum.

Deinde ad actiones adhortatione vel dehortatione dirigendæ: ut infrà patebit.

In explicatione diligenter observandum: ut primo scopum parabolæ attendat, quò directa sint omnia parabolicæ metaphoræ membra, ut secundum suas proprietates considerata applicet: deinde etiam vocabula convenientia adhibeat.

Impropria materia politica est, quæ propterea impropria dicitur, *quod concionatoris scopus non sit: ut politica tractet: utque actiones illas, pro concione arguat vel laudet, illud enim ad curiam pertinet. Itaque non primario huc pertinent, nisi secundariò propter textus, qui occurrunt. Proinde quando eiusmodi materiæ veniunt tractandæ (solent autem in Epistolis dominicalibus occurrere, quin & Evangelij usus est*

ſus eſt tangere quædam politica) tum ex ſacris literis, non niſi expreſſo textu, vel ſenſu textus, data occaſione, taxari & reprehendi poſſint, idque tantum leviter, & breviter, eam ob cauſam, quia ceu peccata publica ſcandalum præbeant.

Sunt autem politica illa vel publica, quæ omnes ſimul concernunt: *ut, Sint quæ vel Magiſtratus facit injuſtè contra ſubditos, vel ſubditi in damnum civitatis, vel regionis: contra Magiſtratum, puta, quando Magiſtratus iniquis, & injuſtis exactionibus miſeros ſubditos vexat; quando in publicis & maximis delictis connivet, vel ex ejuſmodi alia publico malo committunt; quando ſubditi, vel cives, mercatores annonam in oppreſſionem pauperum onerant, quando magiſtratui obedientiam recuſant, &c.*

Privata ſunt quæ à privatis committuntur, *puta, quando vivunt in peccatis contra conſcientiam, &c.*

De publicis notandum.

1. *Ne Paſtor ſe immiſceat in conſilia, nec quid fieri debeat, vel non debeat, in adminiſtratione publicè è ſuggeſtu vel privatim ſuadeat (niſi quando aliquid contra pietatem vel honeſtatem*

moliuntur) Illud enim si non apud omnes, apud quosdam odium maximum concitat, & apertam πολυπραγμοσύνην *indicat.*

2. *Ne in politicis publicè adulationis suspicionem, vel blandis compellationibus, vel laudationibus, auditoribus suis præbeat, vel etiam crimina publica non reprehendat, puta quando in republica nullus ordo & nulla disciplina, idq; conniventia magistratus est. Quod maximum bonorum odium parat.*

3. *In reprehensionibus sine ullo respectu personarum aut factorum arguat, si quando à Magistratu injusti quippiam factum est, scandalum publicum semper ex facto aliquo publico eliciat, quod privatis poßit esse peccati causa;* Regis *enim* ad exemplum, totus componitur orbis.

4. *Argumentum reprehendendi. non ab incommodo politico (nisi singularis causa sapienti & maturo judicio pensitata aliud suaserit) politicè præcipuè petat, verum ex sacris literis parcè depromat, & deinceps addat suum judicium, quod etiam publicè errare poßint, idque ideò, ne videatur consilia politica subministrare.*

De privatis notandum.

1. Nefa-

1. *Ne facilè credat delatoribus, sed de facto aliquo certus sit. Hic reprehendendi sunt illi, qui omnia, quæ audiunt, vel ab uxoribus, vel mulierculis, vel ex communi sine capite rumore in suggestum proferunt.*

2. *Non ex odio personæ, personalia immisceat, multò minus in iis affectum iræ prodat. Illud enim odiosum est valde, & nihil efficit, nisi ut sibi odium & contemptum creet: ut contra adulari in Pastore reprehenditur.*

3. *Ne illa reprehensio videatur ex affectibus profecta: itaque omnes affectus iracundiæ removere debet, ut potius etiam in ipsis reprehensionibus ex vultu, gestibus, verbis benevolus affectus appareat.*

4. *Ne sit nimia & multa, ne ob factum aliquod vel leve ilico damnemus, & anathematis fulmine feriamus, quod stultitiam Pastoris arguit.*

5. *Vt illa politica, quæ ob causas dictas maturo judicio Pastoris in concionem veniunt, ad finem Theologicum, salutem animæ dirigantur: ne videatur Theologia tantum medium externam disciplinam conservans, (ut impij Epicurei opinantur) sed salutem animæ potius respiciant, eamque conservare annitantur.*

6. Non

6. Non sine causa ultimò pono, quod primum esse debet, ut sine ullo respectu arguant peccata privatorum. Nihil enim maius odium adversus Pastorem concitat, quam si auditores animadvertunt Pastorem προσωπολήπτην esse. DEI enim minister est, apud quem nullus respectus personarum, &c.

Hæc est breviter generalis & specialis considerationis tractatio, in eum finem instituta: ut tyro exercitiorum Theologicorũ cognoscat, quid in textibus tractandis generaliter observandum sit. Sequitur *Selectio.*

CAPUT III.

De Selectione ordinariorum & extraordinariorum textuum.

CONsideravimus materiam quæcunq; in Concionem venire potest, jam quoq; ratione usus certis temporibus propositi destinatos eosdem perpendamus. Illi textus sive sint generales, sive speciales, aut sint certi, id est, ordinarij; aut incerti, id est, extraordinarij.

De certis textibus non laboret neq; cogitet futurus Orator, quos vel quomodo eligere, vel invenire debeat: siquidem certi sunt antiquitus in Ecclesiam recepti, & hucusq; conservati, qui perpetuo concionibus singulis annis ex suggestu iterantur.

Sunt autem duplices Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium, & festorum, ab Ecclesia

receptos

receptorum. In aliquibus Ecclesijs adduntur textus catechetici, qui multis quoque libellis proponuntur & explicantur.

De certis textibus notandum.

1. *Quod textus illi à primitiva Ecclesia quidem recepti, & continua annorum seriè servati sunt: sed tātæ autoritatis illa cōstitutio & ordinatio non sit: ut mutari, & alij textus concionib. ordinari, & eligi non poßint: cum æquè omnes ex sacris literis prompti, parem habeant autoritatem, si ex canonicis præcipuè scriptis electi, paremq; ædificādo regno Christi utilitatem: Illud enim esset Pontificis fulmen vereri: sed mutari non facilè debent; propter scandalum, quod vulgus facilè accepturum esset; nisi pastor singulares habeat causas, cur semel atq; iterum ex consveta concionum forma exorbitet, easq; breviter, si visum est, in concione exprimat.*

2. *Vt quidem textus perpetuos retineat, non itidem eandem formam concionādi & tractandi textus illos servet: sed Evangeliorum explicationem, ad præsentia tempora & auditorum mores & vitam applicet. Nullum enim Evangelium vel Epistola tā sterilia sunt, quin inde variæ explicationes & doctrinæ, ad mores præsentes facientes, elicī poßint, si modo diligentia Pastorum accedat. Odio-*

sißimi

ſiſſimi itaq; ſunt illi Paſtores, qui eaſdem conciones perpetuò iterant, neq; ullam partem immutant; quin nec verbum aut jota unum variant, præſertim ſi doctos habeãt auditores, quibus ille aliquoties audita ſunt notiſſima, ut antequam exprimat concionator verbum ullum, quid dicturus ſit anticipent. Quod tamen multi facere ſoleant: cum habeãt infinitas propè Poſtillas, in quibus alias atq; alias inventiones tractandi in promptu habent, quas ad ſuum & ingenium & formam facili negotio applicare valeant, dum modo non integras trãſcriptas ediſcant, quod eſt alienis ſe ornare plumis.

Si verò totas mutare ex uſu non videtur (ſemper enim futurus concionator auditorum rationem habere debet, ut ad illos concionem dirigat) vel ſi negotia non permittunt (quibus obruti utplurimũ ſunt Paſtores in pagis) exordium mutet; & partitionem; ut vel aliquid addat, vel demat, vel partem unam dividat, quod omnium eſt facilimum: quin & concluſionem variet ad præſentem auditorum conditionem, vel tempora directam.

Textus incerti, id eſt, extraordinarij qui propter ordinarias operas ad functionem Eccleſiaſticam pertinent, ſunt triplices.

Aut connubiales ſeu nuptiales.

Aut

Aut Gratulatoriæ, in publicis actibus & solemnitatibus, Aut funebres.

De illis textibus notandum.

1. *Quod quidem non tam sint inventu faciles, sed tamen magna eorum copia & tradita & disposita sit à multis. Et, ut unum ex multis producamus, Felix Bidembacchius, Theologus Thubingensis, quingentos textus ad funebres contiones in Promptuario Exequiali disposuit: ut & plurimos nuptiales in Promptuario Connubiali; ex quibus variorum textuum inventionem & dispositionem quis facilè depromere posit. Scripsit quoq; conciones funebres M. Hieronymus Menzelius. De quo autore quales textus adhibuerit, quomodo applicarit, Theologis judicium relinquo.*

2. *Sin verò hujusmodi librorum copia non subsit in inventione eorum textuum respicere debemus, ad præsentis rei & negotij, & personarum, actionum, eventuum, aliarumq; circumstantiarum qualitatem: ut textum convenientem habeamus. Nihil enim tam meretur gratiam, & admirationem, quam, si textus ex re ipsa quasi natus videatur, quod omnem adulationis, omnem odij suspicionem declinans, pastoris sinceritatem & candorem testatur.*

3. *Vt sint ejusmodi textus ad singularem ali-*

quem affectum præsenti negotio convenientem, & necessarium, vel per se, vel explicatione Pastoris directi. Tales enim conciones cùm affectuosæ esse debeant, in quibus movendi & persvadẽdi omnem vim periclitari necesse sit, ingenij sagacitas apparet; si aptum & affectui convenientem textum adhibet Concionator.

4. *Textus illi non sint nimis prolixi, ne concionis modum excedant: quominus integri tractari possint; sed breves auditorũ memoriæ sufficientes; nisi in textibus illis sit gratia aliqua singularis, puta, historia aliqua quæ legatur, quamvis non integra explicetur, & concione tractetur, vel noti auditoribus, quales sunt plærumq; Psalmi, qui ad omnes casus humanos concione tractandos sunt accommodati, cum in ijs humanæ sortis cunctis vicißitudines contineantur.*

De omnibus in genere textibus notandum.

1. *Vt illos sibi concionatores futuri probè infigant memoriæ. Est enim illorum memoria quasi fundamentum concionis, quo inniti in concionando poßit.*

2. *Vt textuum in concionibus scribendis ductum sequantur, cum enim concionators elogia DEI ex sacra scriptura promere in suggestum debeant, textus*

textus meritò fundamentum est, cui omnia in concione incumbere quasi debent. Idque propterea ne discedens concionator à textu, & peregrinum adferens, in suspicionem incurrat, vel negligentiæ, vel quod affectibus indulgeat. Facit præterea ductus textuum ad memoriam auditorum juvandam. Cum enim textus plerumque illis notissimi sint, quæ ad singula textuum tanquam ad notiora relata, facilè & capere & retinere possint. Peccabunt itaque futuri concionatores, qui simul cum libro omnem de textu proposito, & prælecto, sermonem, deposuerunt, adeò; ut ne verbo illius mentionem injiciant, & fundamento relicto, in aëre quasi navigabunt.

3. *Si autem textum integrum vel tractare vel explicare noluerit, expressè dicat: se hoc vel hoc duntaxat ex textu tractaturum; ut sciant auditores, quid expectandum sit ex concione.*

CAPUT IV.

De destinatione ad certum finem, deque modis generalibus ad finem facientibus.

POstquam ita materia inventa & selecta est, consideret futurus concionator, ad quem finem concionem suam dirigere velit, & quomodo illud facere debeat.

 Id fit

Id fit vel secundum *qualitatem*: *vel quantitatem*. *In qualitate consideret*, an concio debeat esse *didactica*, in informatione auditorum, de articulo aliquo fidei consistens, eaq; an simplex, an disputatoria, an mixta: *vel practica*, hoc est, an paraenesin instituere velit, seu adhortationem concione persuasoria, eaque duplici, aut *Evangelica*, id est, consolatoria, aut *legali*, id est, accusatoria. Non enim Pastor temerè, quicquid in buccam venit, vel meditando sibi proponere, vel sine ratione in suggestum producere debet, sed hoc est fidelis Pastoris officium: ut etiam atq; etiam videat, & mediteturs: quidnam sit, & in quem finem illud propositurus.

Ut autem facilius sciat, quò directa esse debeat omnis concio observandum.

I. Ne quærat sibi futurus concionator ullam artificij & eloquentiæ laudem, & gloriam nec eo textus meditationem dirigat, & componat: quò suæ laudis potius, quam salutis auditorum cupidus esse videatur.

II. Ut habeat rationem circumstantiarum temporis, loci. Quoniam ita comparatum est in vicißitudine omnium rerum: ut alia tempora alias calamitates, mutationes, vel etiam fortunas adferant, adque, si proficere aliquid concionibus cupiat, easdem dirigat necesse est.

Sunt autem mala, & calamitates, vel præsentes vel imminentes, & futuræ, Præsentium

causarum est significatio, & consolatio, majorumq; designatio, nisi pœnitentiam egerint. Futurarum ex causis denunciatio, & ad pœnam adhortatio. Eaque ad propria vel aliena, ut quod aliis accidit, nobis evenire posse iudicemus. Possunt conciones illæ esse aut Evangelicæ, aut Legales, prout concionatori futuro ex circumstantiis visum fuerit.

III. Vt ad statum & conditionem suorum auditorum textum concionis applicet: ut non tantum finem spectet accommodatum, verum etiam media convenientia, quibus finem illum, se assecuturum sperat, quærat, hoc est, res & verba ad captum auditorum componat: ne nimis sublimia nimisq; in aliam partem vulgata proponat: & ad nauseam usque inculcet. Peccabunt itaque futuri concionatores, si, rudi plebeculæ concionem proponentes, ut plurimùm græca, latina immiscuerint concionibus. Derivationes multorum vocabulorum, ex Hebraicis vel Græcis fontibus deductas inseruerint, & aliæ quæ auditorum captum excedunt, jactaverint è suggestu; imò & illi, qui subtiles & odiosas, otiosasq; quæstiones, periculosas, & spinosis disputationes proposuerint, utpote: Si quæsierint, quid DEVS egerit, ante creationem; ubi sit infernus, & quàm magnus sit, &c. qui de

prædestinatione, de Electione, de communicatione Idiomatum, de Trinitate, & aliis, quæ propter subtilitatem auditoribus ansam præbēt, in hæc mysteria extra verbum cæca rationis libidine, scrutandi subtiliter plus, quàm utiliter pro concione disseruerint. Imò & isti laudandi non sunt, qui vulgaria, vel sæpe non nisi verba inania jactarint, crambemq; non bis, sed centies coctam apposuerint, ut paulò ante dictum, & sæpè dicendum.

IV. In destinatione finis non minus etiam textum respiciat, & quantum textus permittit, ad præsentem usum auditorum concionem dirigat: ne, si extra textus ductum auditores arguere, & adhortari voluerit incurrat in suspicionem, se ex affectu quicquam agere, quod antea monitum. Nam si textum expressum habet, illum exaggerare, & ad præsentes mores auditorum applicare potest. Quæ applicatio & exaggeratio, tam ad multos, quam ad paucos dirigenda est. Sin verò in uno textu plures sint loci, ex quibus auditores admonere possimus, videndum est, ut illum adhibeamus, reliquis relictis, vel leviter saltem propositis, qui accommodatus est moribus auditorum. Si enim creberrimè res una proponitur, vilescit ejusmodi concio, & Pastorum auctoritas, ut assuescant auditores, tandemq; per contemptum dicant:

Der Pfaff kan nichts mehr als da/vnd davon plaudern. *Quæ Epicureorum vox omni Pastorum diligentia evitanda est: Ut, si vigilantissimi Pastores in omnibus officij partibus esse debeant, in hac quoq; vigilantia requiratur, ut sciant ex hominum suæ curæ commissorum vita & actionibus, quonam concionem omnem componere debeant. Ille enim scopus concionatoris, ut semper aliquid opera sui muneris ædificet, aut proficiat apud auditores.*

Necesse itaq; est, ut jam dictum, ut præmeditetur & probe cognoscat, in quibus ædificare & proficere, & quomodo velit, usq; adeò; ut, si non semper ad omnes possit, ad unum atq; alterum aliquando concionem suam principaliter ac indefinitè componat, & ut nostri Germani dicunt: Den Knippel vnter die Hunde werffen / wer getroffen wird / wird wol schreyen. *Satis enim est, si non apud plures, apud unum atq; alterum concio suum fructum, operante Spiritus sancti gratia, ferat.*

Reliqua in scribenda concione prudentiæ & vigilantiæ Concionatorum, hoc consilio permittenda, ut candidati concionum sacrarum, maximè solliciti sint in concione scribenda, ne ex tempore omnia scribant, & effutiant, quæcunq; in lingva nascantur, quod solent illi facere, qui ocio, compo-

tationibus, vel nimiis rerum domesticarum curis occupati, concionem ne cogitant quidem, antequam dies Sabbathi eos officij admoneat, quin adeò peregrinorum veterno immortui; ut nisi signo in templo dato ad meditationem concionis excitentur: sed qua possunt diligentia & reverentia, præmissa imploratione auxilij Spiritus Sancti, ad meditationem concionis se accingant, qua tamen Theologis committimus & suæ cuique conscientiæ commendamus.

In quantitate concionum id unicè agant futuri concionatores: ne nimis longis concionibus adsuescant, neve sermonem ultra horæ spatium extendant.

Id enim præter quam, quod arrogantiæ & ostentationis, nimiæ eruditionis, & eloquentiæ non levem præbeat suspicionem, & huius ergò odium auditorum conciliet; etiam odiosum & tædiosum est auditoribus qui sedere diu ob causas necessarias non possunt: vel si intensum frigus urget: vel in profestis diebus tempore messis, negotiationum, ratione cuiusque loci, sua quemque vocatio animos occupat, & aures à concione avocat.

2. *Est etiam eo nomine infructiferum; cum auditores omnia capere, & retinere non possunt; quod prolixitas concionis priora excutiat, posterius au-*

Addo hic sententiam Lutheri, qui dicit: Invidiosa mihi res est longa prædicatio. Nam spiritus desiderii ad audiendum extinguitur in auditoribus, & ipsi concionatores sibi injuriosi sunt. Propterea id elaborare debent futuri concionatores: ut nervosa & efficaci brevitate desiderium audiendi auditorum semper retineant; quam longa concione vel semel tædium creent. In hunc finem Pastores semper in suggestu habent clepsydram, quæ metam concionis monstret. Neque tam est odiosum si docta & elegans concio longius extra metam, quam si rudis & indocta prolixitate se auditoribus commendatam vult. Sed in hoc quilibet pro sua prudentia tempus & modum Concionis moderabitur.

CAPUT V.

De Probationis & Amplificationis instrumentis.

POstquam materiam concionum ejusque differentias & finem consideravimus; proximum esset, ut earum tractationem monstraremus: sed quia tractatio institui non potest sine certis instrumentis, artificio congruis & necessariis.

Itaque usus est: ut ipsa primùm proponamus. Quamvis autem instrumenta illa amplificantia, & probantia omnem propositionem, sive Politicam, sive Ecclesiasticam in Praxi nostra prolixè satis & sufficienter explicata sint: ut hic

ut hic denuò proponere necesse non sit: tamen ut eò melius illa cognosci ex propositis præceptis possint, quæ ad concionem formandam peculiariter pertinent, eò brevius iterabimus; quo diligentius illa dicto loco explicata sunt. Quare non aliam distinctionem locorum, nec diversum eorundem modum indicabimus; solum quasdam notationes concionibus formandis proprias, ibiq; vel omissas vel obscure positas monstrabimus, idq; eum in finem; ne politica cum Ecclesiasticis confundere videamur.

DE DEFINITIONE.

Primum instrumentum Definitio duplex dicta est; nominis & rei.

De nominis definitione notandum, quod illa in concionibus raro locum habet, quodq; fiat, non derivatione, sed notatione nominis.

Locum autem habet:

1. *In tractatione simplicis quæstionis, quando vocabulum est ambiguum, & multas habet significationes: utpote cum de Spiritu sancto verba fiunt: significationes vocabuli* Spiritus, *præmittendæ sunt, ubi observandum ne nimis simus prolixi, & copiosi, in referendis illis significationibus.*

Apud

Apud doctos auditores quidem, quia odiosum; apud indoctos: quia illi non capiunt, tædiosum. Itaque præstat necessarias significationes notasse, quæ ad rem præsentem faciunt addita definitione REI.

2. *Quando aliqua est in paraphrasi in vocabulo emphasis, unde aliqua singularis, aut consolatio, aut cohortatio sumi possit, quod sæpè, præsertim in promissionibus divinis, ubi* DEUS *ipse loquitur, occurrit, ex quo affectum aliquem movere, & animos auditorum exercitare possumus.*

3. *In concionibus disputatorijs, ubi ex vocobuli alicujus natura, & significatione adversarium refutare possumus.*

De definitione rei notandum.

1. *Quod ea intelligatur & exacta seu Logica, & Rhetorica quæ descriptio seu paraphrasis nominatur, diversis tamen locis.*

2. *Quod definitio prior locum habeat, tam in quæstionibus simplicibus, quam conjunctis, concionis didacticæ Quare studiosis Theologiæ commendatissimæ esse debent, sine quibus articulorum fidei nec exactam cognitionem habere, neq; populo easdem proponere possint. Cum definitiones per causas summam articuli contineant, quas resolvere concione, & facilè proponere auditoribus in utraq; concione possunt.*

Periphrasis est vel simplex.

Vnius vocabuli, de quo observandum:

1. Quod rum usum maximum præstet, quando in vocabulo aliqua est emphasis, quæ & excitare ad ... attentionem, & ad affectum singularem ... auditores possit.

... d fiat per descriptionem seu periphrasin ... sonarum à præstantia, dignitate, a- ... singularibus petitam.

Quod locum habeat in didacticis, crebrius ... in practicis concionibus, quando aliquem effectum concitare cupimus. Exemplo sit emphaticum hoc dictum, Esa. 43. JA MJR hastu arbeit gemacht in deinen Sünden vñ hast MJR Mühe gemacht in deiner Missethat. JCH/ JCH tilge deine Vbertrettung vmb MEJ-NET willen vnd gedencke deiner Sünden nicht. Ex quo quilibet intelligit, quomodo ex loco personarum emphasin horum vocabulorum summa cum efficacia proponere, & conjunctam periphrasin ab effectis adjungere debeat. Magno imo maximo opere itaq; attendant futuri Pastores in meditatione concionis, ut loco convenienti, quandocunq; possunt in exaggeratione testimoniorum, ubi potissimum dominatur, hoc artificium, adhibeant.

Vel

Vel conjuncta, *hoc est, totius sententiæ vel textus integri, sive generalis sive specialis.*

De hoc notandum:

1. *Quod sumatur ab intentione scribentis, à causis; a circumstantijs, adjunctis, effectibus.*
2. *Quòd locum habeat cùm in didacticis, tùm practicis concionibus, illis quando textum interpretamur: his ubi quicquam exaggerare volumus, tum principium ejusdem est. Omnem enim exaggerationem ejusmodi descriptio proximè præcedit.*
3. *Quod præsertim usum maximum habeat in historijs & parabolis, quia ejusmodi descriptionibus populo inculcantur.*
4. *Quod descriptiones & paraphrases fidei debeant esse analogæ.*
5. *Quod veræ vel verisimiles esse debeant, ne in descriptione historiarum per circumstantias falsa & fabulosa misceamus.*
6. *Vt sint ejusmodi descriptiones aptæ gravitatem quandam efficacem in animis auditorum habeant. Reliqua futurus Concionator quæ ad descriptionem paraphrasticam pertinent, ex Theologicis exemplis, in Postillis passim expressis, facilè sumere potest.*

DE GE-

DE GENERE ET SPECIE.

Huic proximum & usu frequens est Generis & Speciei instrumentum, quod locum habet tam in didacticis, quam in practicis concionibus. Illis quidem non ita frequenter, cum præsenti materiæ insistere magis ex ingenio & captu sit auditorum, quam si peregrina admisceantur. Proinde maximè peccant, qui vel in paraphrasi alicuius textus, vel explicatione articuli fidei peregrina quasi per digressionem admiscent. Illud enim est confundere materias, & intricatos auditorum animos reddere & dubios relinquere.

In disputatorijs concionibus, tum locum habet, quando à reipsa, ex justa causa, ad personam digredimur, ne multis verbis rem ipsam post refutationem execremur. Quæ digressio stricta tamen esse debet.

Est autem huius loci usus maximus in concionibus practicis, ubi persuademus id, quod fit modò fermè eodem quem in Praxi diximus strictè & amplè, ex ijsdem quoque locis. Exemplo patet: quando de misericordia & beneficijs Dei in Evangelio hoc vel illo, puta de cæco, Dominica Esto mihi, Luc. 18. de muliere Cananæa Dominica Reminiscere: de Dæmoniaco, Dominica Oculi, Luc. 11. & alijs verba facienda sunt, tum commodè digredimur ad misericordiam & amorem Dei eamque digresisionem amplificamus.

1. *Ex dictis scripturæ, quomodo Deus misericordiam & opem offerat: ut ex Psalmo: Invoca me in die tribulationis, (quæ dicta per periphrasin, si opus est, amplificari possunt.*

2. *Ab*

2. *Ab exemplis indefinitis omnium hominum: quod misericordia omnibus hominibus oblata & declarata id testetur.*

3. *Addi potest & comparatio. si illis misericordiam suam declaravit. Ergò & nobis.*

4. *Tandem epiphonema cum apostrophe eleganter ad auditores directum additur, cui subjungitur hypothesis præsentis concionis. Exemplum germanicum facilè quivis addere potest.*

Sic de ira DEI, de pœnis, de consolationibus, in cruce & calamitatibus, quando conciones habendæ sunt facilè ad eundem modum loco generis & speciei uti possumus.

Huc itaque vocanda sunt ex Praxi requisita in digressionibus necessaria, & diligentissimè observandum in concionibus odiosas esse, & inutiles prolixas digressiones, quibus tum plerumque concionatores utuntur (si judicio aliàs non destituuntur) quando concionem non diligenter præmeditati sunt: ut propterea ad nota dilabi, & tempus tenere cogantur. Verùm, quantum potest, futuri concionatores ab ejusmodi digressionibus prolixis sibi caveant, ut easdem non nisi strictè & loco convenienti adhibeant. Facilè enim illis, si non sunt exercitati, vel memoria tenaci valent, confunduntur; ut quomodo ad proposi-

propositum regredi debeant, ignorent, & hac ratione à scopo aberrent, ineptamque concionem forment. Reprehendendi itaque sunt illi Pastores, qui cum locum communem arripiunt, illico immorantur, & in concionem integram deducunt. Exempli gratia: quando quis illam propositionem: Friede sey mit Euch: *explicaturus digreditur ad commendationem pacis, eamque non paucis verbis, sed per totam sacram scripturam metaphoris perpetuis, ad horam fermè totam deducit, quomodo Pax à prima promissione: per omnes articulos beneficiorum Salvatoris nostri, nobis data sit, ne ille stultitiam inanem, non eruditionē aliquam apud doctos præsertim prodit. Proinde ne simus hic prolixi, reliqua ex Praxi nostra petenda sunt.*

Fit autem non rarò digressio in concionibus sacris (id quod peculiare sibi fermè vendicant) ubi à thesi seu genere, ad hypothesin seu speciem orationem convertunt concionatores: tum nimirum, quando inter auditores unum, vel plures sciant in peccatis contra conscientiam, cum scandalo aliorum vivere; ut eos reprehendant, modo in verbo DEI præscripto, & ad pœnitentiam adhortentur.

De illo huc vocandum, quod superius in secundo capite diximus, addendum tantùm.

8. *Quod illa digressio non debeat esse nimis proli-*

prolixa; ne affectibus plus, quam officio tribuisse concionator videatur, & continuus reprehensionibus alieniores facti causam habeant [illegible],
Der Pfarr kan nichts mehr als schelten.

2. *Vt illa fiat sine respectu personarum (quod bis vel ter quaterq́ monendum est, non sine causa, qu*[illegible] *quisque domi putet.)*

3. *Vt non reprehendat, & arguat sine ratione; sed cautè agat & artificio singulari utantur: ut illum, quem it, petit & citiùs commoveat, & alios quoque ad frugem pietatis revocet. Nihil enim odiosius est, quam si quis sine ulla gratia peccata arguat. Quare huc maximè omne artificium exaggerationis pertinet, tam ratione rei, quam verborum.*

Potissimum autem hic dominatur locus descriptionis, tam personæ, quæ peccavit; quàm peccati: locus comparationis & causarum:

De quibus in ipsa exaggeratione.

4. *Vt ejusmodi digressio regressionem aptissimam habeat, quæ sumenda partim ex præcedenti seu thesi, de qua per occasionem in textu oblatam, & ad personam translatam digressi eramus, partim ab aliis, ad quas præsens sermo pertinere quoque visus est.*

5. *Habeat epiphonema consolatorium plerunq́ʒ, nisi cognoscat auditores multos vel paucos perfractos planè, & immortuos in peccatis esse. Quæ omnia judicio Pastoris relinquenda tamen videntur, & in concione legali infra tractantur.*

DE CAVSIS.

QVæ de causis in Praxi dicta sunt eorum omninò eadem ratio est. In didacticis enim concionibus quibuscunq; efficientes proximæ & remotæ adhibentur, itemq; materialis, &c. *prout illa notiora sunt concionatoribus futuris, qui (ut apprime necessarium est) ex Logicis constructionem & resolutionem definitionum, modumq́ʒ docendi noverunt.* Quin imò in practicis concionibus, eædem efficientes impulsivæ sunt, & quidem de his singulariter hic notandum.

I. *In bonis, ubi prima causa Deus, cum omnibus suis beneficijs, proxima conscientia, &c. Deus impellit & incitat nos: ut faciamus, vel fugiamus, idq́ʒ primò mandatis expreßis vel vult, vel prohibet: & effectis mandatorum, prout in tractatione patebit. Ira vel misericordia; à conditione nostræ miseriæ, parendi neceßitate, tanquā causa externa & prima: In malis Diabolus insidias nobis struit mille artibus, per organa sua mundum, annuente*

carnis

carnis nostræ malitia, tanquam causa interna quæ causa impulsiva est, quam proponimus & exaggeramus, ut fugiamus, non ut faciamus.

II. *Vt alias causas transeamus, in Praxi satis superq; explicatas hic operæ precium est, ut etiam atque etiam futuris concionatoribus commendemus, in suasionibus & adhortationibus, causas finales & effectus, ab utili & inutili, ad hanc & futuram vitam faciente petitas. Prout bona seu utilia animæ corporis & fortunæ notißima sunt, ista enim maximè movent, si unum observetur, ut artificiosè per exaggerationem sive strictam sive prolixam proponant, atque adeò vis tota persuasionis in iis consistere videtur. Sumitur autem potißimum exaggeratio, tàm in præmiis, quàm in pœnis, à descriptione, Exempli gratia: regni cælorum, gaudij æterni, & contra gehennæ, cruciatus ineffabilis, contrario & comparatione, &c.*

In concionibus didacticis causarum usus in omnibus definitionibus demonstratur, ut præter illa, quæ diximus huc vocare propositi nostri visum non sit.

DE TOTO ET PARTIBUS.

De toto & partibus nihil prætereâ addendum videtur: *nisi*

I. *Quod generalis partitio eadem sit, & quod*

Germanicæ linguæ natura & proprietas tam crebras in amplificatione & exaggeratione divisiones, & distinctas rem totam in suas partes seu species, sic deducentes narrationes non admittat: quia Germanica lingua copiosior est vocabulorum numero pluribus rem unam notante, quin etiam articulorum cuivis nomini additorum copia elegantiam huic loco adimere videtur. Unde potius collectivis particulis delectatur: Alles/ alles / Nichts / nichts. Quando autem magna est emphasis in rebus describendis & exaggerandis (in quo potissimum hic spectetur locus) tunc hisce particulis subijcimus distinctam specierum narrationem: ita tamen; ut collectivæ particulæ inserantur, & conjunctiones copulativæ, ut in Psalmo 8. Alles hat GOTT unter seine Füsse gethan / Schaaff / unnd Ochsen allzumal: dazu die Vögel unter dem Himel / die Fisch im Meer / &c.

2. Distinctio cum judicio modo jam dicto, adhibetur in concionibus practicis legalibus, & Evangelicis, quando acres affectus amoris, vel doloris movere cupimus, & plerumque cum apostrophe; ut: Allen ist es gesaget / ihr sendt gleich Arm oder Reich / Hoch oder Niedriges Standes / Jung oder Alt. Du seyest

seyest Bürgermeister oder Rhat / Adel oder Vnadel / König oder Keyser / *&c.*

3. *Solent etiam Pastores in rebus gravißimis, partitionibus uti cum gradatione, tàm rerum, quam verborum: ubi cum ipsis rebus vocabula apta, & rebus accommodata requiruntur; ut animi auditorum afficiantur. Exempli gratia, Si in Nativitate Christi gaudium per hoc instrumentum ita amplificetur & exaggeretur.* Daher die gantze Christenheit sich erfrewet / daher die Engel gesungen vnd jubiliret / daher die gantze Himlische Heerscharen triumphiret / ja die gantze Creatur sich beweget / vnd die vnvernünfftigen Thier jhre Frewde außgeschüttet / vnd diesem Newgebohrnen Kindelein lobgesungen haben. *Sed modus ille cum prodat artem apertam rarißimus est, & maximum judicium Pastoris requirit. Huc pertinet κλῆμαξ, de qua figura in Praxi.*

DE COMPARATIONE.

Comparationum naturam & distinctionem, quæ in Praxi proposita, huc vocare delineationis ratio, & ipsorum præceptorum convenientia non operæ precium faciunt.

Itaque notabimus tantum: *quod locum habeat tam in didacticis, quam in practicis concionibus: illis quidem nō quatenus simpliciter aliquid docemus, sed quatenus simul laudamus, & extollimus, q mixtum genus cōcionis dici solet (nisi quando in Exordiis didacticarum concionum propositam doctrinam, ex comparatione aliarum laudamus & commendamus) Quando enim docemus, tum simpliciter veritatem astruimus, neq; cum aliquo comparamus: In practicis verò concionbus, vel maximè locum habet: ubi comparationes semper instituimus, in omnibus fermè locis: præsertim autem in causis impulsivis & finalibus amplificandis, exornandis, & exaggerandis. In quibus futuri concionatores maximè soliciti erunt; ut appositas & emphaticas comparationes,* tàm secundum quantitatem, quàm qualitatem *adhibeant.*

Secundum quantitatem quidem, præter illa quæ in Praxi dicta sunt, observandum.

1. Vt respiciamus auditorum conditionem, & mores.

2. Textum, quales comparationes permittat, ne peregrinas adferat.

Quoniam verò in concionibus cum DEO nobis res est.

I. Comparationes inter DEI opera & beneficia nobis exhibita, quando ſimpliciter ea conſideramus, inſtituuntur.

II. Deinde quando reſpectivè ad homines collata exaggerantur, & in concionem veniunt: opera & actiones hominum ad DEI conferimus.

III. Qvando hominum opera ſimpliciter conſideramus, qualia ex Dei mandato eſſe debeant, diverſorum hominum actiones & mores conferimus: puta Ethnicorum & Chriſtianorum: Chriſtianorum inter ſe, illa à minori ad majus: hæc à paribus.

IIII: Qvando homines ex ſua natura æſtimamus, eorumq; mores deſcribimns, in virtutibus & vitijs; tùm comparationem à brutis animalibus non rarô inſtituimus.

Secundum qualitatem: collatio per ſimilia dicta, liberior eſt, &

I. Sumitur à rebus in ſenſus incurrentibus & omnibus notis. Cum enim ſimilium & disſimilium natura & uſus ſit, ut declarent: per notiora illud fieri neceſſe eſt. Itaq; tantum obſervandum, ne ſint nimis prolixa ſimilia, ſed brevia & rotunda.

II. Vt potisſimum ex ſacris, & pijs, & etiam honeſtis ſumantur, quæ ad res divinas, vel pios hominum mores applicentur. Quomodo autem inveniri debeant, in Praxi ſatis dictum eſt.

III. Quod ea ſimilia in rebus, in perſonis, & factis particularibus, quæ ad laudem & vituperium pertinent, exempla ipſa paria ſimilium naturam induant, & alterius factum declarent.

Locum autem habent in concionibus, tàm didacticis, quam practicis, *in eum finem; ut rem illustremus, sive ad cog itionem, sive ad actionem dirigendam: Habentque maximam gratiam in concionibus apud auditores, doctos præsertim: ut & indoctos, si apta similia eleganter proponit concionator.*

Proinde, ut in aliis, sic in hoc summam diligẽtiam adhibere debent futuri Pastores, ut similibus elegantissimis subinde conciones suas condiant.

DE OPPOSITIS.

Oppositorum locus in concionibus sacris usum maximum præstat, non quidem in Practicis, quæ disputationes & objectiones non admittunt: nisi quando contra concionis argumentum auditores aliquid obijcere posse diligenti, & providâ præmeditatione futuri concionatores arbitrantur: quarum conjecturam auditorum animus, conditio, mores, præcipuè autem propositi textus ratio suppeditabit, & modum solvendi Praxis nostra monstrabit, neque ita crebrò in concionibus mixtis, quando scopum practicum nobis præfiximus; ubi textus brevis fieri debet explicatio, quæ non operosis disputationibus impedita & turbata sit. Si tamen textus ipse objectioni ansam præbet, brevis illa esse debet: figura præteritionis proposita.

Locum autem habet & usum principalem in concionibus didacticis; ubi docemus, & articulorum fidei veritatem, ex fundamento sacrarum literarum evincimus: Ibi enim adversariorum

error

error detegendus, argumenta confutanda sunt.

De quibus objectionibus disputationibusque notandum.

I. *Ut non immisceantur; nisi rei necessitas, & auditorum ratio flagitaverit: ubi & textus quid dubij adfert, quo adversarij errori suo speciem adfingunt, & glaucoma incautioribus objiciunt: ut illam oculis, mentis removeant; quo falsitatem videant & fugiant: Vel sciunt auditorum animis insidere quandam opinionem falsam: ut illam eximant. Vel deniq; cognitum habẽt esse alterius religionis inter auditores, qui tam publicè, quàm privatim erudiendi, & in viam reducendi sint.*

II. *Ne in omnibus concionibus perpetuò disputent, eandemque rationem suggestus in templo, & cathedræ in scholis habeant. Id enim, ut arrogantiæ argumentum est; ita nihil proficit, sed dubios & intricatos indoctiorum præsertim animos reddit.*

III. *Ne nimis alta & arcana disputando scrutantes, in suggestu proponant: quod ansam præbet stultitiæ humanæ rationis, de arcanis Dei inquirendi: unde non raro fit: ut Pastores illi hæreseos insimulentur, cum auditores dicta non intelligant.*

IIII. *Itaq; semper respiciat futurus concionator auditorum statum & cōditionem, num doctorum, vel indoctorum potissimmum (si diversos habet auditores) rationem ducere debeat.*

V. *Vt objectiones & responsiones semper depromat ex sacris literis; non ex cæcitate humanæ rationis, ne in tenebris ambulando offendat.*

VI. *Præcipuè verò à novis terminis, & periculosis locutionibus, in suggestu prorsus abstineat: quin potius, si ejusmodi datæ locutiones, quæ offendere auditores possunt, occurrunt, commoda interpratatione veritatem explicet, & sensum ex aliјs locis scripturæ, qui benignior ipsis videatur, addat, in articulo præcipuè prædestinationis.*

Hæc omnia: quæ, ut propositi nostri ratione sunt breviora: ita etiam brevior & minor cura, sed major de illis esse debet: siquidem & ratio veritatis, & auditorum salus in hoc versatur.

DE CONTRARIIS.

Si locus ullus futuro Concionatori necessarius, hic maximè, qui adhortionibus, sive dehortationibus, sive alio quocunque persvasionibus medio, vim & efficaciam suam obtinet; tam in didacticis, quam practicis materiјs. In illis quidem cum ad genus didascalicum concionem nostram conformamus, ad pugnantia refertur: ita, ut si articulum

ticulum quendam fidei nostræ argumentis confirmavimus, & omnia ad eum pertinentia proposuimus; pugnantia quoque seu contraria explicemus, quid illi vel illi statuerint de hoc articulo, & hoc sensu huic cognatus locus præcedens est, quando nimirum refutamus aduersariorum errores, in hoc tamen diversus, quod in illo semper obiectiones refutemus: in hoc verò certo loco adversariorum errores detegamus.

In hac parte notandum.

I. *Vt apertè, candidè errores adversariorum excutiamus & proponamus nostris auditoribus.*

II. *Vt illud fiat perspicuè apertè, & quidem ex verbis hæreticorum, in quibus nihil addamus, nihil mutemus, nihil omittamus, sive auditores nostræ, sive alterius religionis fuerint: ut ex candore & perspicuitate concionatoris, illi erudiantur; hi ad quendam affectum mitiorem, si non benevolum commoveantur, cum videant nos tam candidè agere, neque religionis nostræ veritati diffidere.*

III. *Vt sine convitiis, sine calumniis personarum, errores adversariorum proponamus, quod maximè animos conciliat, Spiritumque pacatum, ac humilem designat. In qua parte plurimi concionatores peccant, qui dum errores adversariorum refutare debeant: convitiorum plaustris invehuntur in personas, rei ipsius immemores,*

quibus certè convitiis adversarios ad mutua certamina convitiandi provocant, nihilque aliud agunt, quam altercandi studio autoritatem sibi dictatoriam quærentes, una opera auditorum gratiam perdant & adversariorum odium concitent: plus destruant, quam ædificent, in suspicionemque in u rani ruditatis, dum rebus refutandis impares, conv tiis personarum certant.

Præstat itaque errorem ipsum ex immotis veritatis fundamentis placidè disputare, sine personarum odio & mentione: si tamen animadvertimus, adversarios conviтijs certare, pallio patientiæ, & lenitatis affectus nostros tegentes, meliorem mentem ijs precari conducit.

IV. In contrariis exponendis, ne simus nimis prolixi: ut omnes apices errorū excutiamus, sed, quæ præcipua sunt, in quibus cardo rei versatur, proponamus, in eoque ad captum auditorum nos applicemus, nec obruamus eos, multitudine & varieiate materiarum.

In concionibus practicis maximam persuadendi vim habet in omnibus quicquid ad persuasionem aptum & concinnum proponimus. Accedit hic locus in concionibus formandis ad exaggerationem, de quo notandum:

1. Ut contraria opponantur verè illis quæ antea proposit-

proposuimus, ut si præmia pietatis amplificavimus; ex hoc loco pœnas impietatis exaggeramus.

II. *Vt argumenta tractandi huius loci sumantur ex ijsdem locis, ex quibus oppositum argumentum desumptum erat, ut locum loco, argumentum argumento opponamus, ijsdemque figuris exaggerandi ferè utamur.*

III. *Præcipuè tenendum: quod, ut in argumento opposito, cui amplificatio à contrario subijcitur plerumq; descriptio eius rei, ad quam faciendam vel fugiendam allicere animos auditorum volumus, præmittitur: sic contrarij descriptionem præmittamus: reliquum eo modo quo oppositum tractari, jam diximus & perspicuè magis in Praxi patet.*

IV. *Vt etiam adhibeamus contraria vocabula: id est, antitheta, & ea quidem, quæ maximam habent emphasin commovendi auditores. Itaque in contrario exaggerando vocabula debent esse duriora, sonora magis Syllabarum numero, & grauitate, quam vox austera adjuvet, pro rei natura & phrases etiam efficaciores.*

DE ADIUNCTIS, ANTECEDENTIBUS, CONSEQVENTIBUS.

Coniunximus bono consilio hos locos, quia in concionibus formandis eiusdem sunt usus, eodemq́; loco adhibentur: Vterq́; enim usum habet si paraphrasi textuum aliquem explicamus, tam generalem quam specialem, hac tamen differentia quod in illo adiunctum sit, quasi forma rei, & cum descriptione supra explicata conveniat. In hoc sit tanquam comitans ipsum factum, quando nimirum parabolicas vel veras historias paraphrasticè enarramus: ubi hi loci maximum usum præstant.

In practicis quoque concionibus generalibus, quando aliquid agendum, vel fugiendum dicimus; non minus locum habet ad persuasionem, Antecedentia adjuncta & consequentia proponere.

De quibus locis notandum, *in sacris concionibus, quod præcedant locum effectorum, ex iisq́; ultrò sequantur: Quod adjuncta in generalibus materiis, si aptè adhibeantur maximè afficiant auditores, cum rem ipsam quasi ob oculos perspicuè depictam proponant. Ideoque incumbit futuris concionatoribus, ut in explicatione & descriptione rerum adjuncta pro ratione materiæ (in gratis suavia, in ingratis horrenda) apta & rebus congruentia adhibeant, & ea cum loco descriptionis Rhetoricæ conjungant.*

In specialibus, ubi propriè ita dicuncuntur, locum maiorem habent, in didacticis concionib. In quibus notandum.

I. *Vt in historiis veris sumamus ex rei veritate, & ipsa historia antecedentia adjuncta consequentia, eaque ad fundamentum veritatis, per suas circumstantias diducamus, nec quicquam affingamus poëtarum more, qui suas historias fabularum involucris abscondunt, ut veritatem perpetuis tenebris occultent. Illud enim fidem adimit, risumq; movet auditoribus: ut ejusmodi concionatores dicantur* die Fabelhansen. *Si tamen allegorias ex historia aliqua elicere volumus, analoga fidei esse debent, quæ ex pietate proficiscentes, gravitate sua ad pietatem movere poßint auditores, ut supra dictum est.*

II. *In parabolis explicandis hi loci quoque usum habent.*

De quibus notandum.

1. *Quod ex parabolæ visceribus, & natura, à qua desumpta est illa, circumstantiæ desumi debeant.*

2. *Ne sint ridiculæ & ineptæ.*

3. *Vt poßint applicari ad rem, de qua dicuntur.*

Parabolæ enim cum ad doctrinam sint propositæ, eò etiam tanquam ad scopum dirigi debent.

De practicis specialibus nihil addimus, quisque ex facto ipso & suo zelo admodum insequentibus positum, peccata arguat.

DE TE-

DE TESTIMONIIS.

In hoc loco nihil amplius addendum, nisi quod peculiariter ad conciones pertinet.

1. Quod divina testimonia in Ecclesia ad astruendam fidem & veritatem concionis potissimum, vel solum dominentur. Cum enim ministerium Evangelij auctoritatem & veritatem habeat ex verbo Dei, & ex hoc fundamento extructa sunt omnia; eo tanquam ad lapidem Lydium omnia verba examinari debent, usque adeò: ut veritas ex immotà veritate verbi divini solum dependeat.

Sunt vero illa testimonia, vel ad probandum vel declarandum simul.

Ad probandum quidem testimonia sunt canonica, quæ ex libris canonicis deprompta, nec quicquam ad fidem adstruendam dubij habent: aut non canonica, quæ ex Apocryphis sumpta, ad vitam piè instituendam, maximi sunt momenti.

Ad declarandum testimonia respectivè in collatione considerantur, dū ea adhibeamus: ut aliud alteriūs declarationem doceat, si quæ videntur obscura, si quæ pugnantia.

De quibus observandum.

1. *Quod testimonia novi Testamenti Vetus Testamentum declarent, quod veteris Testamenti testimonia Novo Testamento ab antiquitate lucem fidei majorem addant.*

II. Quod

II. *Quod obscura per magis perspicua explicari debeant: Obscura enim per æquè obscura explicare stultum est; Idque ita, ut continuo scripturæ scripturam explicet.*

Humana quoque testimonia non planè excluduntur, sed huc quoque pertinent, quæ sunt duplicia.

Christiana & Ethnica.

Christiana testimonia sanctorum patrum, & doctorum Ecclesiæ: non quidem ad fundamentum religionis adstruendum, sed ad consensum Ecclesiæ, qui multum valet apud auditores demonstrandum.

Quæ consideramus dupliciter: aut simpliciter, aut cum respectu, id est, collatione.

De simplicibus quidem notandum.

I. *Quod eorum usus sit in disputationibus, & loco oppositorum, quando ex fundamentis scripturæ adversarios refutavimus; ut consensum patrum addamus, si præsertim nobis cum Pontificiis res sit.*

II. *Ne in dogmaticis concionibus usurpentur, nisi quando magna est emphasis, & elegantia in testimonio patrum, tumque unum atque alterum sufficiat, ne videantur testimonia humana ejus auctoritatis; ut traditionum pontificialium more, fidem tradant sacris literis.*

III. Illorum

III. *Illorum patrum testimonia adhibenda sunt, qui non sunt in suspicione notæ alicujus hæreseos: Exempli gratia, Si nos pontificem aliquem citaremus: Si pontificij Calvinum vel Lutherum pro confirmanda sua sententia citarent.*

Respectivè sive in collatione ad invicem patrum testimonia consideramus, ratione temporum, quibus vixerunt & scripserunt: ut antiquiores, qui proximè ad tempora Christi accesserunt, præferamus Neotericis: utq; in illis delectum adhibeamus. Quod tamen Theologis tanquam à Schola Rhetorica alienum committimus.

Ethnica testimonia non rarò quoque immiscentur concionibus.

De quibus notandum.

1. *Quod tum locum habeant, quando in comparationibus Ethnicorum opera laudamus & comprobamus.*

2. *Quando de vita externa & moribus concionem habemus.*

3. *Ne testimonia illa nimis sint crebra, & prolixa: ne videatur vel sacra scriptura, vel sancti patres ejusmodi dictorum steriles.*

4. *Ne in peregrina, puta Græca lingua, quam nullus vel unus, aut alter intelligit, testimonia Ethnicorum citemus.*

5. *Quod huc quoque pertineant Apophthegmata & ele-*

& elegantia Responsa Ethnicorum, sed rarò adhibeantur, & non nisi quando singularis inest elegantia, quæ afficiat auditores.

De modo tractandi, & allegandi videatur Praxis & index dispositionis. Vnum tamen non prætereundum quod in loco definitionis de testimoniorum exaggeratione breviter dictum est, id usum amplissimum habere, si quando in practicis præsertim concionibus, non tam fidem conciliare, quam efficaciam testimonij animis auditorum ingerere volumus.

DE EXEMPLIS.

Duplici nomine hic breviores simus: partim quia hunc locum in Praxi explicavimus, & ad conciones formandas applicavimus: partim, quia cum præcedenti ratione usus & modi tractandi convenit.

Etenim testimonijs regulariter, nisi judicio Pastoris aliter visum fuerit, & modus concionis, diversum svaserit; subjungimus exempla, eaque duplicia: aut ex sacris: aut profanis autoribus.

De quibus breviter notandum.

1. *Quod exempla usum habeant in practicis cōcionibus; ubi aliquid faciendum, vel non faciendum alieno exemplo suademus.*

2. *Quod exempla ex sacris literis potissimum sumi debeant, quæ ad consolationem in ærumnis, ad comminationem in securitate, ad damnationem in peccatis manifestis, plurima nobis suppeditant.*

Profana tamen non minus locum habent, quando comparationem instituimus, inter opera Christiana & Ethnicorum.

Exempla verò fabulosa, vel in quibus suspicio aliqua est falsitatis, vel quæ non videntur ob sui impossibilitatem, vel raritatem vera, puta ex legendis pontificiorum prodeuntia, omninò non adhiberi debent, nisi delectationis gratia judicio Pastorum fieri possit.

3. *Quod verborum efficacia exemplis respondere debeat: ut facti gravitatem Verborum asperitas exequatur. Reliqua ex Praxi nostra petantur, & ex Erasmi libello de copia verborum in exemplis tractandis: præcipuè verò quæ de prolixa Exempli tractatione ibidem dicta sunt: Maximè enim in concionibus movet elegans exemplorum exaggeratio. Si præsertim talia proponunt, quæ cum factis illis, qualia arguimus, conveniunt: ut inde similes eventus prædicamus.*

Admonitio de omnibus locis.

De omnibus his locis lector benevolus statuat, quod titulo respondeant: delineare enim quæ manifestè ad usum Ecclesiasticum facere visa sunt volui, partim quod cœtera ex praxi mea futuri concionatores facile intelligere posint, partim quod apud alios eadem prolixius tractata sunt ad quæ digitum intendentes, aliorum huius argumen-

gumenti scriptorum tradita etiam atque etiam commendo. Illud tantum addo: ut futurus concionator omnium concionum argumenta ex his locis sumat; eaque sibi familiarissima reddat. Fieri enim non potest, qui horum locorum exactam, cum judicio habet cognitionem; quin ex una atque altera materia, copia verborum materna instructus, ad quamvis concionem paratus evadere possit. Quod ut facilius expediatur, in aliorum concionibus legendis, hoc artificium locorum observet, & ad locos suos conferat, ubi exempla eorum, quoties usus postulat promere possit. Hoc autem cōmodè studiosus sacrarum concionum ita instituere potest, si & quomodo, quove ordine, ratione cujusvis textus, hi loci ad didacticam vel practicam concionem pertineant: idque vel suo judicio, vel imitatione aliorum, qui hoc modo Rhetorico conciones suas disposuerunt, noverit.

CAPUT VI.

De Instrumentis ornantibus concionem.

Diximus in Praxi nostra, multò latiorem esse usum apud nos, quam apud Ethnicos fuerit, cum ex foro illorum multò maximus illius usus se in Ecclesiam profuderit.

Itaque omnia Rhetoricæ instrumenta, ad sacras conciones formandas applicamus: quod illi foro nos Ecclesiæ vindicantes. Propterea in Praxi nostra, explicationem figurarum composuimus: ut, quantum quidem lingvæ conditio, & usus maternus admittere potest, facilè ad

usum concionum applicare valeat, si præsertim elegantiæ germanicæ linguæ studuerit: illa enim est germanicæ lingvæ (quod puto etiam in aliis quibus illæ vernaculæ sunt) conditio: ut ob amplitudinem suam, Rhetoricæ apices. artium terminos non capiat: multaque sit licentia mutandorum vocabulorum & phrasium major. Proinde ad lingvam germanicam expoliendam solet commendari, præter sacra Biblia, [redacted]. Addi etiam potest postillarum lectio, quas commendatas acceperint à suis præceptoribus (Ego enim de nulla judicium feram) Vtrumque enim tam rei, quam verborum artificium, in lectione postillarum studiosè observare futuri Concionatores debent.

Proindè nos sententiarum & verborum figuras brevi delineatione persequemur.

In Loco definitionis, seu descriptionis ὁρισμὸς *observandus, qui obscura brevitèr & nervose explicare debet, his fermè modis:* Das ist: Wil hiemit angezeiget haben: wird hiemit verstanden.

2. *Hypotyposes seu descriptiones rerum, & personarum, quæ ad rem facientes, & ex re ipsa deductæ, scopum propositum respicere debent: aut aures & animos auditorum rectam, ad finem, quem intendimus, ducamus viam.*

3. In ex-

3. *In exaggerandis, & ob oculos ponendis hominum peccatis aliaq; re quacunq;: huc quoq; pertinet* Congeries, *quando ad eundem finem paulò diversas phrases emphaticas, cumulamus, ut rei gravitatẽ exprimamus, exempli gratia:* Was gedenckstu wol/wenn du solche grosse Schand vñ Laster begehest? Wie ist dir wol zu muth/ weñ du also wieder dein gewissen handelst? Wo meinstu das dein Gottloses leben hinauß wil? Meinstu nicht das dich Gott deiner Sünden halben / in welcher du jetzt ohne Busse lebest / straffen wird / *cui additur conclusio: sic etiam in aliis exemplis maximè hac figura movemus.*

In loco generis & speciei observanda probè:

I. *Digressio, ne illa sit nimis prolixa, sed quam potest fieri brevissima.*

II. *Huc facit Aetiologia, quando causam addimus generalẽ, ad regressionẽ verò* συμπέρασμα. *Quando concludimus hypothesin, ex thesi illa digressionis, ut:* Wo dieses war / so wil hierauß gewißlich folgen.

III. *Pertinet etiam ad digressionem breviter formandam* κλῆμαξ, *quando unum ex alio colligimus, & in Regressione, à minori ad majus propositi nostri tendimus, ut:* Auß Hoffart kompt

Vbermuth/auß Vbermuth kompt Frechheit/ auß Frechheit kompt Verachtung/auß Verachtung kompt Sicherheit/darauß das Verderben gewißlich folget. *Quæ tamen figura rebus gravißimis serviens, quod apertã prodat artẽ rarior est. Huc etiam pertinet Climax illa, quæ indicat nos satis digne exprimere non posse, Exempli gratia,* Wer kan dieses gnugsam außsprechen.

In loco partium, præter divisionem seu partitionem, eiusque figuras, de quibus in praxi satis; & alia elegans est præteritio in concionibus formandis. *Habetq; locum in conclusione ubi ob materiam, copiam, quædam, quasi non dicturi explicamus, quæ volumus, paritque hæc figura maximam attentionem, & desiderium longioris concionis, ut:* Hie solten wir billich davon sagen: Hie were nichts nötigers/ als daß wir davon redeten/ *&c.* Wir wolten wol hie handeln.

De qua notandum, 1. quod in concionibus brevis & nervosa & Apostrophe figurata esse debeat.

2. Vt adversatiuam habeat concludentem à causis præteritionis petitam. Aber es wil es die Zeit nicht leiden/ wir hörens zur andern Zeit/ *&c.*

Hic vi-

Hic videant futuri Pastores ne errent: ut sub finem concionis longiùs vagentur, & quando desistere debeant, non inveniant, quod tædiosum est, & a devotione animos auditorum avocat.

Hic etiam observanda repetitio partium in fine concionis, quæ brevis esse debet, & maximè elegans, ut in Praxi nostra dictum est.

In loco occupationis figuræ elegantiores; quæ in Germanica lingua obseruari possunt.

1. *Paradiastole, quando illustrationis & emphasis gratia contrarium addimus, ut:* Es weret wol eine weile/vnd lesset sich wol ansehen: Aber es wird endlich ein böses Ende nehmen.

2. *Occupatio, quæ nota est, & fit per vocem:* Aber.

3. *ἀνθυποφορὰ, quando quærimus ex auditoribus, cujus illi potuissent causam proferre: quam tamen refutamus, ut:* Ich frage dich/ ob das recht sey/du meinst vieleicht/du hast es Macht zu thun/oder kanst es wol verantworten? O nein/ob du es bey Menschen verantwortest/wirstu es doch bey Gott nimmer verantworten: oder meinstu daß es Gott nicht siehet? du wirst es gewiß mit deinem grossen Schaden erfahren/daß Er alle deine Laster siehet/vnd straffen wird.

4. *Dilemma, qua ex omni parte constringimus: ut excusationem nullam habeant auditores, ut:* GOTT hat dir seinen willen offenbahret/ auch dir sein Wort vortragen/ du kanst es hören/ vnd der heiligen Sacramenten gebrauchen/ was wiltu für eine entschuldigung vorwenden/ das du GOttes Gebot nicht gefolget/ *&c. sed hæc figura rarior videtur in alijs, in practicis concionibus usitatior.*

5. *ἄρσις & θέσις, quæ est remotio contrarij, seu falsi & positio veri, quæ figura commendatissima esse debet concionatoribus in rebus exaggerandis, ut:* Gott hat nicht einen ansehenlichen Potentaten auff Erden / nicht einen fürnehmen Engel vom Himmel / sondern seinen lieben Sohn vns zu erlösen geschencket / welcher vns nicht mit Gold oder Silber / sondern mit seinem Blut erlöset hat. *Propterea maximè observandum ubi & quoties eleganter adhiberi possit, locum autem habet in causis impulsivis finalibus, comparatione, in reliquis non item.*

De reliquis locis non est operæ precium aliquid addere, si quidem ex hac delineatione, de alijs exemplum capere, & ex praxi, facili negotio alia insuper facientia hauriri possunt.

DE FIGVRIS VERBORVM.

De Verborum figuris hic observādum.

1. Quod

1. *Quod ad germanicam lingvam, easdem applicare non sit necesse, neq; facilè fieri possit, siquidem nec ad Grammatica præcepta, neq; ad hæc Rhetorica adstricti sumus, neq; animadvertimus verborum structuram: dummodo contra germanicæ linguæ elegantiam; proprietatem, usu receptam, non sit peccatum, neq; hic de orthographia præcipiendum, cum non scribantur conciones, sed viva voce proferantur.*

Qui verò easdem literis commendare vult, ipse probè ab orthographia instructus, nostris præceptis opus non habet.

2. *Vt futurus Concionator lingva & phrasibus vocabulisq; se ad captum auditorum accommodet,* das er nicht Cantzeley Deutsch redet / *neq; nimiam verborum copiam, hoc est, Asiaticum genus dicendi, sectetur.*

3. *Vt improprias locutiones, Metonymicas, Metaphoricas, Synecdochicas rarò adhibeat, illasq; præcipuè, cum phrasium & verborum copia, & elegantia sacra Biblia abundent, usurpet, quæ in ijs habentur. Cum enim conciones fundamento sacrarum literarum niti debeant, & verba ex illis, tanquam quæ auditoribus nota sunt, sumantur.*

Proinde novas phrases, & modos loquẽdi, quantum po-

tum potest futurus concionator fugiat, vitet, communemq́ observet stylum, ut putet: quo quid planius, quo simplicius, eò melius & auditoribus gratius esse. Grande enim genus dicendi, si præsertim affectata pronunciatio accedit, suspicionem superbiæ & arrogantiæ concionatoris excitat.

4\. *Ne in epithetis, & Synonymis, nimis sint curiosi & prolixi; ut multa vocabula unum denotantia coacervent.*

Si præsertim ejusmodi Synonyma non sint efficacia, ad rei gravitatem exprimendam; quòd unice in illis observandum.

5\. *In periphrasibus (ratione verborum non rei, ut in loco descriptionis, hic intelligimus:) ne nimis sint crebri, neue nimis prolixi, sed potius, quod uno vocabulo notare possunt, non describant pluribus: nisi in concionibus practicis eiusmodi periphrasis vim aliquam exaggerandi habet, quandoq́ rei & personæ periphrasis juncta est. Ibi enim maximè movet: ut, si peccata hominum exaggarare volo elegantius, & efficacius dico:* Es ist zu beklagen/daß die edelste Creatur auff dieser Welt/welche Gott zu seinem Ebenbild erschaffen/ vnd mit so schönen vnd herrlichen Tugenden gezieret/also schendlich in abschewlichen Sünden sich weltzet. *Quam si dico:* Es ist zu beklagen/ daß der Mensch also sündiget. *Sola*

Sola verò personæ periphrasis frequentior est, quæ fit vel per descriptionem, vel per additum epitheton, ut si quando Deum, de lege & justitia agens, nomino der Gerechte Richter/*&c. De gratia:* Der Vater aller Barmhertzigkeit / vnd alles Trosts. *De quibus observandum, quod rebus præsentibus, ejusmodi periphrases accommodatæ esse debeant.*

Cæterum quæ de figuris vocabula, repetentibus utpotè Anaphora, Epistrophe, Epanalepsi, Epimone, Epizevxi *& affectibus movendis inservientibus, in Praxi dicta sunt, huc quoque vocari facilè possunt.*

Anaphora *enim ad arguendum & adhortandum, ut:* Du / du hast das gethan / Du / du hast das mit deinen Sünden verdienet.

Epistrophe *ad consulendum.* Wer hat dich erlöset? Christus. Wer ist für dich gestorben? Christus. Wem solstu für diese Wolthat danckbar sein? Vnserm HErren Christo/*&c.*

Epanalepsis, *apud Germanos usum non habet, ut mihi quidem videtur.*

Epizevxi *&* Epimone, *in comminationibus, & aliis gravioribus affectibus futuri Pastores suo judicio uti possunt. Observent tamen ne crebrò & loco inconvenienti illas usurpent figuras.*

6. Quæ

6. Quæ ad Euphoniam, quæ ad conjunctionem Grammaticam, Rhetoricam, quæ ad numerum spectant in Praxi nostra proposita in germanica lingua ita obseruari non possunt; Qui tamen esse velit curiosus facilè modum artis & formam in Rhetoricis invenit.

Illud enim hic notandum.

1. Vt in expreßione literarum & Syllabarum elegantiæ studeant futuri concionatores, idque fit, si se applicent ad idioma in quo vivunt. Quamvis enim Misnica dialectus ubique fermè sit in usu, Pastoresq́; plerunque illa utantur; si tamen meo judicio staret, ego mallem concionatores se applicare ad idioma illius loci, ubi degunt, præsertim si non sint diversæ nationis inter auditores: utpote in pagis, inter rusticos, qui certè omnia verba Misnica capere non possunt: ut in Pomerania, inferiori Saxonia, Megapolitanea, &c. Vbi vero sunt diversi idiomatis, & in uno loco diversis dialectis utuntur, utpote in Borußia nostra, præstat uti optimo dicendi genere Misnico:

2. Vt literas exprimere elegans sit, hoc agant; ne vitium linguæ cognoscatur. Homines enim cum sint ad malum proclives, plerumque vitium linguæ vel proprium potius nationis in sermone irridere solent, si tamen dediscere non possunt, (cut diffi-

(ut difficillimè fit) nationis propria; ut non in sermone animadvertatur, hoc agant: ut exprimendo suauitatem habeant, quod exercitio potius, quàm præceptis constat.

3. Hoc præcipuum tamen est, & primum ne deformem reddant sermonem gemitibus, screatibus, adscititiis, proverbiis vel vocabulis crebro usu in omnes sermones, præter voluntatem immixtis, ut plerũq; animadvertimus in multis Pastoribus, quod habeant aliquod proprium, & peculiare vitium in pronunciatione, quod concionem deformem reddere possit.

4. Tandem etiam concionator futurus in periodis concinnãdis sollicitus esse debet, quamuis ea cura minor sit in vernacula nostra: præsertim in cõcionibus; cum in pronunciãdo animadverti non possunt: nisi sint nimis prolixæ, quæ finem inueniunt, quæq; orationi sensum omnẽ, vel adimant vel distrahant ut, quod colligere debeamus, non assequamur, quod plerumq; illis accidit, qui linguæ elegantiam jactare volunt, vel loquacitati fidentes, rerum & verborum numerum præmeditati non sunt. Hoc vero ut caveant, distinctionis artificium ex latina lingua, & illis, quæ in Praxi nostra dicta sunt, mutuare possunt. Facilimè tamen præstabunt, si & rebus & verbis ad captum & usum auditorum sese applicent.

CAPUT

CAPUT VII.

De Affectibus movendis.

DIximus in Praxi nostra, affectuum movendorum tantam vim esse: ut sine illis oratio omnis mortua quasi, & sine sensu ullo sit sonus inanis; Id quod maximè sacris concionibus convenit: ut, qui Pastor concione affectus movere non potest: parum vel nihil præstet concionibus. Itaq; summa cura incumbit futuro concionatori, ut in studio eloquentiæ ad forum Ecclesiasticum directo, naturam & modum affectuum movendorum probè discat, inq; exercitijs Concionatorē formantibus, eò præcipuè studia sua dirigat, ut affectus movere discat: Hoc ut faciat:

1. Sūmopere est cōmendandum artificiū, ut cum summa diligētia & elegātia, quam quidē maximā admittit Germanica lingva, cōscribat suas cōciones ad præcepta Rhetorū, ut sciat ex quibus locis amplificationis argumēta probantia simul, & ornantia desumpta sint, & propterea videat, ut elegātiæ, delectationis & jucūditatis affectum cōcio habeat.

2. Materiam ipsam respiciat, quæ ad auditorum conditionem cōposita, facilè suppeditat, quosnam affectus concio requirat; num iram vel indignationem, num amorem, vel misericordiam, vel alios, qvi in Praxi nostra prolixè descripti; & perspicuè satis ad usum concionis explicati sunt.

3. Vt videat ad præscriptum materiæ, ex quibus locis exaggerare propositum argumentum velit. Illa enim est fundamētum affectuum movendorū: ut ejus vis in Praxi patet, monstratq; quomodo concionem ipsam animis auditorum infundere debeamus. Cum ejus efficacia feriat aures auditorū, & animos aperiat, ut reliquos affectus facilè in se admittant.

4. Con-

4. Considerer, quænam figuræ ratione materiæ, affectibus movēdis cōveniāt, quæ exaggerationi, ex locis amplificationis desumptæ, suppetias eant.

In amoris quidem affectu erga Deum, qui argumentum habet à descriptione Dei: à causis impulsivis: ab effectis, charientismus locum habet, id est blandæ compellationes, Meine geliebten/ Meine Außerwehlten in Christo / *&c. ubi observandum: ne crebo nimis blandis verbis auditores compellemus: ut quidam faciunt Pastores, qui post singula verba hæc vocabula repetunt.*

2: Fiducia, *de certitudine nimirum misericordiæ & gratiæ Dei,* Zweiffelt nicht jhr lieben Christen an GOttes Gnade: Hier sol kein Mensch zweiffeln/ *&c.*

3. Obsecratio: *ut misericordiā Dei accepte͂t,* Ich bitt bitt euch vm̄ die Barmhertzigkeit Gottes.

4. Admiratio *de hominum securitate:* Ich kan mich nicht gnugsam verwundern/ daß die Hertzen der Menschen so verstockt sind/ daß sie Gottes gnedigem Willen nicht gleuben wollen. *Quæ figuræ ad Evangelium, ut & similes plerumq; pertinent; In odij affectu notandum, quod ille ad conciones legales pertineat, ad excitandam pœnitentiam in cordibus hominum.*

Ibi enim ex descriptione immanitatis pectorū ex comminatione iræ divinæ; & exaggeratione pœnarum,

pœnarum, & ex alijs locis argumentis ductis, potissimum sunt ira, quæ voce & gestibus exprimitur.

Indignatio: Es ist ein schendlich vnd abschewlich ding / das jhr das thut / vnd fraget nichts nach Gott.

Objurgatio: Du hast diese schendliche Sünde begangen / drümb dich Gott straffen wird.

Comminatio: Wo jhr euch nicht bekehret / wird euch GOTT der HERR gewißlich straffen.

Execratio, Expostulatio, Desperatio, *qui omnes exempla habent in praxi: ut uno atq; altero germanicè propria diligentia addito, sufficiat.*

3. Ad affectum lætitiæ, patientiæ & constantiæ, qui ad consolationem, & promißionem argumentis, ex loco effectorum & utilium, deductis, pertinens, spem excitat: ut DEUM respiciamus & promißionibus ejus credentes, omnia sufferamus in hoc mundo, facit.

1. Exultatio, *ob misericordiam DEI*, O der grossen vnd vnaußsprechlichen Güte vnd Barmhertzigkeit.

2. Optatio, Wolte Gott das wir dieses in vnsere Hertzen bringen können / wir würden für frewden aufffspringen / &c.

At Tri-

At tristitia ad factum pertinet.

3. Dubitatio, Ich zweiffele gar sehr daß euch die Gnade künfftig wiederfahren werde.

4. Metus, Ich fürchte es wird GOtt mit seiner Straff hinder vns her seyn.

5. Conquestio, Es jamert mich deß Elends der bösen Welt/*&c. sic de aliis in praxi explicatis*

Ad omnes hos affectus pertinet Exclamatio *quæ in concionibus maximæ est efficaciæ in omnibus locis, ita tamen ut rarior sit, & non nisi rebus gravissimis adhibeatur: ne auditores crebris exclamationibus assvescant: Ierem: 22.* O Land/ Land/Land/höre des HERREN Wort.

5. Perpendendũ quomodo hos vel similes affectus, cum quadam gratia per dictas figuras & alias cõmunicemus, petitione nimirum communicatione, ut in praxi, quo Lectorem remitto, dictum est. *Hoc saltem adjungens petitionem in concionibus aptè & rarò adhibitam, maximam in omnibus affectibus vim habere, si præsertim in conclusione vel argumentorum vel generali vel speciali repetitione adhibeatur, ut:* Ich bitte euch durch die Barmhertzigkeit Gottes. *Item communicatio:* Bedenckt dieses / betracht es bey euch selber / gehet in ewere Hertzen. *Habet etiam in concionibus locum sermocinatio.*

mocinatio & imitatio maximum, cum colloquia ejusmodi instituimus, si præsertim introducimus Deum alloquentem homines, & conquerentem de impietate hominum, quod maximè patheticā efficit concionem. Quæ tamen maximè, si elegātia, & pronūciationis commodæ artificium accedit, movet, rarò est adhibenda: ne auditores assvescāt: dictum enim est, ejusmodi figuras cōdimentorū instar esse debere, non esculentorum, quibus saturari, & nauseam capere possimus? quæ lector ex Praxi petat, & cum judicio in cōcionibus adhibeat; ne hic simus tituli nostri immemores, ultrà modum prolixi.

6. Attendat futurus Concionator ad formam proponendi illos affectus.

Ea est aut simplex, quando suis formulis, quæ in Germanica lingva cuilibet Germano sunt in promptu, has figuras affectuum propono.

Vel figurata, quæ fit per interrogationem aut Apostrophen, quæ maximā vim persvadendi habent in concionibus.

Proinde futurus Cōcionator observet: ut has figuras rebus maximi momenti; in quibus putat præcipuam persvadendi vim inesse, adhibeat. Quomodo verò adhibeantur, prolixè satis in Praxi nostra expositum est.

Hæc omnia cum probè observet futuris Concionator, quod primum in Praxi nostra ad affectus movendos esse diximus: pronunciandi, & gestus adhibendi artificium, probè teneat, in ijsq; & artis præceptis, & doctorum imitatione habitum sib. acquirat.

Idq; agat. 1. *Vt non in lingua sed animo natam concionem summa devotione promat: quo auditores, videntes cõcionatoris devotionem, ad similem affectum, & attentionem majorem accendantur.* 2. *Ne in cõcione gemitus perpetui audiantur, inepta enim illa est concio, ubi sine discrimine quævis cum gemitu & ejulatu propè proferuntur. Et quãvis videatur hæc gemendi ratio mulierculis, & rusticis, alijsq; indoctioribus grata, & ad persuasionẽ apta: tamen revera, ut per se est inepta & odiosa doctis: ita, si assvescunt indoctiores, ridicula illis fit: Si tamen in concionibus precationes immiscemus, quod unicè afficit auditores, si præsertim verba gemitibus apta sunt, maximè inserviunt.* 3. *Non tamen omninò austera sit concio, & contentiosa: vel ex irato animo proficiscens, projiciat quasi verba: Sed præter illa, quæ in Praxi dicta sunt, suavis ad rem ipsam, devotione ubiq; adhibita, composita, familiaria colloquia imitari debet: ac si amicus cum amico sermones cõferat, cum auditoribus communicemus, de rebus gravissimis,*

supremum bonum nostram salutem concernentibus. Ita enim sine ulla affectione ex animo nostro promanans concio, facilimè animos auditorum aperit, ut, si res læta sit, voce læta. fronte exporrecta, lætos reddimus auditores: si tristis, voce gemebunda, si vitia exaggeranda, & improbanda, objurgatoria vox acrior rei immanitatem persequens feriat animos auditorum contritosq́; reddat: Si enarrandum aliquid, alterius quasi animum inducentis rem ipsam, quasi imitemur, Et, ut, quod sentio Germanicè dicam, Wenn ein Freund mit dem andern auff gut Deutsch seines Gemüths Meinung saget.

In hac parte nescio quomodo mihi arriserit Reverendus & clarissimus Vir D. David Rungius Professor quondam Academiæ VVitebergensis, qui ad omnia verba ferè, non retinere saltem; sed nova quasi pronunciandi suavitate, & convenientia, allicere aures, & animum ad præsentis sermonis suauitatem, in futurum desiderium potuit; ut quo longior fuerat concio (quam ille tamen odiosa prolixitate tædiosam nunquam reddidit) eò longiorem sæpe exoptaverim.

4. Summo opere etam cavendum ne nimis sit pronunciatio clamosa: ut intendat vocem, ultra quam naturæ vires concedunt; sed cum natura citra affe-

tra affectationem, citra jactantiam superciliosam, modestiam quandam & simplicitatem præ se ferat, nisi quis lenem admodum & submissam à natura habeat vocem, quæ exercitatione excolenda, & cum tempore acrior reddenda. Ita enim pronunciare: ut distincta, & clara voce auditores articulatim animi sensa percipiant, ex usu est auditorum, & gratia concionatoris. Huc omnia illa cura diligenti revocanda sunt, quæ in Praxi nostra de distincta, & varianda pronunciatione omnium partium orationis dicta sunt. Non enim minus in concione quælibet pars ratione suorum affectuum singularem habet pronunciationem, quam quilibet prudens, & ab eloquentia supra vulgus instructus Pastor (quam semper hic requiro) moderabitur: præsertim vero in lectione textuum materiam sequens, voce naturam rei exprimat, & ab omni affectatione & clamosa pronunciatione prorsus abstineat. Quam enim sit stultum, si subinde vocem attollat, supprimat, in uno eodemq; textu legendo, vix scribi, quilibet & artis ignarus facilè æstimare potest.

De gestibus, ut aliqua addamus operæ pretium non est: cum & in Praxi multa satis dicta sint, & varij multique gestus concionibus non conveniant: se scenicis, histrionibus, & gesticulatoribus, quare parcissimi sint in gestibus adhibendis

bendis: ne auditores gesticulationibus oculis intenti; minus verbis attendant.

CAPUT VIII.

De præparantibus futuram tractationem.

INstrumentis Rhetoricis ad compositionem concionis necessarijs, qua potuit fieri brevitate delineatis, proximum est: ut applicemus ea ad materiam futuræ concionis, quod fit præceptis generalibus, seu præparantibus, & specialibus.

De quibus quamvis in secundo capite & in genere aliquid dictum sit; hic tamen in genere dicendum. Neque pigebit, in praxi; quod necessarium est, bis aut pluries scribere aut legere.

Præparantia considerantur ratione, materiæ & formæ.

Ratione materiæ notandum.

1. Quicquid in principio usque ad 5. caput dictum est, diligenti meditatione promittendum.

Illa enim necesse est, ut præcedant cujusvis concionis meditationem: ne futurus concionator in hac parte agat, quod sit, vel suæ vocationi contrarium, vel auditoribus incoveniens, vel etiam sacris literis absonum, & unâ operâ triplici nomine infructiferum.

2. Materiæ seligendæ sunt, quantum una

una concione proponere velit: ut de forma concionis adæquata cogitare poſsit. *Ne coacervent multitudinem variarum rerum, qua auditores obruantur, omnibusq; intentis, cogitationes diſtrahantur, nihilq; capiant: ipſi verò ſeſe implicent; ut quomodo, quoq; ordine ſe expedient, non inveniant: Quod illis accidere ſolet, qui artificium formæ ignorantes, ſcientiam multifariam oſtentare volunt.*

3. Ductum textus diſponendi ſequantur, ad ejusq; præſcriptum quid primum, quid ſecundum eſſe debeat, videat.

Hac ratione enim maximè ſeipſos juvant, ut inſtrumenta Rhotorica applicare, & (cum textus illis ſint potiſsimi) retinere poſsint auditores quoq; habeant continuum ductum, quem ſequantur. Præterquam enim, quod nihil tam ad docendum, & perſvadendum faciat, quam ordo; hoc maximè accedit, quod cum textus auditoribus ſit notus, audiendo, illi adhæreant, acriusq; intenti ſint, quomodo eum Concionator explicet, quam ſi peregrina & à textu aliena adſert.

4. Ad materiæ propoſitæ naturam, & ſenſum genuinum omnis tractatio concionis dirigenda.

Materia enim est subjectum in quod forma introduci debet, ergo necesse est, ut se ad ejus constitutionem dirigat. Proinde hunc vel illum sensum affingere non licet, ut ex didactico textu practicam concionem formemus.

5. Materiarum in tractatione summa est conjunctio; ut, utraque tàm didactica, quàm practica plerumque conjungantur.

Finis enim concionis præcipuus ille est: ut informet & una opera informationis illius scopum & causam (quâ maximè auditores commoventur) indigitet: Cum omnis concio ad pietatis, & salutis promotionem directa esse debeat. Hinc fit, quod omnes conciones fermè sint mixtæ, propterque omnis futura tractatio, in usu adeò sibi conjuncta est, ut ex utriusque præceptis plerasq; maturo judicio formare teneantur futuri Pastores.

Ratione formæ:

1. Omnia instrumenta Rhetorica omnibus pariter inserviunt concionibus, sive practicis, sive didacticis diverso tamen modo.

Communia enim sunt, quæ applicari ad quamvis materiam possunt: ita tamen ut modus eorum à fine discernatur: ut in sequentibus patebit, & in ipsis locis, dictum est.

2. Omni-

2. Omnibus quoque inserviunt partibus orationis.

Iidem enim adhibentur in Exordio, in confirmatione, in confutatione, conclusione, nisi quod diversis verborum, & sententiarum figuris discernantur. Quod namque totius, illud & partium structuram adjuvet necesse est. Alia tamen instrumenta huic parti magis, quam alteri servient, quod usus & exercitatio & aliorum imitatio, melius, quam alia praeceptorum iteratio docet.

3. Quin singula argumenta concionis ex ijsdem amplificantur, illustrantur.

Si enim futurus Pastor diligenti consideratione locorum naturam cum rebus confert, inveniet & hoc: quod unum argumentum ex diversis locis tractetur, praesertim in exaggeratione, Proinde in Synthesi & Analysi omnium argumentorum, tàm quae ipse componit, quam quae in aliis legit; maximè sollicitus esse debet; ut intelligat ex quibus locis argumentum sit constructum, quod ad imitationem alterius, & ad proprium artificium imprimis facit.

5. Applicationis ordo hic est, ut primò sciat, quomodo instrumenta probantia, & amplificantia collocet, ratione cujusvis materiae; deinde ornantia, tandem moventia.

Hoc ordine enim & modo cognito, non tantum artificiosa efficitur concio, verum etiam aliquoties iterata meditatione, futurus concionator habitum sibi facili negotio comparat; ut ad quamvis materiam tractandam expeditus sit.

5. In applicatione locorum, aliorumque instrumentorum ornatum & moventium ordo certus & perpetuus dari non potest.

Materiæ enim variatio, auditorum ratio, locorum & fortunarum, maturo pastoris judicio sæpè suadet; ut ordinem artis mutet, propterea plurima præceptis includi non possunt, quæ judicium pastoris supplet.

6. Non semper omnes loci adhiberi possunt sed aliquando plures, aliquando pauciores.

Materia itaque modum & numerum præscribet quem concionatoris prudētia moderabitur.

7. Quod textus generalis & specialis, si applicantur, ad commodum vel incommodum auditorum eadem, sint honestatis argumenta.

Qui itaque dispositiones concionum ad genera causarum applicare voluerint, ut aliqui Theologorum in Postillis suis fecerunt, per me licet; dispositio

ssio tamen sequens, illis pari opera inservire potest. In praxi quoque forensi, secundum omnia genera causarum tractatio instituetur, in qua viderint quid in usum Ecclesiasticum haurire possunt.

NOTA.

Ordinis ratio flagitat: ut hic de exordio præcepta injiciamus: sed cum in Praxi nostra sufficienter illud tractavimus, nec q alia huc adferri posse videantur, eò studiosos Theologiæ, & sacrarum concionum remittimus: hoc saltem iterantes: ne exordia sint peregrina, præcipuè vero non sint prolixa, sed qua fieri potest breuitate rotunda, Maximè enim in ipso vestibulo exordia prolixa tædium creant, odiosumque pastorem reddunt.

CAPUT IX.

De tractatione concionis didacticæ paraphrastica.

GEneralia præcepta sequuntur specialia, quæ pertinent, aut ad interpretationem, vel ad tractationem propositionis, ad cognitionem vel actionem directa.

Illud enim & jam dictum est, requiritur in quavis concione: ut auditores intelligant, quid textus sibi velit, quid denotet. Iste textus sive sit theticus, id est, Generalis, sive hypotheticus, id est Specialis: est aut simplex, (sic libet vocare) hoc est, dictum unum, aut periodus: vel compositus, hoc est, Integra Epistola, caput vel parabola aut historia.

Vterque

Uterque requirit paraphrasin, & applicationem, Cum enim auditores aliquid audiunt, & intelligunt, illud requiritur ut sciant, quam ob causam, & in quem finem audire debeant:

Paraphrasis simplicis textus est, vel manifesti.

De quo observandum.

Quod eius tractatio sumatur ex circumstantijs, intentione & fine; ratione rerum: verborum autem dilatatione, quæ in copia verborum consistit: ea tamen non vulgaris esse debet: neque nimis prolixa sed quam fieri potest brevissima.

Vel obscuri.

De quo notandum.

Quod illustretur sensus declaratione, confirmetur similium locorum productione, & doctorum approbatione.

Vel ambigui.

De quo notandum.

Quod sensus ambiguus ex proprietate linguæ & distinctione vocabulorum primo eruatur. *Vt enim omnis veritas ex fontibus linguarum hauritur; sic non minus ex distinctione vocabulorum, quæ sunt notæ rerum depromitur.*

2. Intentione scribentis, & subjecta materia

teria proxima ad veritatem via sternitur.

Quod eò facit, ne adversarij textum aliquem in diversum sensum torquere poßint; quodlibet enim cum secundum subiectam materiam intelligendum sit; auditores intelligunt scopum præsentis dicti.

3. Ad absurdum, seu manifestam falsitatem ratione dicti adversarij deducendi sunt.

Sic enim manifesti erroris adversarios convincimus, & auditores nostros in agnita veritate firmamus.

Textus compositi paraphrasis, sit per circumstantias, & adjuncta: ut in illo loco dictum est, & prudens sacerdos convenientes circumstantias facilè, si maximè in postillis non haberentur, excogitare potest. Omnium autem textuum Explicatio habetur paßim in Theologorum scriptis Lucæ, Andreæ Osiandri paraphrasi Bibliorum, Hunnij commentarijs, & alijs quam pluribus.

Illud unicè ante applicationem obseruent futuri Pastores: ut ubicunque possunt aliquam in vocabulo, vel sententia Emphasin eruere illam non negli-

non negligant. Sed verbis emphaticis ad modum in loco definitionis dictum, explicent, & in amplificatione repetitam commodè inculcent, per exaggerationis exquisitum artificium, quod maximum ornatum & motum addit concionibus.

Interpretationem sequitur applicatio quæ dirigitur vel ad cognitionem, vel ad actionem.

Non enim potest alius dari finis; nisi ut primò doceant Pastores: deinde ad actionem & operationem dirigat. Theologia enim cum sit disciplina practica, omnia ad actionem tanquam ultimum finem dirigenda sunt.

De cognitione notandum.

Quod illa, vel ad veritatem religionis, & fidei nostræ demonstrandam faciat, ut possimus rationem reddere fidei nostræ: vel ad mores externos formandos in vita civili.

Cum enim quisquis fide sua vivat, in illa erudiendus est: nec minus Pastoris muneri convenit, modo in secundo capite dicto, auditores in vita civili ad honestatis externæ normam informare: ita tamen ut in illo salutem animæ spectet.

In illa tenendum, quod sit vel simplex, ubi ex testimonijs scripturæ sententiam

nostram

nostram confirmamus; vel disputatoria; quando erroneas opiniones ex loco oppositorum excutimus.

In hoc: quod in textibus specialibus, historiis, parabolis exempla honestatis, & pietatis, & quarumcunque virtutum politicarum (ut & vitiorum) subinde futuri Pastores ob oculos ponere debeant. Quæ si cognoverint, sequitur transitio ad tractationem practicam, de qua paulo post.

Utraque ad modum sequentis capitis breviter tractatur.

De Actione notandum.

1. Quod dirigatur ad bonum, ut faciamus.
2. Ad malum ut fugiamus,

Cujus tractatio ad modum 11. capitis instituitur.

De applicatione utraque notandum.

1. Quod illa vel argumentis, & partibus singulis paraphrasticæ explicationis subjiciatur: vel ad finem paraphraseos totius textus reservetur.
2. Si singulis partibus subjicitur, breves sint loci communes, ne auditores textus obliviscantur, ad quem locum istum referre debeant.
3. Si reservatur ad finem, non multos locos, sed paucos eosque selectos ad singularem, aliquem finem ex conditione auditorum, temporum, &c. necessarium, destinatos, prolixius aliquantulum tractent, & subinde textum, inculcent auditoribus, ex quo locus communis desumptus est.

CAPUT

CAPUT X.

De concione didactica propositionem certam tractante.

Concionator futurus, aut prædicto modo concionem integram tractat; aut in exordio textum paraphrasticè explicat, & quæstionem aliquam inde eruit, quæ totam concionem absolvit.

Est vero ea, aut de substantiis, vel accidentibus, seu adjunctis, absolutè consideratis: & sic oritur quæstio simplex: ut, Quid sit Deus; quid Angelus; quid homo; quid fides, quid bona opera.

Aut respectu ad aliud & fit quæstio conjuncta, ut: *Sitne Deus misericors omnibus hominibus, ut: Suntne Angeli Spiritus in ministerium hominis dati: Fidesne justificet: Suntne bona opera necessaria ad Salutem.*

In quæstionibus his duo tractationis membra notanda, Loci & usus.

Simplex quæstio tractatur per locos Methodi in genere didascalico, ubiq; explicatos, & per omnes Theologiæ articulos cum aliis tum potissimum Simone Pauli, in Methodo deductos, ut nihil sit opus addere, nisi ut observemus in omni concione non omnes adhibendos esse, sed qui sunt necessarij, id quod ex rei natura cognoscitur.

Quæstio conjuncta habet fermè locos inventionis

tionis omnes: præcipuè verò definitionem, partes, & effectus. Estq; tractatio adeò vulgata in omnibus libellis, & in Praxi nostra perspicuè satis proposita: ut, si vel eandem delinearem, non nisi actum agerem, & præter meritum, Lectorem morarer.

De usu utriusq; notandum:

Quod dirigatur ad cognitionem, pietatis excitationem, actionem, de quibus in sequentibus.

Hinc fit quod in didacticis concionibus, hoc & præcedenti capite explicatis, ad Locos hos solemnes Pastores omnia dirigant: Zur Lehre/ Trost/ Vermahnung vnd Warnung/ *quæ sunt summa capita, ad quæ omnis concio dirigenda est.*

CAPUT XI.

De concione Practica Legali.

VT duo sunt capita Religionis nostræ, ad quæ omnia quæ in Theologicis proponuntur, collimant, Lex & Evangelium: ita duorum generum omnis concio habetur Legalis & Evangelica. De illa hoc capite.

Legalis concio consistit aut in arguendo aut hortando.

Arguendi modi sunt:

1. Transitio *ad argumenta, ab usu legis, per remotionem falsi, quod* DEUS *non ideo legem nobis*

 concesserit.

concesserit quasi possemus eidem satisfacere; sed ut nobis monstraret peccatum, illudque argueret, & pœnitentiam operaretur, qua commoti peccatis nunctum remitteremus.

2. Argumentum 1. à causa exrerna peccati, *ipso diabolo qui peccatum in nobis operatur, cuius summa est, quicquid Diabolus in nobis operatur, illud fugiendum.* Amplificatio à descriptione Diaboli, *quod cũ ille ob peccata in æternum damnatus sit, homines quoq; ejusdem damnationis socios habere gestiat, & in id omnes nervos suæ astutiæ & mille artiũ cõuertat, ut ad devia legis in omnem peccandi libidinem conÿciat: cui subÿciatur alia amplificatio ex loco testimoniorum.*

Item alia ex loco similium, *Quod tanquam Leo rugiens, tanquam vulpecula astutißima perniciem hominum quærat.*

3· Argumentum *ducitur plerumq;* à causa interna *malitia nostræ carnis: quod prona in omnem malitiam Diabolo assentiens, immanißima scelera perpetret. Amplificatio* à causa prima, lapsu primorum parentum: *Alia* ab effectu, *quod hinc maledicti simus, & ex imagine Dei ferè in imaginem Diaboli transformati: Sintque hæc Argumnnta tanquam transitio & præparatio ad arguendum, cui subÿcitur.*

4. Descri-

4. Descriptio peccatoris, *& enumeratio multarum specierum, quod omnes sunt cõtra mandatũ Dei ab ipso Diabolo, à carnis malitia, profecta* Amplificatio *1.* à descriptione *mandati & voluntatis diuinæ. Quæ exaggerentur. 2.* à testimonio *3.* à descriptione mandantis *(de quibus perspicuè in praxi.) 4.* à comparatione *cũ hominibus.*

5. A contrario, *quod hisce tamen omnibus postpositis in omnẽ impietatem ruamus. E. g.* Gott wil dz wir dieses etc. thun sollen / Gott lest vns sein Gesetz vortragen / Wir sind in vnserm Gewissen vberzeuget / daß wir vnrecht thun: dennoch sind wir von dem Teuffel also verblendet / daß wir in allerhand Sünden vns weltzen.

6. *Elegantissime hic* à thesi hac prolixa ad hypothesin *peccatorum, quæ inter auditores nostros vigent, Transitio annectitur; cui subijcitur descriptio & enumeratio peccatorum, quæ partim publica, partim privata sunt,* Exaggeratio *efficax additur* à comparatione hominum diversarum conditionum, *Ethnicorum cũ Christianis, brutorum cum hominibus (pro ratione peccatorum quæ arguimus,) E. g.* Es gehen jtzt solche Sünde im schwang / dafür auch die Heiden / ja die wilden Thier ein Abschew getragen.

2. Tem-

2. Temporum veterum cum præsentibus Das bey den alten nie keine Sünde so erhöret worden/als man leider jetzt erfehret.

3. Locorum, *quod in aliis locis ejusmodi scelera, quæ impunè hic fiunt, impunita non maneant, sed vel à Magistratu politico puniantur: hic verò tanta sit peccandi effrenata licentia: ut omnia scelera impunita abeant.*

4. Ab enumeratione *iterata peccatorum.* Wer straffet allhie Hurerey/Ehbruch/Mord vnd Todtschlag: Wer giebt Achtung auff die Füllerey/Hoffart? *quam exaggerationem concludit apostrophe eleganter, quod Magistratus rationem sit redditurus DEO,* Wo die Obrigkeit/ nicht einen Ernst gebrauchen wird/wird Gott auff Herrn vnd Knecht/Obrigkeit vnd Vnterthanen sein schwere Hand/ des brennenden Zorns legen/ daß/die jetzt nicht hören wollen/ endlich werden fühlen müssen.

Omnium efficacissimum argumentum arguendi ducitur à locis effectorum, *quæ ex loco descriptionis primùm; deinde enumerationis partium, quod tam fortunæ, quam corporis & animæ pœnæ sit it futuræ.*

3. *Ex* loco testimoniorum *comprobantium effectus variarum pœnarum.* 4. *Ex* loco comparatio-

parationi, *à minori ad maius, pœnarum huius vitæ ad futurum, prout formulæ sunt faciles. 5. Ex* loco contrariorum, *præmiorum, nimirum agentium pœnitentiam, quæ à Deo ipsis proponuntur, quorum tractatio argumentis propositis respondet, prout in loco contrariorum dictum est.*

Adhortandi tria sunt membra: aut est simplex: aut cum comminatione: aut damnatione conjuncta. *Id quod fit ratione personarum seu auditorum, quos novit futurus concionator, aut admissuros concionem legis, & acturos pœnitentiam, aut perseveraturos in malitia: ut illos admonendo, & comminando, ad pœnitentiam commoveat: hos damnando, impietatem extremam coërceat.*

Adhortationis simplicis, quæ est vel ad pœnitentiam, vel bona opera, hæc vel illa argumenta omnia ducuntur à causis impulsiva & finali.

1. A mandato divino. *1. Amplificatio per* ἄςσιν *&* θέσιν, *quod non sit in nostro arbitrio, sed Deus illud velit.* 2. à descriptione mandantis. 3. à testimoniorum exaggeratione. 4. à comparatione, *ut aliàs dictum est.*

2. A miseria nostræ naturæ, *quod illa expostulet pœnitentiam & bona opera, Amplificatio à*

 descri-

descriptione miseriarum, *tam internarum corporis, quam externarum fortunæ, totiusq́; vitæ quod hæc omnia à peccato sint & admoneant, nos & incitent ad pœnitentiam. E. g.* Wenn wir bedencken vnd behertzigen vnsern Jammer vnd Elend (*hic enumeratio injici potest*) damit wir wegen der Sünde vnser Lebenlang geplaget werden / were es nicht wunder / daß wir jmmerdar vnser Sünde vnd Missethat beweineten / Rew vnd Leid darüber trügen.

3. Ab externis calamitatibus, *illisq́; vel præteritis, præsentibus vel imminentibus, nostris vel alienis. 1. Amplificatio à descriptione, & distincta enumeratione calamitatum. 2.* à causa efficiente, *quod ejusmodi calamitates non aliunde sint, nisi à peccatis, cujus pœnæ nobis sint. 3.* A Testimoniis. 4. A causa finali: *cur Deus hisce calamitatibus nos exerceat, ut agamus pœnitentiam, & ad Deum convertamur.*

Hujus loci formula practica ex omnibus locis amplificationibus, facile potest addi.

Comminationis argumẽta præcipua sunt.

Mandati pœnam denunciantibus exaggeratio.

Isto enim tanquam fulmine consternandi sunt animi hominum, ut comminationibus credant, easdem in se admittant. Amplificatio per ἄρσιν & θέσιν, *instituitur* à descriptione *comminantis*

e. g. Es drewet dir diese Straff nicht ein König oder Keyser/*&c.* sondern/ *&c.*

2. *Argumentum* à pœnarum descriptione, *quod illa sit futura corporis & animæ. Amplificatio* ex loco testimoniorum. 2. Ex loco exemplorum, *ubi Deus similiter peccata punivit.* Also hat Gott diesen vnd jenen gestrafft.

3. *Argumentum* à pœnarum certitudine, *in certitudine temporis: quod amplificatur ex* loco oppositorũ. *E.g.* Du möchtest aber sagen: Es ist noch lange Zeit hin/ biß zur straff/ Ich kan noch wol busse thun/ Nein/ nein/ rc. *Hisce subijciuntur exempla, ubi Deus subito & insperato multos punierit.*

Hoc argumentũ est quasi transitio ad quartũ.

4. A peccatorum & impietatis deploratione, *à magnitudine & immanitate, deducta ex eodem loco oppositorum.* Vnd ob Gott wolt lenger still schweigen / so ist doch ewer Sünde so groß/ daß Gott nicht mehr zusehen kan. *Amplificatio* ab Apostrophe *ad cœlum & terram.* Vnd wie solt Gott lenger still schweigen / da sich vber ewere Sünde der Himmel vnd Erde bewget.

Hisce omnibus adhortatio additur gravissima cũ apostrophe ad auditores, E.g. Derwegen/ wer Ohren hat zu hören/ der höre.

5. Argumentum plerumq; annecti solet ex loco contrarij: à promissione gratiæ, si pœnitentiam egerint. E. g. Wo aber noch ein Tropffen Christliches Bluts in euch ist / so höret was Gott verheisschet / wo ihr Buß thun werdet. *Cuius argumenta ulteriora, & amplificationes ex sequenti cap. futurus concionator depromet.*

Comminationem, si non sequuntur pœnitentiæ signa in omnibus, vel aliquibus, necessario sequitur damnatio.

Quæ est aut generalis multorum, vel plerorumq; auditorum, vel specialis unius alteriusve.

Generalis, damnatio ijsdem fermè fit argumentis; nisi quod excommunicatio expressa omittatur, quæ alias etiam rarior est, imo rarissima.

Cuius argumenta sunt.

I. A descriptione peccatorum, *quæ sumitur ab antecedentibus, consequentibus, alijsq; circumstantiis vitæ transactæ, quæ amplificatur exaggeratione peccatorum, & detestatione eorundē.*

II. Argumentum ab officio ministerij, *quod præter alia sit damnare eiusmodi peccatores impœnitentes & pertinaces maliciæ.*

Amplificatio ex loco testimoniorum, *quo eiusmodi potestas datur: Quicquid in terra ligaueritis, &c. â denũciatione pœnarum, si omiserit minister*

nister. Er sol zwar vm̃ seiner Missethat sterbẽ/ aber dein Blut wil ich von deinen Henden fördern: *quod dictum artificiose exaggerãdum, ut intelligant auditores, quam graue munus, Pastori incumbat, & citius ad pœnitentiam impellantur.*

III. Argumentum à causa impulsiva per ἄρσι seu ἀνάθεσιν, *quod Pastor non aliquo affectu, & voluntate ducatur, sed cogatur ob perfractam malitiam & desperatam peccandi libidinem. Amplificatio* à simili, *quod sicut parens filium charissimum monet & hortatur, donec spes aliqua superest, si vero videt se nihil præstare, exhæredat: Sic quoque DEus, &c.*

Alia amplificatio à loco comparationis *à minori ad majus, quod minora Deus peccata puniverit. E. & hoc peccatum puniturum.*

IV. A causa formali damnationis, *quod eiusmodi hominem, ex sinu Ecclesiæ eijciat, à consortio Christianorum segreget, Diaboloq; & eius socijs tradat: Exaggeratio maximè hic adhibenda, ut terrorem incutiamus auditoribus,* à descriptione beneficiorum Dei, *quib. Ecclesia sua gaudet,* Deñ er sich keiner zu trösten/noch anzunemen hat/ sondern/ *&c. hic contraria subijciatur descriptio Diaboli eiusq; regni, cuius iam incola factus sit. 3. additur* occupatio à consuetudine *Diaboli*

 sedu-

seducentis peccatores, peccata extenuando, ut homines retineat, usq; ad horam interitus: Vnd ob er gleich dem Menschẽ die Sünde eine zeitlang Honigsüß macht/ so wird er sie doch desto mehr endlich mit Hellischẽ Fewer straffen. Den die verdamniß folget auff die sünde gar gewiß/ welche wird sein/ das ewige Hellische Fewer.

Sic connectitur.

5. *Argumentum* à causa finali, *quæ est ipsa æterna damnatio quæ exaggeratur* à descriptione *æternæ damnationis, petita à magnitudine pœnæ, & cruciatus,* Die kein Mensch nicht kan außsprechen: à diuturnitate temporis, *quod non centum, non mille annos, sed in omnem æternitatem duratura sit: E. g.* Es weret nicht hundert/ nicht tausent Jahr/ sondern in alle ewige ewigkeit. O Ewigkeit du bist ein lange zeit. 2. à similitudine *usitata de avicula deportante montem ingentem.* 3. à loco comparationis cruciatuum, *& dolorum, à minori ad majus,* Wenn wir einen Finger verbrennen/ so thut es vns schmertzlich weh/ wie viel mehr wird weh thun/ *&c. Quod argumẽtum amplificationis à diuturnitate temporis aliquando proponi solet.*

His additur ultimo πάθος *seu affectus misericordiæ, quod maximè afficiamur miseria ejusmodi hominis; sed tamen speremus per Dei gratiam, eum re-*

versurum ad frugem. Itaq; etiam adhortatio subijciatur, ut in seipsum descendat, peccata deploret, pœnitentiam agat, cum promißione misericordiæ divinæ ut in sequenti capite patet.

CAPUT XII.

De concione Evangelica.

LEgalem sequitur Evangelica. *Omnino enim ille ordo observari debet, nam ut incõposita distorta, colliguntur, conculcantur, dura emolliuntur, antequam tractentur, & opus elegans efficiatur & formetur: sic voce legis dura pectora emollienda antequã suavißima vox Evangelij adhibeatur.*

Ej9 tractatio cõsistit, aut in cõsolando pænitentes, aut erigẽdo tristes & calamitosos.

Consolationis argumẽta sunt ratione Dei, & ratione hominum, ratione Dei offerẽtis.

1. à causa prima, *amore & misericordia Dei, quæ amplificatur.* 1. causa impulsiva *Dei per* ἀντίθεσιν, *quod non nostrum meritum, nostra dignitas, sed solus amor Deum impulerit, ut nos in gratiam reciperet.*

2. *Exaggeratur* gradatione per enumerationem argumentorum, *quibus amorem suum nobis declararavit.* Daß er vns nicht allein

erschaffen/

erschaffen / vnd täglich erhelt / sondern vns auch also liebet / das Er vns zu Kindern der Ewigen Seligkeit auffnehmen wolle / darum Er seinen Sohn in die Welt gesandt / (*quod tamen eo modo ut in ἀγορᾷ dictum est, fieri potest.*

2. A comparatione *deducta ab hominibus, quod inter homines amicus pro amico, frater pro fratre filium suum nunquam daturus esset, quem DEVS pro inimicis & infensissimis hostibus misit: quæ figuratur eleganter per exclamationem & interrogationem: Exempli gratia:* O der grossen vnd vnaußsprechlichen Liebe? welcher Mensch wolte seinen Freund / ich geschweige seinen Sohn / für seinen Feind in den Todt gebē. *&c.*

Amplificatio alia à testimonijs.

II. Argumentum à causa proxima: *amore filij, qui sponte onus redemptionis in se recepit, & multis modis gratiam suam testatur, concedendo verbum, & per illud operādo, confirmando per Sacramenta, defendendo per Spiritum sanctum.*

Amplificatio & exaggeratio elegāter hic instituitur, à prosopopoiïa, *qua Christum ipsum loquentem introducimus, & offerētem nobis suam gratiam; ostendētem nobis sua vulnera; omnia sua beneficia. Quæ prolixè & eleganter, & cum quodam affectu verbis omnibus ex varijs locis scripturæ desumptis, proferantur.*

II. Ra-

II. Ratione hominum, q̄bus illa offertur.
I. *Argumentum* à promissi universalitate, *quod toti mundo hanc suam gratiam offerat.*

Amplificatio per partium enumerationem *seu* διαίρεσιν *omnium conditionum & fortunarum: quod nullus, quicunq; etiam sit, ab hac misericordia & beneficijs exclusus sit.*

Amplificatio à testimonijs universalibus, *quæ enumeranda & exageranda sunt apostrophe, attentionem cōcitante; ut non tantum audiant hanc Dei misericordiam; verum etiam credant certissima hæc fore, quæ Deus promittat.*

Amplificatio ab exemplis, *q̄ semper promissa servarit. E. multo magis quæ juramēto confirmat.*
2. *Ratione* applicationis singulorum, *quod quisq; sibi ista beneficia applicare debeat, ac si, mihi, tibi, ista dicta sint.* Diß sol sich ein jeder anmassen / als wens / mir / dir / vnd einem jeden insonderheit gesagt were.

Amplificatio ex loco oppositorum: *à magnitudine peccati, ab indignitate personæ,* Ja möcht einer sagē / ich bin gar zu ein grosser sünder / ich bin solcher wolthaten Gottes vnwirdig. *Cum reprehensione, quod misericordia DEI multo sit major, neq; dignitatem personæ respiciat:* Nein / Gottes Barmhertzigkeit ist viel grösser / denn aller Menschen Sünde. *Ampli-*

Amplificatio alia ex loco testimoniorum.

Tertia ex loco exemplorum, *quod peccatores maximos exaudiverit, iisq; peccata remiserit, ut Manassæ, Petro, Mariæ Magdalenæ & aliis.*

Quarta â contrario, *detestatione eorum, qui in misericordia Dei desperarunt, & peccata sua maiora misericordia divina existimarunt, ut Cain, Iudas, &c.*

III. *Argumentum* à causa instrumentali, *quomodo tibi ista beneficia applicari debeant, figurata ἀνθυποφορά, quod non operibus nostris promereamur illam gratiam, sed tantummodo fide tanquam manu apprehendamus.*

Amplificatio ab occupatione, *quod cum fides sit donum Dei cur non omnibus concedatur, Responsione à negatione cum conditione, quod omnibus Deus det fidem, si audiant verbum suum, sed non tantum audiant; verum in animum demittant, & crebro utantur Sacramentis. Cum adhortatione: ut itaq; verbum Dei dilgenter audiamus, crebrò & cum devotione utamur Sacramentis.*

3. *Ex* loco effectorum, *quod hinc consequantur gratiam, divinam protectionem, & deniq; vitam æternam.*

Amplificatio & exaggeratio à descriptione vitæ æternæ, *per Climacem simplicem conclusa: alia*

alia à contrario, pœnis nimirum, ut sæpe dictum est.

4. *Solet addi etiam* adhortatio: *ut fidem nostram declaremus vivam operibus charitatis, & novitate vitæ, Sine illis enim fides nostra mortua, quæ testatur veram non fuisse.*

Amplificatio subijcitur à necessario, mandato divino, *quia non est in nostro arbitrio, sed necessario tenemur bona opera præstare, ne excidamus nostris peccatis gratia illa.*

5. *Addatur etiam alia* adhortatio, *ut sufferamus omnes molestias, morbos, mortem denique ipsam, quæ est transitio ad alteram partem concionis Evanglicæ.*

Erigendi modi & argumenta communia sunt.

1. A descriptione *moris & consuetudinis in DEO, quod soleat pios suos cruce exercere & calamitatibus (figurata ἀνλιθέσει) non ut iræ suæ præbeat indicia: sed ut paternum amorem suum declaret.*

Amplificatio à dictis scripturæ. 2. à simili, *desumpto à parentibus.* Gleich wie ein Vater der sein Kind lieb hat / es vnter der Rutten helt / also / *&c. 3. Amplificatio ab exemplis, quod ita exercuit calamitate Iobum & alios pios.*

II. Argu-

II, Argumentum: à modo calamitatum, *quod DEVS non excruciet suos ultra quam ferre possint.*

III. Arg: à tempore: *quod non diu ista calamitas duret, sed breve tempus maneat.*

IIII. Ab auxilio divino: *quod tamen DEVS semper præsto sit auxilio suo, in omnibus calamitatibus, imo in ipsa morte præsens sit.*

V. Quod ejusmodi calamitates ad nostram salutem omnes vergant, ne in voluptatibus viventes, mundi delitijs adsvescamus, & cum mundo pereamus.

Amplificatio à contrario: *quod qui vivunt in voluptatibus DEI & pietatis curam omnem abijciant.*

VI. A comparatione *calamitatum hujus vitæ cum gaudiis vitæ futuræ lætitiæ.*

Amplificatio comparationis à modo, tempore, *&c.* Das dieser zeit leiden nicht werth ist der Ewigen Herrligkeit.

NOTA.

De omnibus hujus capitis, ut & præcedentis, argumentis notandum, quod hæc sint vulgaria, quæ quisque pro suo judicio adhibere potest. nostri propositi fuerit delineare eadem: quisque sibi pro judicio & pietate sua addat, quod conformum sacris literis fuerit.

Præci-

Præcipuè vero diligentissime sibi colligant elegantiores figuras, tam ad verba, quam affectus cum exemplis, quod maximè juvat futurum concionatorem.

NOTA.

Hic de concionibus mixtis tractatio subjungenda erat, neque adeo laboriosum, vel molestum fuisset, si singularia aliqua præcepta hûc fecissent: sed cum præcepta sint eadem, quæ à maturo judicio, ex utraque facilè componi posint, & brevitatis causa hoc labore supersedeo.

NOTA.

Præcepta quoque de conclusione seu peroratione, ut adjicerem non sumptuosæ esset operæ: Si illa non sufficienter & fuse in Praxi per totum caput proposita fuissent. Eadem enim est illius ratio: ut nisi eadem hic repeti possint. Repetendum tantum, ut brevis sit conclusio, si longa præsertim fuit concio.

Tædiosissimum enim est auditoribus conclusionem, ceu finem in novam extendi concionem: ut animus in auditorum meditatione quieturus, consuetæ precationis devotæ recitationi intentus, ad novam audiendi molestiam excitetur, quilibet æstimare potest, qui concioni, non numero sed pondere æstimatæ, adjutus ope Spiritus Sancti, animum subigit. Quod futuris Pastoribus probè perpendendum relinquo.

CAPUT XIII.

De Exercitio.

SOlus & artifices, qui facit usus erit: si illud Ovid: ususubi veritatem præstat, in instrumentarijs disciplinis, in quarum censu Rhetorica non postrema est, præcipuam & veritatis laudem, & commodi maximum locum meretur. Nam per omnes licet præceptorum apices ingenium, & memoria alicujus ad solidam cognitionem pervenerit: nisi tamen usus & exercitatio accesserit, cognitio incognita planè & sine utilitate sit. Proinde ad usum & exercitationem omnia cum sint destinata, in præceptis Rhetoricis id elaborare auditores ejusdem debent: ut tempestiva occasione, usum & exercitationem, cum in politicis politici, tum in theologicis concionum sacrarum studiosi, arripiant. In hunc finem pauca de exercitijs instituendis dicemus.

Exercitium considero ratione personæ se exercentis, & modi exercitandi.

In persona consideratur, 1. Ætas, *in qua notandum, quod ab exercitio concionandi, adolescentes & juvenes imberbes, in quibus externa forma nullam addet gravitatem (nisi singularis eruditio ætatem expleat) arceri debeant.*

Prostituitur enim dignitas, & reverentia ministerij, si ejusmodi adolescentuli suggestum ascendant; ut putet vulgus rem levem esse, & nullius ponderis, concionem habere, quæ etiam pueris committi possit. Proinde hoc agere debent Concionatores, ne quosvis adolescentes, cujusvis ætatis,

ætatis, & formæ admittant, sed potius, si quando præcocis ingenij & eruditionis imaginatione tument, ut audeant copiam suggestus petere, ad scholas remittant, melius à se edoctos, ibi enim compendio exercere se possunt, ut concionibus habendis matura ætate aptiores sint. Deplorandum itaque, quod studiosi Theologiæ, penitissimè studium oratorium negligant, exercitiaq; omnia, ex alto despiciant, stolida opinione ducti, non melius se exercere posse, quam si in suggestum prorumpant.

Hinc fit, si sentiunt aliqua dona à DEO sibi concessa esse: ut nec ab artibus nec ætate formatos, adeò buccas inflent, cristasque attollant; ut putent doctiores & aptiores ministerio candidatos esse nullos. Fallunt & falluntur isti homines qui quantum distant æra lupinis nondum norunt.

Proinde prudentiæ Pastorum est, bonis rationibus ejusmodi adolescentibus, mentem aliam addere, & à proposito revocare, quod illis relinquimus.

2. Doctrina, quam considero in moribus, artium cognitione, & religionis sinceritate.

Mores ad pietatem, probitatem, & omnem modestiæ speciem, non hypocritici & fucati, sed verè compositi sint.

Illud enim potißimum & primum esse dixi, ut Concionator ingenuis sit præditus moribus, & pietatis inter auditores integram obtineat laudem, eamque sartam tectamque conservet: Itaque à primò initio exercitiorum requiritur in juvenibus tyrocinia sacrarum concionum ponentibus, ut bonis studeant moribus, eamq; laudem à doctis & indoctis mereantur. Itaque Concionatores, studiosos, quos norunt in omni petulantia & morum improbitate juventutem agere, prorsus non admittant; vel gravißimâ adhortatione præmissa, de præstantia & dignitate provinciæ suscipiendæ, in spem emendationis futuræ, copiam eis concionandi faciant: improbam enim illam ab improbis in proverbium ductam vocem æstimo, qua vulgo dicitur: Die ergsten Studenten / werden die frömbsten Prediger / die wissen / wie es einem Schalck umbs Hertz ist: *Non ita est:*

Quo semel est imbuta recens servabit odorem,
Testa diu.

Illud Poëtæ experientia satis comprobat, quod

quæ in juventute malitia radices egit, perniciosissimos fructus in senectute ferat.

Artium cognitionem eam requiro, quæ in principio dicta est dicendi, Philosophiæ, & Theologiæ præcipuè.

Religionis sinceritate maximè opus esse, propterea viderint Pastores: *ne, si suspectæ religionis homini suggestum concesserint, & hæresis aliqua in publico, sparsa fuerit, Pastoris consensu factum videatur: ut nuper cuidam bono, & docto viro evenisse scimus. Quantum verò sibi mali, & molestiarum inde creaverit, ipse scit, nos audivimus. Proinde in quibusdam locis antequam admittuntur ad exercitia, publicè examinantur, & hac ratione candidati ministerij doctorum calculo constituuntur; quod ubivis locorum meritissimè fieri deberet.*

Modum exercitandi spectamus in materia & forma.

Materiam sequentes moderantur regulæ.

1. Futuri Concionatores initium exercitiorum concionis, artificium, in materijs facilioribus periclitentur.

Omne enim principium cum sit grave, materiæ faciliores & notiores suppetias ferunt. Nam prophetiæ, aliaq; obscuriora, cum sint ignota, neq; firmiter memoriæ inhærent, neque ob suæ interpretationis difficultatem, expedita sunt, fit ut partim ob ignorantiam, partim timiditatem incipientium facilè corrumpantur, & confundantur, ut distorta inde & inepta fiat concio.

2. Eas materias exercitio proponant, quæ juvare possunt in copia variarum materiarum acquirenda.

Finis eorum, qui ministerio Ecclesiastico vitam consecrarunt, eò directus in studijs & exercitijs esse debet, ut materias Theologicas sibi familiarissimas reddant, quod melius vix ulla ratione fieri potest, quam si didacticam concionem creberrimè exerceant. Nam è publico quæ proponuntur, firmius memoriæ hærent, quam quæ privata diligentia discimus. Proinde candidatis exercitiorum conceditur, si in confirmandis sententijs, multa scripturæ dicta cumulant, & allegant, dum sibi magis hisce exercitijs consulere volunt, ut materiarum varia copia acquisita, se ad futurum ministerium instruant, quàm

ut au-

ut auditores, qui dictorum copiam non capiunt, sed magis turbantur, informent. Non item Pastoribus integrum est, ut alibi dictum, qui non ingenium & memoriam, ostentare; sed captui auditorum se accommodare possunt. Sine fructu itaque est, si vel singulis verbis, dictum, vel periodis plurima subjungunt: si hoc præsertim in practicis fit concionibus, ubi unum exaggerare, quam plura allegare satius est.

3. Disputationes cum adversarijs non admisceant.

Quod quoties & quomodo fieri debeat, licet sine ulla restrictione in loco oppositorum diximus, tamen id ad juvenes, qui primùm se exercent, non omninò pertinet: cum non sit magna in illis autoritas, neq; singularis alicujus eruditionis persvasio apud auditores, quin, si ex adversariorum grege præsentes aliqui sunt, rideant, magis præcocem & immaturam sapientiam ejusmodi Concionatorum. Religionis itaque nostræ fundamenta didacticè & perspicuè proponere; elencticas ordinarijs Pastoribus relinquere magis congruum esse puto, cum eorum officium non sit, adversarios refutare, & litem alienam suam facere: sin verò textus mani-

nifestus argumentum aliquod objicit, id parcissimè, & brevissimè refutare debet. Disputationes verò, si aliquam veniam à personæ qualitate, & existimatione hominum merentur: nulla tamen ratione laudari potest, vel excusari, si juvenes damnant, & conviciis proscindunt adversarios, in specie præsertim seniores vel doctiores se, quod fastuosæ stultitiæ argumentum est.

4. In practicis concionibus exercitia sua ad generalia peccatorum exaggerationem & ad pœnitentiam adhortationem; itemque consolationem moderentur.

Alia enim est ratio eorum, qui extra ministerium se exercent, quibus non est commissa cura animarum, ut horum, illorumve peccata in specie arguant, quam ministrorum Ecclesiæ, quorum officium à Deo, in hanc præcipuè curam destinatum est, ut commissarum ovicularum salutem quærant. Valde itaq; ridiculum est, si juvenis imberbis seniores adhortatur, ad pœnitentiam illisq; modum & præcepta vitæ præscribit, si præsertim hac utitur formula Meine lieben Kinder/ *id quod inde fieri puto, quod hinc inde in postillis ejusmodi formulas legant, & in concionem suam conferen-*

conferentes, non perpendant tritum illud: Duo cum faciunt idem, non est idem.

Eadem ratio est in consolationibus, si variis vitæ vicißitudinibus & calamitatibus, quibus premuntur homines, Evangelica concione mederi volunt, ut est in conjugio, in officio publico, in vita œconomica, quæ experti nunquam sunt, sed tanquam cæcus de colore judicant. E. g. Quomodo conjuges inter se vivere, quomodo liberos amare, quomodo œconomicis consulere debeant &c.

Proinde si quando in practica concione se exercere volunt, in genere voluntatem Dei, justitiæ & misericordiæ; proponant ad modum in præcedentibus capitibus expressum, semperq; ætatis suæ memores modestiam præ se ferant.

In forma exercendi notandum diligentißime.

1. Ut ad artis præcepta omnes suas conciones componat & dirigat, quod satis dictum est.

2. Ut alios imitentur, doctiores & magis exercitatos.

Quod fit duplici modo.

1. *Si legunt postillas, & examinant conciones ad Regulas Rhetoricas, & secundum earum præscriptum in usum suum convertant, colligendo ex illis formulas secundum locos inventionis, deinde*

figuras. 3. affectus, dispositas: ut in Praxi de colligẽdis formulis dictum est, quod eò pertinet non ut transscribat hinc inde argumẽtum, & magnam partem concionis, & sic alienis se ornẽt plumis, sed explicationẽ inde sumat, & ad modum & fundamẽta artis suæ applicẽt. Vnde videmus varios Postillarũ autores, licet eandem habeant rationẽ materiæ, explicationis forma tamen maximè differãt, quod exemplis facilè possem probare, si de hoc illove autore judicium ferre animus esset. Nõ itaq; mihi probãtur illi, qui alicujus autoris terminos retinent eosq; in publica concione subindè immiscent (nisi qui aliter memoriæ cõsulere non posit, ignoscendum) sed deberet propriam sibi quisq; artis habere formã, in Rhetoricis expressam, ad quam omnia quæ legit in aliis autoribus dirigeret, & conformaret, eamq; quasi memoriæ subsidium in suggestu supprimeret. Auditores enim, qui non intelligunt latinam lingvam, turbantur magis, quam ut informentur illis terminis: alia tamẽ ratio videtur, ubi non paucos habet doctos, q maximè terminorũ elegãtia delectãtur, concionẽq; infigere memoriæ possunt, si præsertim sint, qui cõcionem celeri arripiãt calamo. Quare omnino, decies dico, auditorũ ratio habenda est. De quibus tamen judicium totum penes Pastores sit, hic tyronibus præcepta ponimus.

2. Benè

2. Benè exercitatos & doctos Pastores subindè audiant, in ijsq; observent, quomodo disponant suas conciones, quomodo pronuncient, gestus adhibeant, affectus moveant.

Quod dicitur cõmuni proverbio: Vivam vocem magis afficere, quam mutos doctores. Id adeò hic locum obtinet: ut ex observatione una atq; altera plus discere poßimus, quam multa praeceptorũ cognitione. Quare studiosi Theologiae doctũ Pastorẽ sibi eligãt, quem observent & aemulẽtur, donec exprimere omnibus ornamentis concionem poßint.

Ita tamen: ut, si quid vitij in eo animadvertant, id fugiant: ne illa aemulatio & imitatio in κακοζηλίαν inanem degeneret. Habent enim formam artis, ad quam examinare conciones, & virtutes à vitijs discernere poßint.

Habeant itaq; amicos, qui conciones & exercitia observent, ut si quid in illis desiderant, libere admoneant & corrigant.

Tria genera hominum esse Hesiodus autor est. 1. Quod nihil intelligit, neq; admonitiones aliorum admittit. 2. Quod cum non omnia intelligat, aliorum admonitionibus locum concedit. 3. Quod ipsum omnia intelligit, nec aliorum opus habet admonitione.

Priores

Priores cum ſint planè ſtupidi, & ſtulti, fugere, & ſecundos imitari omni ſtudio candidati exercitiorum debent, ut tertiorum aliquem gradum attingere poſſint.

Quare meum conſilium eſt, ut primo in loco privato & ſolitario, uno atque altero præſente, vires periclitentur, qui præſertim ſunt timidiores; ut ſubinde admoneri poſſint, ſi quid opus emendatione.

Id cum ſemel atq; iterum factum, publico ſe committant loco, in eoque ſuos habeant quoq; cenſores, candidos, & amicos, qui id agant, ut ex arte & fundamentis Rhetoricis ejusmodi exercitia cenſeant.

Vt tandem delineationis noſtræ ſit modus & finis illud quod ſæpè præcepi, præcipiendum ſæpius puto, ut futuri Concionatores ſtudio eloquentiæ addictiſſimi ſint, cum ea ſit quaſi anima concionis.

Quia vero miniſterium Eccleſiaſticum humano arbitrio non ſubiacet, ſed operatione divina maximè perficitur. Orandus eſt Deus & continuis, iiſque ſeriis precibus ſollicitandus: ut Paſtoris primò cor, ad quandam ſingularis pietatis & devotionis ſpeciem, in ſuggeſtu accendat: linguam ſpiritu benignitatis, & gratiæ regat, excitetq; in animis auditorum flam-

mam

nam amoris DEI, & attentionis verbi sui, quæ salutem hominum, quam Pastores omnes intendant, operetur.

Huic DEO Patri, Filio, & Spiritui sancto supplex me meaque studia commendo: huius in honorem, cui omnes meos labores destinavi, hæc à me scripta sunt. Cui sit laus & gloria in omnia secula seculorum,

AMEN.





INDEX DISPOSITIONIS & elaborationis, numerus primus folium, l. lineum de notat.

Denuo hic mihi præmonendus es, Benevole Lector, vel quicunq; usurus expositurusve es alijs meos labores: ut in disponendo, & elaborando, & hanc faciem, orationē, locos, quos numeri, in hoc indice notant, integros, & quidem diligenter per legas, & observationes notationesq;, cum reliquis præceptis, hic in usu semel atq; iterum observes: ut de alijs paulatim materijs, hac forma instructus, sine adminiculo præceptorum Rhetoricorum, vel indicis mei, aut libelli universi, orationem conscribere possis. Credo te perspicuam satis manuductionem hic habiturum, utinam tu mecum; sed non poteris; nisi ingenium & diligentiam, cum judicio, veritatis exploratores attuleris, qui te, ut credas, doceant. Vale.

DE EXORDIO.

Exordium quomodo inveniatur. f. 269. (cuius consideratio studiosis oratoriæ diligens esse debet.)

Primum membrum Exordij est PROPOSITIO quæ ducitur vel à thesi, idq; duplici ratione, aut re ipsa f. 270. Quotupliciter id fiat, item, modus tractandi; item formula ibidem. Aut circumstantijs. ibidem, formula tractandi. f. 271. Vtriusq; particulæ connectendi f. 229. l. 3, & 4. Solet etiam propter variationem exordium figuratum esse comparatione ijsdem formulis. Hic annectitur propositio Orationis, quod itaq; in hac materia sumus verba facturi, cui ratio subijcitur. Vel hypothesi idq; duobus modis, re seu propositione orationis f. 272. Formula tractandi ibidem, & circumstantijs habentibus propositionem totius Orationis f. 273. Exordium ab hypothesi quomodo figuratum sit f. 276. & 277. ibidem formula.

Quia verò propositio in hypothesi rationem inclusam habet, seu præmittit, ut modi connectendi indicant, hisce particulis formulæ includi debent. Quia, Quoniam, Quandoquidem &c. cui addantur circumstantiarum particulariæ, describentes tempus locum, hodie, heri, hoc loco &c. f. 231. Quibus in altero membro conclusionis particulæ subijciuntur, Itaq;, quare, ergo, idcirco &c. cuius formula f. 274. Si ad hanc alia ratio addenda est connexionis particula sunt, f. 275. à l. 13. usq; ad 25.

Secundum membrum est ratio (extra numerum addendum, quoniam, illa regulariter subijciatur exordijs à thesi ductis, nisi Exordium ab Hypothesi, vel

simpliciter

ſimpliciter proponatur, quod rarum eſt, & nimis vulgare, vel alia etiam ratio priori addatur (quæunde ducatur f. 42. 48. expreſſe autē eſt 274. ubi & diſpoſitio Parculæ connectendi, 225. à l. 13. uſq; 25. cum indico tamen adhibenda, prout materia poſtulat) Hæ particulæ connexionis quoq; locum habent, in connectenda hypothetica propoſitione: ſi plures rationes addere volumus: ut jam. Si ad utramq;, plures adduntur rationes (ſive theticam ſive hypotheticam) contexo fit per particulas f. 226. l. 7. uſq; 11. vel per cardinales f. 227, ſi cauſas omnes explicitè ſimul exprimere volo. Vt tria ſunt, quæ me hoc tempore ad dicendum compulerant. Primum &c.

Ratio quomodo amplificetur, & quando f. 275. quo ordine illa amplificatio inſtitui debeat, & quibus medijs 276.

Tertium membrum eſt Amplificatio, ubi locum habeat, & quibus uſurpanda f. 278, Vnde ſumatur 277. l. 22. Vnde oriatur f. 70. l. 17. & ſequentibus. Membra tractandi habet προθεσιν ἀπόδοσιν: prioris tractatio f. 70. connexio f. 229. ſive per connectiones particulas paulo poſt, & per conjunctiones adverſativas. Si occupatio præſertim implicita, vel rejectio falſæ, & poſitio veræ cauſæ additur: ut formula 278. indicat, Stricta forma utriusq;, Prioris. Quamvis multa me avocare à dicendo potuerint; tamen majoris momenti argumentis adductis &c. Poſterioris. Non me hoc vel illud commovit: Sed hoc &c.

Quartum membrum eſt concluſio eius officia 278. figura prima ἀποστροφὴ, cum petitione ut diligenter audiant

 audiant

audiant cui subijcitur promissio f. 208. formula 278. & 246. expresse.

In exordio simplex delectatio, ex verborum elegantia non motus ex figuris affectuum requiritur, Qualis itaq; stylus esse debeat f. 263. qualis pronunciatio ibidem.

DE PARTITIONE.

Partitio quomodo & quando adhiberi debet f. 280. & 281. Partitionis connexio f. 226. formulæ 215. 245.

CONFIRMATIO.

Simplicis quæstionis est in cap. 13. ubi ratione instituti non prorsus proprij, breviter eandem delineavimus.

CONFIRMATIO, quæstionis coniunctæ.

Generalia præcepta Confirmationis.

In Confirmatione divisio quæstionis notanda 287. 288. 289. Argumenta Confirmationis in propositione quomodo disponenda f. 294. Ex qualibet propositione sive totius orationis sive argumenti Syllogismus formandus, & quomodo ibidem 297.

In amplificando, ornando, & movendo in singulis argumentis quo ordine procedendum 297. 298.

Argument[a]

Argumenta in tractatione non omnia adhibenda 306. Et quæ præterea ad tractationem pertinent ibidem.

Specialia confirmationis quæstionis coniunctæ ad cognitionem pertinentis.

Quæstio primum resolvenda 299.

Primum argumentum locus definitionis ibidem.

Hic si vocabulum est obscurum aut ambiguum primò explicandum 27. 29.

Deinde definitio proponenda juxta figuram quartam definitionis f. 101. & 101.

Connectendi particulæ f. 224. Formula 243. & sequenti.

Huc quoq; pertinet generis & speciei locus 31.

Secundum argumentum est causæ efficientis ex Logicis petendum.

Tertium argumentum partium, quæ explicentur, tum subiecti tum prædicati propositionis.

Quartum effectorum, ubi utilitates enarramus.

Quintum contrariorum.

Sextum Coniuratorum.

Hæc tractatio quia facilis, & Logica Rhetoribus rara itaq; tractatio brevior.

Specialia confirmationis quæstionis ad actionem directæ.

Primum argumentum est honestum f. 308. ubi totius argumenti & amplificationum omnium fundamenta,

Prima amplificatio & tractatio, ex loco testimoniorum ubi quid obseruandum in citatione, & tractatione 89. connexio f. 229. Formala 258.

Variatio fit vel per præteritionem f. 235. Vel præmissa breviter secunda amplificatione, cui hæc subijcitur. Quod parum exercitatus facile videt.

Secunda Amplificatio ex loco descriptionis f. 244. Formulæ. Variatio per interrogationem f. 206, cum Apostrophe. Quis nobis hæc mandat auditores? ille &c. hinc eleganter descriptio personæ subijcitur.
Variatio fit per arsin, & thesin de quibus figuris in in erratis seu omissis.

Tertia amplificatio ex loco Comparationis. Quid illi obseruandum f. 60, 61. Formula 252. Connectionis particulæ 228. Variatio fit in connexione aut simplici, aut figurata per interrogationem.

Quarta amplificatio per digressionem 33. 34. Connectendi formulæ 224. 225. Variatio fit per enummerationem partium, quibus hoc vel illud fiat, aut simplex aut figurata.

Quinta Amplicatio est ab exemplis, quorum consideratio 94 & sequent. tractatio 98 99. Formulæ in loco exemplorum Connexio 230. Variatio fit aut præteritione, aut figurata connexione

Sexta Amplificatio 309 Notitiones 88. 89, 90, Formula 288. Connexio 229. 230.

Variatio itidem ut in prædicto argumento.

Vel alio modo: ut judicio componentis visum est.

Septima Amplificatio 82 83. notationes & modum tractandi habet exaggeratio ex specierum Enummeratione 53, ex comparatione contraria 67. Connexio fit per communicationem 234, vel figuras per apostrophen, quæ aliquando est juncta cum interrogatione. Formula 16. 309.

Variandi modi per figuras affectuum sermocinationem &c. fieri possunt, quod indicio Oratoris & aliorum committo.

Octava amplificatio contrarijs, observationes habet 76 tractatio 77. connexio & formulæ 255. 256.

Variatio fit per præteritionem vel rejectione Apostrophen & Secundus Locus ab honesto dictamine rectæ rationis 149 quod vel ad laudem refertur tunc Amplificatio.

Prima causa efficiente, dilatationes faciles sunt 310. formula 248.

Secundum argumentum amplificatorium ab adjunctis rationis, habet dilatationem à descriptione, per specierum Enummerationem omnium proprietatum rationis pro ut tractatio, si quando eiusmodi occurrit facilis est.

II. *Ab Effectu per arsin & thesin eleganter subijci potest, cui adiungendum est quartum argumentum seu amplificatio à citatione testimoniorum prout paulo ante locus dictus est.*

Exempla hic proponenda ad modum tractationis in exemplis 98. 99.

Omnium argumentorum conclusionis formula 316. Vel tandem ad actionem dirigitur cuius tractatio est 311. Amplificatio.

I. *Ex loco partium cuius dilatatio, ex materia ipsa sumitur si accedit tantum cuiusq; Rhetorica descriptio, a quo descendimus, ad secundam Amplificationem comparationis, de qua notationes 59. Formula 253. connexio 228. Modus variandi comparationes 61. Varatio quoq; fieri potest per apostrophen item Exclamationem, pro subiecta materia.*

Tertium amplificationis argumentum â contrarijs notationes tractationis 77. 78, hic locum habent contraria positiva 76. Variatio potest per προσωποποιίαν *fieri 204, & interrogationem, ad bruta animalia pro ut iudicem oratoris svaserit. Possunt etiam addi aliæ figuræ affectus immediate moventes 208 & sequentibus. Si Exaggeratio additur, comparatio composita addi, & singulis membris descriptiones subjungi possunt.*

Huic Amplificationi subjungantur exempla pauca, prolixe proposita 98. 99.

Eadem ratio est, si comparatio in quinta Amplificatione instituitur inter homines, ut nihil hic addamus.

Tertius locus honesti leges scriptæ 312.

Argumentum

2. Argumentum amplificationis ex periphrasi legis præscriptæ, sive consvetudinis, circumstantijs temporis in ipsa materia ex locis communibus deprompta, nascitur. Neq; frequenter est usus; nisi in quæstionibus finitis.

Eademq; est ratio Amplificationis, & tractationis secundi argumenti, & tertij, quarti, cum argumento primo à mandato divino, Vt enim ibi propter mandatum divinum, ita hic propter mandatum magistratus obedientiam omnes præstare tenentur, comparatioq; instituitur à privatis dominis, ad publicum magistratum, item pœnæ quoq; eodē modo exaggerantur.

Eademq; instrumenta, quæ ibi, hic requiruntur nisi quod ratio variandi probe observanda sit, quæ sumi ex præceptis facile potest mediocriter in ijs versatus, quæ in componenda oratione præcedere debet.

Vtilitas subijcitur honesto cuius tractatio eadem est fermè cum honesti tractatione habeturq; 49. omnium utilitatum tractandarum formulæ perspicuæ sunt 249. Vt plura addere non sit necessum. Qui enim in honesto novit rationem amplificandi, quid vi in utili si cerebrum non in ventre gerit cognoscat pronunciatio confirmationis 181.

CONFVTATIO.

Quomodo & quando confutatio in quæstionibus infinitis locum habeat 3. 18. Quomodo tractetur 319. 77. formula 257. Vt non sit opus quicquam addere. Namqui vnum contrarium tractare potest & alterum intelligit: ut ibidem prolixe dictum.

Generalis conclusionis notanda 320. & initio sequentis.

Tractatio conclusionis duas habet partes 321.

Enumerationem argumentorum orationis, de quibus observationes ubi locum habent vel nō 322. In diversis quæstionibus diversorum generum causarum enumeratio quomodo & quando admittatur 323. & sequentibus. Enumerationi subjungitur seu involvitur etiam (quod elegantißimum est) affectuum motus 326. quibus figuris constet Ibidem Notandum tamen hic, quod præcipuè huc pertineat omnis doctrina de affectibus movendis. Itaq; diligenter in conclusione concinnanda excutienda Numerationis connexio quomodo quibusve vocabulis fiat. 226. & 330, Variatio fit per figuras affectuum, in verbis requirit gravitas 144. 327. 331.

Ad hanc faciunt descriptiones congeries 100. 101. & sequentes figuræ ad augendam orationem 113. 114.

Exaggeratio quæ diligentissime hic notanda 188. Exaggerationi maximum ornamentum addit προσωποποιΐα *205. 328. Connexio & variatio fit per figuras affectuum, vel simpliciter vel quod frequentius figurata connexione 206. 329.*

Pronunciatio qualis in conclusione esse debeat 181.

(?)

INDEX RERUM ET VERBORUM.

B.

C.

Cauſa

Conciones

Corpo-

Εναργ

Exemplorum

F.

Gestus

L.

M.

Artificialis

Quæ

Q.


R.

S.

Substantiæ

T.

quem



Errata quæ nec mea, nec alterius culpa, ſed communi typographiæ vitio irrepſerunt, corrige, reliqua præſertim in diſtinctionibus pro tua humanitate benevole Lector obſerva & emenda.

8 lin. 1. pro Topici Vopica.
10 lin. 5. Miloni.
11. lin. 4 Hiſtoria Theologica
13. lin. 14 adde, quoq; depromitur quoque
24, lin. 19 diſtorta.
30. lin. 1 differat
31, lin. 4 pro medium lege modum
32. lin. 16 lege quod non intelligendum
35. lin. 22 judicabit
48. lin. 15 adde, licet ſemper victoriam non conſequatur
49. lin. 18. habet
Ibidem, lin. 27. poteſt etiam dici politicum.
54. lin. 7. hnc.
lin. 9. quam ſic amplificamus.
lin. 29. indicium.
59. lin. 1. vel
66. lin. 20. Ita quoq;
69. lin. 3. deleantur verba illa. Orator, oratio non quam amplificet probando ſimul.
72. lin. 11. deleat quæ
lin. 14. ſuſpectam

76. l. 23.

76. lin 23. multum pro nullum.
77. lin. 7. pro consultationis lege tractationis.
78. lin. ult. effecta deducta
79, lin. 6. numerus.
80. lin. 11. dele &c. & pro quod lege quo.
88. lin. 1. ut sunt.
90. lin. 1. diligenter.
89. lin. 16. ducitur.
102. lin. 19. ex Grammatica.
105. lin. 3, considerabimus.
Ibid. lin. 9. non ob aliam.
108. lin. 10. adde non quoties non videor.
110. lin. 22. & quoq; præsentium.
113. lin. 27. enumero.
120. lin. ult. pro quæro quare.
123. lin. 21. arridentes.
128. lin. 27. pro aut sint.
130. lin. 12. Quæ est.
145. lin. 16. ἐπανάληψις.
178. lin. 2. admiretur.
210. lin. 9, pro determinatis indeterminatis.
223. lin. 23. pro indoctum, doctum.
240. lin. 4. connexerint.
243. lin. 23. pro duo dico
243. una periodus bis ponitur ita delenda
299. lin. ult. adde est virtus.
315. lin. 12. lege si multitudo.
318. lin. 14. intendat.
322. lin. 23. pro qua quia.
347. lin. 1. longiora. It. 357. l. 20. sententia.
ἄρσις θέσις in secunda parte habetur fol. 56.


INSTYTUT
OSSOLINSKIEGO.

